HIEROLOGIA,

In quâ

LOCA SACRA, CVM IN LEGE NATVRAE, TVM SCRIPTA; ITEM GENTILIVM AC CHRISTIANORVM, VARIE DESCRIBVNTVR.

Auctore

R. P. D. CAROLO STENGELIO
ABBATE ANHVSANO.



Cum facultate Superiorum.

Ingolstadij, Typis GEORGII HÆNLIN.

Anno M. DC. LIII.

REVERENDISSIMO, PRÆNOBILI, ET AMPLISSIMO DOMINO, DOMINO

VRBANO,

PERILLVSTRIS ET INCLYTI MONASTERII ADMONTENSIS ABBATI DIGNISSIMO, MERITISSIMO,

S. C. M. AC ILLVSTRISSIMI ARCHIEPISCOPI SALISBVRGENSIS CONSILIARIO, BENEFACTORI SVO MEMORANDISSIMO.

F. CAROLVS ABBAS ANHVSANVS F. P.



VLLA fuit vmquam gens tam fera, aut natio tam barbara, quantumuis veri DEI *cognitionis expers; quæ non aliquod sibi* Numen *finxerit, & ad eius cultum specialem locum separauerit, qui* Templi *posteà nomen acceperit, de quâ re, primâ parte huius nostri Operis agimus. Porrò* officium Templi, *teste Caietano,* manifestatur esse, non præstare Deo habitationem, sed præbere hominibus directionem mentis eorum, ad solium diuinum sempiternum, quod in cælis est: ad dirigendos siquidem homines in DEVM, qui creauit cælos & terram, regitque vniuersum, effectum est Templum.

Quantas

Quantas Iudæi *impensas vnà cum suis Regibus* Dauide *&* Salomone *in suum Templum fecerint, ipsis sacrarum litterarum monumentis memoriæ proditum accepimus, & nos pluribus in secundâ parte declaramus. Ipsi* Gentiles *non parci, sed valdè liberales & magnifici in construendis & exornandis falsorum suorum deorum Templis extiterunt: quod pluribus parte tertiâ eexponimus.*

Iam si multitudinem ædium sacrarum apud Christianos *verbo vno attingere placet, vnus* Raymundus *Comes* Barcinonensis *trecentas exstruxit, instruxitq́ annuis vectigalibus. Ita memorat* Tarapha *in* Alphonso.

Deinde testis est Montgaillardus *in oratione funebri* Alberti *Archiducis, Regum* Hispaniæ *sumptibus, spatio annorum circiter quinquaginta, in sola occidentali* Indiâ *supra septuaginta Templorum millia ædificata fuisse. De magnificentia quid dicam? Certè si Imperatores & Reges antiqui dijs inanibus, ijsdemq́ furibus, adulteris, scortis, tantarum molitionum ædes impensâ & ornatu incredibili condiderunt, & ea re pietatis laudem etiam apud postera sæcula promeruerunt; nonnè* Christiani *Principes DEO viuo & vnico, tum deinde amicis eius æternùm cum eo regnaturis, si quàm sumptuosissimè, & decentissimè sacraria constituant, commendationem haud vulgarem apud omnes* Christianos *merebuntur?*

Tradunt prætereà SS. Patres, Ecclesiarum structuras haud perfunctoriè absque spiritali intelligentiâ, sed summo religionis studio consueuisse à maioribus erigi, nempe vt quælibet structuræ pars quid mysticum præsignaret; vsque adeò, vt ipsi etiam throni atque subsellia, ipsæq́ Templi fenestræ, diuinum aliquid repræsentarent, locis in eis pro cuiusque dignitate dispositis, & egregiè concinnatis, quæ omnia quartâ parte fusissimè explanamus.

Vltimâ demum parte celeberrimas quà structurâ, quà magnificentiâ, toto orbe Christiano *fundatas Ecclesias singulariter enarramus.*

Verùm, quoniam ea quæ eduntur in vulgus, si Viri cuiuspiam, generis, dignitatis, ac virtutis laude clarissimi, nomine tradantur, æstimationem

nem ac pondus accipiunt, ne ab hac consuetudine vsque recederem, exquirendus mihi fuit aliquis, ad id ceteris magis idoneus. Neque elaborandum magnoperè fuit; nam statim occurrit Reuerendiss. Vestra Dominatio longè aptissima ad id munus, de quo quærimus: immò jure meritissimo vltrò rapit ad Se hoc opus, quasi nulli alteri meliore jure debitum. Siquidem Tv *inter plurimos Prælatos, qui hoc sæculo Templa sua Monastica reparare, illustrare, & exornare studuerunt, omnes ceteros (absit verbo inuidia) exuperas: esto sint alia vastitate, structurâ, amplitudine, longè superiora; ornatûs tamen elegantiâ Tuum multis parasangis adhuc excellit. Certè* laquearia *opere gypsato varias in formas subacta, quas veritati ars similes expresserat: quicquid de spatio reliqui fecerunt, vnicus isque floridissimus artificiosus & celebris pictoris* Gabrielis *penicillus ad inuidiam sacris historijs illustrauit; ita vt vix simile artificio picturæ & plastices in vllo* Germaniæ *Monasterio sit inuenire. Ego certè talia auditione percipiens, quietus esse non potui, donec hæc ipsemet proprijs oculis lustrarem. Quare sat diu exul in* Austriâ *existens, viâ licet arduâ & asperâ* Pirni *montis cacumen superans, amplissimum Tuum* Admontense *Monasterium accessi, & videns Templum ita totum illustratum, obstupui, & cum Reginâ olim* Sabâ *meritò dicere potui:* Maiora sunt opera tua, quàm rumor quem audiui. *3. Reg. 10. v. 7.*

Quid de cetero Templi ornatu dicam? panegyrin non epistolam scribere me oporteret, si singula enarrando persequi vellem. Certè præterire non possum Altare seu tabulam, Christi *patientis historiam & præcipua referentem, ex puro argento trecentarum triginta marcarum, opus trium Episcoporum se inuicem consequentium, quod intra aliquot supra triginta annos vix absolutum est, miro & raro artificio, Tu Tuâ singulari dexteritate, & in sacra ceimelia inexhaustâ liberalitate, Tuo Templo acquisiuisti. Quid memorem* Lampadem *illam (cuius similes non nisi tres in toto* Christiano *orbe extare dicuntur) opus planè insigne & magnificum CCL. Marcarum, vel CXXV. pondo puri argenti.*

Miracu-

Miracula sunt hæc: sed quid de eis dicam, cùm ipsum Cœnobium Tuum non sine euidenti miraculo fuerit fundatum? Cùm enim beatissimus Archiepiscopus GEBEHARDVS illud fundare desiderans, triduum continuum perstitisset non manducans, verùm summè æstuans discerperetur cogitationibus suis, dum quid definiret eligere non poterat: Postridie cunctanti subitò surdus & mutus quidam in medio exurgens, diuino nutu coram omnibus hæc verba in Teutonico eleganter concinnauit, Episcopo inquiens:

TV DEBES INCHOARE, DEVS DEBET CONSVMMARE.

Qui homo nec postea, nec antea vllas edidit voces; donec post multos annos in depositione ipsius Episcopi, ad sepulchrum eiusdem, pleniter aurium & linguæ est restitutus officio. *Quantum autem diuinâ cooperante gratiâ prædictum Monasterium, licet varijs jactatum vtriusque fortunæ casibus emerserit posteà, & efflorere cœperit, vt tempore* Conradi *Archiepiscopi,* quasi nouum denuò initium accipiens locus (*vetusti Auctoris verba sunt*) cùm varijs modis, tùm principaliter famæ gloriâ, obseruantiarum rigore, oblationibus seu donationibus fidelium, nobilissimâ Monachorum atque Sororum multitudine, nescio an super omnia *Germaniæ* Monasteria non inualuerit. *Et nonnullis interiectis, hæc subiungit:* Tredecim namque Abbates illo tempore de nostro sunt Monasterio ad alia Cœnobia assumpti. *Enumerat præterea plures illustres viros, etiam de Principum, Comitum, aliorumq́ Nobilium stirpe procreatos, quos breuitatis studio (memini enim me hîc Annales non scribere) prætereo, epistolamq́ finio, postquam vnum addidero, ex eodem Scriptore.* Per idem tempus *Sophia Vngarorum* Regis *Belæ* filia, filio Conradi Regis *Romanorum* desponsata, regnum cæleste pro terrestri commutauit: *Admontense* Monasterium expetijt, & cum sacris DEO Virginibus humillimâ conuersatione cælibem vitam deinceps duxit.

Hæc paucula ex pluribus inclyti Tui Monasterij ornamentis producere li-

re li-

re libuit, vt videant posteri, quantum decus addas eidem, hanc famæ gloriam non tantùm conseruando, sed plurimùm etiam augendo, dum non solùm eidem de plurimis & exquisitissimis ornamentis prouides, sed etiam illustribus quà pietate, quà doctrina personis augmentas: imò vniuersus Ordo S. P. N. BENEDICTI debitorem se agnoscit: nisi enim Tu solus ferè fuisses, adhuc delitesceret eius Chronicon Vniuersale, *& alia nonnulla. Quæ alia talenta in R. T. P. persona eluceant, minutim ostendere non est, ne assentatorem hîc agam. Testes tantùm hîc aduoco* Styriæ *Proceres & Status: qui singularem R. P. T. in rebus varijs agendis prudentiam, in incommodis praueniendis solertiam, in consilijs dandis maturitatem, & ingenij promptitudinem & dexteritatem, atque infractum aduersus sinistrè sentientes animi robur non semel perspexêre. Hinc eam ijdem ad S. C. M. Legatum, suæq; in rebus grauissimis pertractandis voluntatis Interpretem & Patronum esse voluerunt.*

Paternam verò clementiam & manum Tuam cùm testentur omnes, qui Tecum in dies tractant, & aliquando tractarunt; tum verò quàm maximè quibus cum potestate praees, Religiosi Tui, & domestici omnes. De pietatis studio, diuini honoris zelo, morum grauitate, vitæ probitate, officiorum diuinorum honestatis cura, rerum ac statum Monasticum spectantium peritia, hospitalitate, & beneficentia in exules, quid me plura attinet loqui, cùm res ipsa mei loco quàm maximè loquatur?

Diuina bonitas Reuerendissimam Amplitudinem Tuam in multos annos Ordini Nostro incolumem seruet, induatq; nouâ virtute ex alto, vt renouetur sicut aquilæ senectus, immò juuentus Tua, ac deniq; cùm apparuerit summus ille Princeps Pastorum, ab eodem percipias immarcescibilem gloriæ coronam. Amen. Augustæ Vind. Kal. Augusti, Anno Christi CIↃ.D. C.LIII.

INDEX CAPITVM

PARS I.

PARS II.

PARS III.

)( )(


II. Tem-

PARS IV.

 sibi

PARS V.





PARS I.

TEMPLORVM SIVE ECCLESIARVM ANTIQVITAS, DEFINITIO, ETYMOLOGIA, APPELLATIONES VARIÆ, EX FINE DIVERSO.

CAPVT I.



VAMVIS DEVS in Templis manufactis non habitet; *a.* vt scilicet ijs circumscribatur, aut concludatur: atque vndecumque eum deprecantes, & gloriam illius promouentes valeat exaudire; nihilominus voluit semper certa loca cultui suo deputari, præsertim si publicus is esset; & religionis mysteria non vbiuis peragi; hac enim ratione nouos Deos more gentilium sibi quilibet confingeret, & Ecclesiasticam Hierarchiam turbaret, quod hæreticorum conuenticula satis superque probant. Atque hinc est quòd statim à condito mundo DEVS certa loco deputauerit, quibus & inuocaretur, exaudiret, ac potentiæ suæ signa ederet. Quæ loca quamuis non semper per modum ædificij constructa & conclusa fuerint, adeoque formâ caruerint, in hoc tamen templorum vicem gesserunt, quòd ijsdem sacris functionibus deputarentur, propter quas templa excitantur & dedicantur. Exemplis, & S. Scripturæ testimonijs, in sequentibus res fiet manifesta. Nunc ipsius Templi definitionem & etymologiam inuestigemus.

I.
a. Actor. 17.
A mundo condito certa loca cultui diuino deputata fuêre; cur?

Templum, juxta *Donatum*, apud Gentiles vocabatur locus notatus ab augure, vel in cælo, vel in terrâ. Vocatur autem templum ab antiquo verbo tueor, quod idem est quod intueor, siue conspicio: vnde templum à tuendo, hoc est conspiciendo, quòd ex omni parte, vel quòd omnis pars ex eo conspici valeat. Itaque

II.
Templum quid? vnde dictum?

b. Lib. 3. de vit. Constant, c. In Psal. 114. d. Orat. in Gorgon. e. Hom. 51. in Matth. f. Car. de Pass. Dom. Dom. TemplaEcclesiæ dicta apud Christianos.

cælum ipsum primò templum dixerunt, quod ipsum primo aspectu intuemur. In terris autem templum vocamus locum quemlibet religiosi cultus gratiâ inauguratum. Græcè *ναὸς*, Hebraicè *Hechal* palatium Dei. Vocarunt etiam templum Gentiles *Fanum*, à fando, quòd in illo Dij eorum consulti farentur, darentque responsa. Alij templum dictum volunt quasi *tectum amplum*: quòd nempe suâ capacitate & amplitudine plures qui ad orandum DEVM conueniunt, tegat & occupet. Sunt etiam qui à contemplando deriuant: vtuntur autem tam *Graci* quàm *Latini* Patres hoc *Templi* nomine, *Eusebius* b. *Basilius* c. *Nazianzenus*, d. *Chrysostomus*, e *Lactantius* quoque f.

Quisquis ades, mediijq; subis in limina templi,
Siste parum, &c.

III. Quamuis pro comperto sit primos *Christianos* propter recentem memoriam sacerdotij *Aaronici*, & multitudinem templorum Idololatrarum, hoc templi nomen rariûs vsurpâsse, vti & nomen Sacerdotij; & pro templis *Ecclesias* dicere consueuisse. Siquidem vsus tum obtinebat, per templa intelligere loca dedicata ad sacrificia cruenta, & hoc sensu *Octauius* apud *Minutium Felicem*, *Optatus Mileuitanus*, & *S. Hieronymus*, negant *Christianos* habere templa; vtputa ad cruenta sacrificia more *Ethnicorum*.

IV. Appellationes ex diuerso fine templorū. 1. Templa. 2. Oratoria. 3. Basilicæ. 4. Ecclesiæ. 5. Domus Dei, 6. Domus orationis.

Porrò *Ædes* sacræ varia nomina sortiuntur secundùm varios fines, propter quos eriguntur. Primus est, offerre Deo sacrificium; & dicuntur ob id *Templa*: est enim templum locus altaris. Secundus est, orare & obsecrationes pro necessitatibus Deo facere, & hinc appellantur *oratoria*. Tertius ad Martyrum reliquias honorificè conseruandas, & vocantur *Basilica*, siue *memoria Martyrum*. Quartus est prædicatio verbi DEI, & Sacramentorum administratio, & ita sunt *Ecclesia*. Primus, secundus, & tertius finis etiam *Iudæis*; & duo priores gentilibus communes fuêre. Quartum dumtaxat agnoscunt *Caluinista* & *Lutherani*: *Anabaptista* & *Waldenses* nè illum quidem.

V. 7. Domus Patris cælestis.

Sunt insuper alia nomina quibus veteres dedicata Deo loca nuncuparunt. Ita *Isaias* & *Christus* vocat templum *domum DEI, & domum orationis*. Item *domum Patris cælestis*, tùm quòd Deus tem-

templum elegerit ad immolationem sacrificiorum, & deprecationes populi sui audiendas: quomodo dicit ad *Salomonem*: g. *Exaudiui orationem tuam, & deprecationem tuam quam deprecatus es coram me. Sanctificaui domum istam quam ædificasti, vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum: & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Tùm quòd sit locus mysterijs diuinis dispensandis deputatus: tùm denique quòd licet Deus impleat maiestate & potentiâ suâ cælum & terram, *h.* tamen peculiari modo est in templo sancto suo, vt in quo eum agnoscimus, & veneramur, ex varijs effectis quos hîc producit.

g. 3. Reg. 9.

h. Ierem. 23.

VI. *S. Cyprianus* Ecclesiam vocat *Dominicum*; *i.* quia domus illa sacra velut palatium Domini sit; quod etiam significat *Hebræorum* vox *Hechal*, quasi Basilica potentis DEI. Quid ni locus Domino consecratus *Dominicum*? Ita etiam ex diebus hebdomadis primus & princeps colendo Domino attributus *Dominicus* meritò nuncupatur. Agere, celebrare *Dominicum SS. Augustinus* & *Cyprianus* dixerunt de nostro sacrificio peragendo & obeundo. Vocabatur etiam templum persæpè *Martyrium*; Propriè tamen illa templa, in quibus SS. Martyrum reliquiæ seruarentur.

i. Ser. de eleemosynis.

8. Dominicum.

9. Martyrium.

VII. Vocat Deus templum antiquum, *locum requietionis suæ. k.* tùm quòd ante ædificatum templum *Salomonis*, nullo loco stabili consistebat; erat enim *tabernaculum Mosaicum* mobile ac portatile: tùm quòd Deus in templis conquiescat, velut delectatus religioso cultu nostro, & exspectans supplicationes nostras. Hinc etiam nonnumquàm appellantur templa, *Tabernacula Dei cum hominibus*, vt in quibus, velut in cælo se beatis, ita & hominibus se manifestat, suaque mysteria & voluntatem testatam facit.

k. Isa. 66.

10. Locus requietionis Dei.

11. Tabernaculum.

VIII. Templo rectè nomen conuenit *voluptatis*, & accommodatitio sensu accipi de eodem potest apud *Michæam. l. domus deliciarum*, vnde mulieres eiectæ deplorantur, & à paruulis earum ablata laus Dei in perpetuum: imò *paradisus voluptatis*, tum quia ibi maximè delicias suas habet Deus cum hominibus, tum quia easdem ibidem ijsdem illis communicat. Lege quæ de Templi gloriâ scribuntur in Historiâ *Machabæorum. m.*

l. Mich. 2. 9.

12. Domus deliciarum & paradisus voluptatis.

m. 1. Mach. 1 v. 41. 42.

IX. Crux in templo instar arborum omnis generis: pro fontibus

aqua baptiſmalis, ac luſtralis: pro floribus varij Sanctorum, qui ritè ibi coluntur, ordines: pro auium concentu cantica, & inſtrumenta muſica: pro aëris ſalubritate, pia precantium ſuſpiria: pro
n. Sap. 16. v. 20. Exod. 16. v. 14. conuiuio Euchariſtia *omne delectamentum in ſe habens, n.* ceteraque Sacramenta: pro familiari dialogiſmo de rebus diuinis, habetur tum lectio, tum recitatio: pro ceterâ ſupellectili, reliquus ornatus, vaſorum, veſtium, periſtromatum, tabellarum, imaginum,
Templi cũ baſilicâ, & regio Palatio comparatio. &c. Eadem comparatio proferri poteſt cum elegantiſſimâ inſtructiſſimaque baſilicâ, regioque Palatio: ſiquidem & *baſilica* jam vox in baſilicis noſtris propria ferè facta eſt. Idem judicium de Iuſto, qui *templum Dei* dicitur. *o.* Iuſtus non architectos domorum, ſed
o. 1. Cor. 3. v. 16. & c. 6. v. 19. mundi Deum imitatur. Illi lapides rudes in fundamentum jaciunt: Deus mundi ceu fundamentum cælum ſtatuit; hominis, animam: Eccleſiæ, *Chriſtum. p.* Iuſtus ædificij ſpiritualis virtutes, quas non
p. 1. Cor. 3. v. 10. oſtentat, vt ſunt materiales lapides ſuperiores expoſiti, politique, ſed tegit. *In charitate,* inquit Paulus, *q. radicati & fundati.*

X. Prætermiſſis alijs myſticis acceptionibus *domus*, ac *templi*
r. Ser. 1. de Dedic. Templi. *Dei*, quas innuimus paulò antè; his adhuc plures explicat *Innocentius* Papa III. *r.* pro toto mundo; pro Eccleſiâ; pro Deiparâ; pro Humanitate *Chriſti*; pro Beatitudine cæleſti, cæloque empyreo; pro Animâ Iuſti; pro Sacra Scripturâ: maximè ad litteram ſumitur pro materiali loco deputato & conſecrato religioſè ac ritè colendo Deo, & in quo Deus peculiari quadam ratione eſſe, & habitare dignatur, & beneficia conferre. Probat id rectè citatus
Albigenſes & alij refutati. *Innocentius*, & alij pluribus oſtendunt contra *Albigenſes, Bogomilios, Henricianos, Pſeudoapoſtolos, Manichæos, Meſſalianos, Euſtathianos, Petrobruſianos, Waldenſes, Taboritas, Anabaptiſtas, Tranſyluanos, Caluiniſtas, Lutheranos,* qui templorum vſum omnem ſacrum ad pre-
s. In Panopl. Tit. 23. cap. 18. ces, Sacramenta, Sacrificia, honorem Dei, & Sanctorum tollunt, & admittunt ſolùm ad cœtus, & ſermones habendos. *Bogomilios* refert *Euthymius s.* docuiſſe, Dæmonas in ſacris omnibus templis
Bogomiliorum doctrina de templis à Dæmonibus habitatis. habitare, cùm ea quiſque ſortitus ſit, pro proportione ordinis & virtutis, ac Satanam quidem cunctorum principem, celeberrimum quondam illud *Hieroſolymitanum* templum delegiſſe: poſteà *Sophiæ Conſtantinopolitanum:* non enim *in manufactis templis Deum habitare.*


habitare. t. Argumentantur verbis *Isaiæ* u. vsurpatis à *Christo.* x. *Domus mea, domus orationis vocabitur,* multoque nostris magis conuenire, quàm templo illi *Hierosolymitano,* vnde pelluntur Dæmones, propter inhabitantem diuinam gratiam. *Iosephus* certè auctor est, priusquam sacrum Romani templum violarent, auditas clarè Angelorum voces: *Migremus hinc.* Legendi Hæreseologi, maxime *Bellarminus.* y. Plura Epitheta inuenire est apud varios Scriptores, desumpta à functionibus quæ in templis exercentur, & propter quas eadem eriguntur: nos in præsenti jam dictis contenti erimus.

t. Act. 17. v. 24.
u. Isa. 56. v. 7
x. Lib. 7. de bel. Iud. c 12.
y. Lib. 3. de cultu sancto. cap. 1. & seq.

XI. Nunc ergò, vt methodicè procedamus: dicendum erit primo loco de locis sacris in *Lege naturæ;* secundo, sub *Lege Mosaicâ;* tertio, *Ethnicorum ac Gentilium:* quarto, *Christianorum;* quinto, demum historicè templa celebriora totius orbis in specie descripta enarrabimus.

CAPVT II.

DE LOCIS SACRIS IN LEGE NATVRÆ.



I. Fuisse locum determinatū, in quo sanctissimus Genearcha *Adamus* & eius Filij sacrificarent, constat ex Geneseos libro, a. si rigorem idiomatis *Hebræi* sequamur. Textus diuinus sic: *Fuit autem in fine dierum, vt adduceret* Cain *de fructu terræ oblationem ipsi* IEOVÆ: Ebel *quoque etiam ipse adduxit de primogenitis pecudum suarum, & de adipe earum.* Sequor in translatione Hebraicam veritatem, consultis *Sancte Pagnino, Ariâ Montano,* & *Vatablo.* Verbum *adducere* locum aliquem determinatum indigetat, vt de se patet: ergò oratorio erat, *Adami* tempore, locus aliquis determinatus. Sed iste qualis an in aperto rure, an muro circumcinctus? Fuisse *Adami* oratorium cinctum muro non negabit qui legat, *Cainum* dixisse fratri suo: *Egrediamur foras.* Erant igitur intra Sacellum; quia aliàs non potient velle egredi foràs. Oratorij istius murum constructum æstimo lapide crudo & impolito. Decet

a. Gen. 4. 3.
Locus determinatus aliquis pro Sacrificijs ab ipso Adamo.

hæc ædificandi ratio illa rudiora ſæcula, quibus nondum cognitæ Architectonicæ curioſitates.

II. Legitur *Cainus* ædificaſſe ciuitatem, certè nec lateribus, quarum vſus inuentus eſt poſtea; *b.* nec terrâ coagulatâ, hoc enim inuentum recens eſt. ergò prioribus illis ſæculis, crudis lapidibus connexis luto, muri fabricabantur. Si doceri velis ichnographiam, reor Sacelli huius figuram fuiſſe circularem, quoniam quadrata templa non fuerunt in vſu apud antiquos, vt conſtat ex numiſmatum & columnarum decrepitis delineationibus. Addo *Adami* oratorium non fuiſſe fornicatum, vt nec contignatione aliquâ tectum; quia aliàs nec ignis cælitùs deſcendere potuiſſet, nec fumus cælum versùs attolli.

b. Gen. 11. v. 3.

Sacellum Adami quale.

III. *Adami* nec non *Abelis* ſacrificia igni cæleſti abſumi colligo ex capitis citati verſu quarto, qui *Theodotione* interprete; ἐνεπύρισεν &c. *Inflammauit Dominus ſuper* Abel *& ſacrificium eius; ſuper* Cain *non inflammauit.* Conflagratione miraculoſâ teſtabatùr Deus ſe ſacrificium acceptaſſe, quod & feciſſe legitur ſæpe alibi. Expoſuit igne cælitus immiſſo, ſibi placere *Gedeonis* victimam, *c. Manuæ*, d. *Aaronis*, e. *Eliæ*, f. *Dauidis*, g. *Salomonis*, *h.* & *Nehemiæ. i.* Vidit *Cainus* oblationem ſui fratris diuino igne comburi, ideò exſpes & inuidus fratrem occidit, & parentes deſerüit. Ergò ſatis veriſimile apparet illud oratorium fuiſſe ſub dio, expoſitum cæli clementiæ.

Conflagratione Deus teſtabatur Sacrificium ſibi acceptabile

c. Iudic. 6. 2. d. Iud. 13. 2. e. Leuit. 9. 20. f. 3. Reg. 18. verſ. 38. g. 1. Paral. 21. v. 26. h. 2. Paral. 7. v. 1. i. 2. Mach. 1. v. 32.

IV. Meminit Scriptura publici cultus, quo *Enos cœpit in vocare nomen Domini. k.* Quod licet Scriptura non tradat factum fuiſſe loco certo ad eadem obſequia deputato, tamen veriſimile eſt peculiarem ad illa electum, & præ alijs digniùs habitum fuiſſe. Tempore ergò *Enos* videntur cœtus hominum inſtituti, & in Eccleſiam congregari cœpiſſe ad publicas preces, ad publicas conciones & catecheſes, ad publicum Dei cultum per ſacrificia, alioſque ritus & cæremonias. Addit *Thomas Waldenſis*, & ex eo *Bellarminus, l.* Enos inſtituiſſe peculiarem aliquem cultum & ſublimiorem, quàm eſſet religio vulgi: nam ante *Enos*, *Abel*, *Seth*, & *Adam* inuocauerunt Devm, vnde cenſent ipſi, *Enos* inſtituiſſe quaſi præludium & initium

k. Gen. 4.

Enos primus videtur inſtituiſſe religioſos cœtus.

l. Lib. 2. de mon. c. 5.

initium vitæ religiosæ & monasticæ. Putat *D.Thomas m.* in primâ mundi ætate non fuisse idololatriam, ob recentem mundi memoriam. Verùm hæc ratio non omninò concludit: nam recens memoria diluuij, & tantæ vindictæ DEI, non impediuit, quin mox surreperet idololatria. Vnde *Torniellus* & alij putant, etiam tum fuisse idololatriam in alijs *Adæ* familijs: ideoque *Enos* ei opposuisse publicum vnius DEI cultum, itaque S. Ecclesiæ visibilem formam instituisse.

m. 1. 2. q. 94. art. 4. ad 2.

V. Ad eumdem modum siccatis diluuij aquis, Noë obtulit holocaustum de cunctis pecoribus super altare. *d.* Templum autem nihil est aliud, quàm locus altaris diuino cultui, qui potissimùm in sacrificio exercetur, deputatus. Porrò primum hoc est altare, quod legitur in Scriptura; tamen non dubium est alia priùs extitisse, vtpote in quibus sacrificauit *Abel e.* Altare dicitur quasi alta ara, in quâ scilicet victimæ DEO mactantur, & offeruntur.

d. Gen. 8. Templum locus altaris. e. Ibid. 4. Altare quid.

VI. Scribit *Moyses, f. Abraham* plantasse nemus in Bersabee, tamquam templum, aut locum sacrum, in quo inuocabat nomen Domini, & esset velut oratorium tam sibi, quàm colentibus verâ religione DEVM. *Ionathas* antiquus auctor scribit, quòd *Abraham* in hoc horto sit solitus peregrinos hospitio excipere & recreare, ac pro mercede pacisci, vt creatorem cæli & terræ, qui hæc illis dedisset, timerent & colerent. Vnde ex eo quod sequitur: *Et inuocauit ibi nomen Domini DEI æterni,* patet *Abrahamum* illic etiam altare ad orationem & sacrificium extuxisse. Erat ergò hoc quasi eremitorium & oratorium *Abrahæ*, quò se subinde à curis & negotijs, cum DEO acturus recipiebat. Ita *Caietanus* & *Pererius*.

f. Ibid. 21. Abraham obligat hospites ad cultũ Dei.

VII. *Iacob* Patriarcha erexit lapidem in titulum fundens oleum desuper: & in eodem loco obdormiscens, vidit mysticam illam scalam. *g.* Pauensque; *quàm terribilis est*, inquit, *locus iste*? Quàm religiosus, quantâ reuerentiâ, tremore, humilitate, colendus est locus iste, ob DEI & angelorum per scalam ascendentium & descendentium præsentiam! *Non est hîc aliud nisi domus DEI & porta cæli.* Vbi scilicet DEVS scalæ incumbens, cum angelis suis ascendentibus & descendentibus inhabitat. Vide hîc, quàm à

g. Ibid. 28.

tempore

Deus certis locis vult coli.

tempore *Iacobi* & *Abrahæ*, DEVS certa loca ſui apparitione, beneficijs, miraculis illuſtrârit: ibique coli & inuocari voluerit Quid ergò Nouantes obſtrepunt beatæ Virgini *Lauretanæ*, *Montiſſerrati*, *Cellenſi*, *Einſidlenſi*, *Oetinganæ*, *Hallenſi*, *Aſpericollenſi*?

VIII. Titulus res quatuor ſignificat. 1. 2. 3. h. Leuit. 26. v. 1. 4.

Inſuper *erexit in titulum*, lapidem illum, ſiue ſaxum, in quo dormierat, eleuauit *Iacob*, rectumque ſtatuit, vt eſſet monumentum viſionis & apparitionis ſibi factæ. Vbi notandum, titulum dici quadrupliciter, quatuorque res ſignificare. Primò titulus eſt inſcriptio rei: vt titulus libri, titulus crucis. Secundò, titulus eſt columna, aut pyramis in trophæum victoriæ, aut inſignis facinoris erecta. Tertiò, titulus eſt ſtatua, imago vel idolum erectum ad cultum & adorationem, qualis titulus prohibetur. *h.* Quartò, titulus eſt lignum, lapis, vel alia res poſita, vel erecta in memoriam & indicium rei alicuius, verbi gratiâ, viſionis angelicæ *Iacobo* hîc factæ. Erexit enim *Iacob* hunc lapidem in titulum, vt in reditu ex *Haran* in patriam, eodem loco hoc DEI beneficium recoleret & & veneraretur, vti eum feciſſe conſtat. *i.*

i. Gen. 35. v. 3.

IX. Titulus eſt altare Iacobi.

Hinc etiam eumdem lapidem in altare conſecrauit, vnde titulus hic non tantùm monumentum, ſed etiam altare ſignificat. Atque hinc primi *Chriſtiani* ad exemplum *Iacobi*, Eccleſias ſuas vocârunt titulos, à titulo, id eſt, ſigno crucis, & à titulo, id eſt nomine alicuius Sancti, in eius honorem intitulabantur, id eſt, nominabantur, conſecrabantur, & diſtinguebantur Eccleſiæ; vt titulus S. *Praxedis*, eſt Eccleſia S. *Praxedis*, titulus S. *Laurentij* eſt Eccleſia S. *Laurentij*, quæ Phraſis crebra eſt in vitis primorum Pontificum. Ita *Iacobus Gretſerus*. *k.* Atq; ex hiſce titulis Cardinales ſuos titulos & cognomina ſumpſerunt, vti docet *Hieronymus Platus*, *l.*

Titulus eſt Eccleſia cur?

k Lib. 2. de cruce. c. 7.

l. Lib. de Card. dignit. c. 2.

X. Iacob oleo conſecrauit altare.

Ad hæc *fundens oleum deſuper*, in ſignum conſecrationis, ait *Abluenſis*, quia res conſecratæ oleo vnguntur: non ergò hæc olei fuſio fuit libatio aut ſacrificium. Nuſquam enim ſolum oleum DEO libatum aut ſacrificatum legimus. Itaque *Iacob* ex hac viſione diuinâ manè euigilans, ex vrbe vicinâ *Luza*, quæ poſtea ab eo *Bethel* eſt dicta, oleum attulit, inquit *Abulenſis*, eoque lapidem, in quo ſibi dormienti tam mira viſio contigerat, inunxit, eumque inungendo

ungendo, DEO quasi consecrauit. Vnde postea eodem, quasi altari consecrato vsus est, in eoque sacrificauit. *m.* Sic ad *Iacobi* exemplum, Ecclesia altaria & templa sacrâ vnctione DEO dicat & consecrat, vt infrà dicemus. Vnde & dæmon, quasi DEI & Sanctorum simia, hanc unctionem in his sacris imitatus est, quando suis persuasit, lapides *Termino* inungere & consecrare. *n.* Demùm hoc voto conclusit: Si DEVS dederit mihi victum, vestitum, ac felicem reditum in patriam; ego ipsi voueo ac promitto, quòd deinceps eum colam speciali & maiori cultu, quàm antè eum coluerim; nimirum quòd dabo ei decimas, tum ad sacrificia tum ad alium quemlibet eius cultum; quòdque post meum reditum ex *Mesopotamiâ*, locum hunc DEO quasi aram & templum aut sacellum dicabo: ita enim hoc votum suum, sequentibus explicat ipse *Iacob*, vt rectè aduertit *Caietanus*: loquitur enim in hunc sensum: Locus in quo est lapis hic, meâ applicatione, destinatione, & quasi consecratione, erit & vocabitur sanctus, ac domus siue habitaculum DEI, atque super lapide hoc, quasi super altari DEO sacrificabo. Igitur redux ex *Haran*, votum hoc suum explet ibi *Iacob*, atque super hoc lapide, quasi arâ DEO sacrificium offert. *o.*

m. Gen. 35. v. 7.

n. S August. l. 16. c. 38. Ciu.

Vouit Iacob Deo decimas, & sacellum in Bethel.

o. Gen. 35. v. 7.

XI.

Quin & *Abraham* tentaturus DEVS, mittit eum in terram visionis, & præcipit sibi offerri filium, super vnum montium quem illi monstraret, *p.* nempè *Moria*; quem *Abraham* suo sacrificio, quasi initiauit & consecrauit in templum posterorum & *Christi*, itemque montem *Caluariæ* in aram *Christi*. Nam mons *Moria* in plures colles & monticulos fuit diuisus: in orientali enim parte montis *Moria* fuit *Sion*, in quâ erat arx *Dauid*; juxta quam in areâ *Ornan Iebusæi* à *Dauide* coëmptâ, *Salomon* exstruxit templum. *q.* Alia pars *Moria* extra vrbem *Ierusalem* mansit, posteaque dicta est mons *Caluariæ*, in quo tàm *Isaac*, quàm *Christum* per *Isaac* significatum, imolatum esse docet S. *Hieronymus* & S. *Augustinus*: *r.* *Hieronymus presbyter*, ait, *scripsit, se certissimè à senioribus Iudæorum cognouisse, quòd ibi immolatus sit Isaac, & Adam sepultus, vbi posteà Christus est crucifixus.* Addunt nonnulli Hebræi, in *Moria* sacrificasse *Abelem* & *Cainum*, item *Noe* mox à diluuio; sed temerè & sine fundamento cæci asserunt.

p. Ibid. 22. 2.

Situs montis Moriæ & partes.

q. 2. Paral. 3. v. 1.

r. Lib. 16. cap. 32. de Ciuit.

Ibi immolatus est Isaac, vbi Christus crucifixus.

XII. Melchisedech. s. Gen. 14. t. Cap. 8. Cæl. Hier.

Melchisedech erat sacerdos DEI altissimi: quem non est verisimile non habuisse locum aliquem cultui ipsius destinatum. *s.* Notat enim S. *Dionysius*, *t.* *Melchisedech* dici sacerdotem DEI altissimi, non tantùm eò quòd illi ipse seruiret, sed quòd & alios ad eius fidem cultumque conuerteret ac promoueret. Præterea solitus erat Deo panem & vinum offerre. Sic in gratiarum actionem pro victoriâ *Abrahæ* à Deo concessâ sacrificium pacificum oblaturus, *panem & vinum obtulit:* ita nimirum, vt priùs panem & vinum Deo obtulerit in sacrificium, scilicet partem panis cremando, partem vini libando, id est, effundendo Deo in gratiarum actionem pro victoriâ *Abrahæ*: deinde reliquam panis & vini partem in milites *Abrahæ* libandam, id est participandam & comedendam distribuerit, hoc enim moris erat in sacrificio pacifico: ita pariter *Christus* in vltimâ cœnâ obtulit panem & vinum, consecrando illa, & transsubstantiando in sacrificium Eucharisticum; eaque deinde Apostolis libanda distribuit, & similiter offerenda ac libanda præcepit.

XIII. Missa sacrificium. u. Psal. 109. x. Hebr. 7. y. Lib. 1. de Missa, c. 6.

Hinc patet, Missam esse sacrificium, *Christumq́;* non tantùm in cruce, sed etiam in vltimâ cœnâ sacrificasse, adeoque Eucharistiam non tantùm esse Sacramentum, sed & sacrificium: tam enim *Dauid*, *u.* quàm Apostolus, *x.* dicunt *Christum* esse sacerdotem secundùm ordinem, non *Aaron*, sed *Melchisedech*; ergò talis fuit in vltimâ cœnâ: cùm scilicet Eucharistiam sub specie panis & vini instar *Melchisedech* Deo obtulit. Ita passim docent omnes Patres, quos citat *Bellarminus*. *y.*

CAPVT III.

ALTARE QVID? EIVSDEM VSVS ANTIQVVS ET RELIGIOSVS IN VETERI TESTAMENTO.

I. a. Festus Strabo. c. 6. de reb. Eccles. Definitio Altaris.



LTARE Βωμὸς Græcis, ab altitudine dictum, *a.* velut alta ara, veteres namque in ædificijs à terrâ eleuatis, dijs superis sacra faciebant; Terrestribus in solo ipso; Infernalibus autem effossâ priùs ampla scrobe. Etiam fidelibus vsitatum

tum erigere altaria, & in eo Deo vero sacrificare, vt ostendemus statim. Volunt nonnulli *b.* hoc veteribus interfuisse inter altare & aram, quòd illud non nisi superis; hæc etiam inferis Dijs consecraretur: *Seruius* ait, Aras dictas ab ariditate, quia in illis adoletur ignis: Altaria ab alendo, quia igni adduntur alimenta. Isidorus: *c.* *Aram, ait, quidam vocatam dixerunt, quòd incensæ ibi victimæ ardeant.* Alij aras dicunt à precationibus, quas Græci ἀρὰς vocant. Porrò ara etiam dicitur, vel quòd area pura sit, *d.* vel ab ardore. *e.* Aras in Ecclesiâ *Catholicâ* à purissimo, & incruento sacrificio nomen habere docet *Gregorius Nazianzenus.* *f.*

b. Seru. in 2. Aeneid.
c. Lib. 15. orig. c. 4.
d. Gen. 8. Beros.
e. Varro. l. 4 de ling. Lat.
f. Orat. 4. quæ est 2. in Iul.

II. Porrò primum altare, quod legitur in Scripturâ, *g.* fuit, quando post diluuium *ædificauit Noë altare Domino; & tollens de cunctis pecoribus mundis & volucribus, obtulit holocaustum: odoratusq; est Dominus odorem suauitatis.* Attamen non dubium est, alia priùs extitisse, vtpote in quibus sacrificauit *Abel.* *h.*

g. Gen. 8. 20.
h. Ibid. c. 4. Noe.

III. *Apparuit Dominus Abraham in terrâ Chanaan, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc: qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuit ei.* *i.* Ibique consequenter victimas Deo obtulit in gratiarum actionem, pro *Chananæâ* suis posteris à Deo promissâ. Nec dubium quin *Abraham* suos eò euocauerit, quin & extraneos, atque coram eis verum Deum prædicauerit & celebrauerit, promissionesque sibi factas confessus sit, insuperque Deum inuocauerit; omnia enim hæc altaris publici constructio in se complectitur, scilicet confessionem, laudem, prædicationem, oblationem, & inuocationem solennem & publicam. Cumq; venisset juxta *Bethel, ædificauit quoque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius.* Vnde rectè *S. Ambrosius: Vbi Bethel,* inquit *est, hoc est domus Dei, ibi & ara, vbi ara, ibi & inuocatio Dei nostri.* Hæreticis desunt ara & *Bethel,* ergò & vera inuocatio, cultusque Dei. *Apparuit Dominus in Bersabee Isaac, dicens: k. Noli timere, quia ego tecum sum. Itaque ædificauit altare Domino, & inuocato nomine Domini, erexit tabernaculum. Locutus est Deus Iacob dicens: Surge & ascende Bethel, & habita ibi, facq; altare Deo, qui apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum.* *l.*

i. Gen. 12. 7. Abraham.
k. Gen. 26. vers. 24.
l. Ibid. 35. vers. 1.

IV. *Dixit Dominus ad Moysen. Ascende in montem tu, & Aaron,*

Moyses.

Nadab & Abiu, & ſeptuaginta ſenes ex Iſrael, & adorabitis procul. Moyſes ergò manè conſurgens ædificauit altare ad radices montis, &
m. Exod. 24. v. 4. *duodecim titulos per duodecim tribus Iſrael.* m. Et poſt pauca ſequitur: *Obtuleruntq; victimas pacificas Domino, vitulos.* Quod igitur dicit: *duodecim titulos*, tantundem eſt ac ſi dicat, *Moyſes* duodecim rudia ſaxa in titulos & ſtatuas erexit; vt ſacrificia hæc, quibus fœdus inter Deum & populum ſanciebatur, pro duodecim tribubus offerri ſignificaret. Vnde & aliqui probabiliter putant, ex duodecim hiſce lapidibus ipſum altare fuiſſe conſtructum. n.

n. Abul. & Caiet.

V. Diuerſitas altarium.

Ceterùm tria altaria à *Moyſe* legimus conſtructa, ſacrificandi ritu diuerſa. Primum altare erexit poſt eductum populum ex *Ægypto*, in quo ob miraculoſam victoriam, Deo gratis egit. o. *Et vocauit nomen eius: Dominus exaltatio mea.* Hebraicè *adonai nissi*; quod alij vertunt: *Dominus eſt vexillum meum*, id eſt, Dominus fuit mihi loco vexilli, ipſe ſigna victricia in hoſtem intulit. Vnde *Ioſephus* ait *Moyſen* hanc aram Deo victori poſuiſſe, vti *Romani* ponebant *Ioui victori*. Tertiò, verti poteſt: *Dominus eſt ſignum*, vel *miraculum meum*; quia hanc miraculoſam victoriam, totque alia miracula mihi contulit. ita *Chald.* Hoc trophæo omnem victoriæ laudem Deo aſſignauit *Moyſes*; neq; enim altare dumtaxat ſacrificij cauſsâ erexit, ſed & trophæi, idque nomenclatura hæc conuincit; eſt enim ſenſus, quaſi dicat, Altari hoc quaſi trophæo teſtor, hoc ſignifico, quòd Deus ſit exaltatio mea, qui me hoſtibus *Amalecitis* ſuperiorem fecit, ideoque illi, vt ſigno rei ſignatæ do nomen, illudque voco: *Dominus exaltatio mea*; vti ſolemus de effigie Cæſaris, aut Regis dicere, iſte eſt Cæſar, hic eſt Rex: quia iſta imago eſt Cæſaris, hæc Regis. Sic enim *Iſaac* p. puteum ab euentu vocauit *Calumniam*, & alium vocauit *Latitudinem*. Sic *Gedeon* q. ſuum altare vocat *Domini pax*. Similia ſunt alibi. r.

o. Exod. 17. v. 15.
1. Inſtar Trophæi.
p. Gen. 26. verſ. 20.
q. Iudic. 6. verſ. 24.
r. 1. Reg. 7. 12. 2. Reg. 18. 18.

VI. 2. Holocauſtorum.

Alterum erat altare *holocauſtorum*, in quo quæuis ſacrificia immolabantur & cremabantur. Erat autem ante Tabernaculum in atrio, ſub dio poſitum, propter ignem, fumum, & nidorem victimarum. Secundò erat ex lignis *Sethim*, contectis æreis tabulis aduerſus ignem. Tertiò erat longum cubitos 5. latum totidem, altum tres. Quartò erat cauum interius, verùm terra, vel lapide

impoſito

impolito ad sui medium replebatur, vt constat. *s.* Denique superne habebat cratem æneam in modum retis, foraminibus plenam, quæ totam altaris latitudinem occupabat; huic crati victima imponebatur, vt à subiecto igne cremaretur. Habuit insuper fenestram ad extrahendos cineres, & ponenda ligna: ac IV. annulos æreos, & vectes, ad portandum altare. Atque in hoc altari quotidie manè & vesperi immolabatur Agnus, quasi juge sacrificium: Deinde aliæ victimæ vel votiuæ, vel spontaneæ. Figuram huius altaris expressit *Vilalpando. t.* s. Exod. 20. & 1. Mach. 4. t. Lib. 4. de Templo. cap. 75.

VII. 3. Thymiamatis. Tertium Altare erat *Thymiamatis*, in quo nullæ victimæ, sed dumtaxat thymiama adolebatur: idque non tantùm à Pontifice, sed etiam à minoribus sacerdotibus: quotidie bis, mane & vespere. Erat eiusdem materiæ & formæ cum priori, nisi quòd esset deauratum, & dumtaxat cubiti vnius in longitudine, & latitudine, duorum in altitudine. Erat collocatum in Sancto, in medio candelabri & mensæ, eratque obuersum oraculo, quod erat in Sancto Sanctorum supra arcam, habebat IV. cornua, & coronam auream per gyrum, & in medio cratem reticulatam ad vsum cinerum, Insuper IV. annulos & vectes, per quos ferebatur à sacerdotibus per desertum.

VIII. Tituli. *Iacob* Patriarcha postquam erexisset lapidem in titulum: hoc est, in memoriam admirandæ visionis quam habuerat; vt esset velut illius monumentum; ait: *Lapis iste quem erexi, vocabitur domus Dei. u.* quasi dicat: Locus in quo est lapis hic, meâ applicatione, destinatione, & quasi consecratione, erit & vocabitur sanctus, ac domus siue habitaculum Dei, atque super lapide hoc, quasi super altari Deo sacrificabo. u. Gen. 28. vers. 22.

IX. Iterùm à fratre *Esau* digressus, erexit altare, & inuocauit super illud *fortissimum deum Israel. x.* hoc est, nomen illud indidit, & velut hunc titulum inscripsit altari, eò quòd altare Deo inscripsisset. Vnde patet *Iacobum* non tantùm adorâsse & sacrificasse in hoc altari; sed & illud ipsum dicâsse, consecrasse, & inscripsisse Deo. Hunc ergò titulum inscripsit *Iacob* altari: *el elohe Iisrael.* id est, *Deus fortissimus Israëlis*: non quòd ipsum altare esset Deus, inquit *Caietanus*, sed quòd dedicatum & inscriptum esset forti Deo x. Gen. 33. vers. 20. Titulus altaris Iacobi.

 Israëlis:

Israëlis: vocat enim *Iacob* DEVM *el*, propter fotitudinem; & *elohim*, propter prouidentiam, gubernationem & iustam protectionem sibi à Deo contra *Esau*, *Laban*, aliosque hostes exhibitam. Similem titulum altari *Bethel*, indidit & inscripsit *Iacob*: *y*. *el bethel*, id est, *Deus fortis Bethel*, hoc est, altare dicatum Deo *Bethel*, siue Deo, qui in *Bethel*, quasi in domo suâ habitat, quique mihi ibi quasi fortissimus apparuit, suaque fortitudine me contra *Esau*, *Sichimitas*, omnesque hostes, & terrores corroborauit. Sic *Rubenitæ* suum altare vocarunt, *testimonium nostrum quòd Dominus ipse sit Deus*. *z*. Sic *Gedeon*, vti etiam suprà dictum est, suum altare vocauit *Domini pax*. *a*. Sic etiam *Gentiles* aras dicabant, & inscribebant *Ioui victori*, *Mineruæ sospitæ*, *Æsculapio seruatori*, *&c*. Pari modo *Iacob* in gratiarum actionem hîc *Deo liberatori*, duci, & ductori aram erigit & inscribit.

y. Gen. 35. vers. 7. Altare inscriptum Deo forti Bethel.
z. Ios. 22. vers. vlt.
a. Iudic. 6. vers. 24.

Et ad hunc modum in Ecclesiâ noui Testamenti, altaria eriguntur in honorem Sancti alicuius, & ipsæ Ecclesiæ antiquitùs Tituli vocantur. De quo videatur R. P. *Iacobus Gretserus*. *b*.

b. Lib. 2. de Cruce c. 7.

CAPVT IV.

DE TABERNACVLO MOYSIS.

I. Ix ex Ægypto in desertum descenderat *Hebræorum* populus, cùm ocyùs *Tabernaculum* collatis donarijs exstruere illis à DEO imperatur, quod esset velut templum mobile, & per iter quo pergerent portatile, in quo & preces suas funderent, & obationes facerent.

II. Definitio & etymologia Tabernaculi.

Porrò *Tabernaculum* in generali, significat quodcumque tectum vel domum, & dicitur *Succah Hebræis*, à radice *Sacam*, quod significat velare, operire, tegere, vnde & *Miscan* ab eadem radice idem est quod habitatio, commoratio, vicinia. Strictiùs tamen & apud profanos etiam scriptores, vsurpatur pro tentorio, & appellatur *Hebræis Ohel*, à radice *Ahal*, quod extendere, siue expandere significat; & ita accipitur in Scripturâ, *a*. vbi *Abraham* legitur mouisse tabernaculum, id est, tentorium. Nec enim veteres illi Patriarchæ in domibus, sed in papilionibus seu casulis,

a. Gen. 13. vers. 18.

casulis, quasi peregrini cum suâ familiâ degebant. *b.* Hinc & *Latini* tendere vsurpant pro extendere tentorium; vt apud *Liuium*. *c*, *Coarctatio plurium in angustiâ tendentium.* Et *Virgilium*: *d.* b. Hebr. 11. v. 9. c. Lib. 7. de bel. Maced.

Hîc sæuus tendebat Achilles. d. Lib. 2. Aeneid.

De *Ismaele* quoque dicitur in sacris litteris, *e. E regione fratrum suorum figet tabernacula*, id est, illis bellum indicet instructo exercitu, fixisque tentorijs. e. Gen. 16.

III. Vsus varius

Tabernaculorũ vsus erat olim potissimùm in castris, vti etiam modò: vbi nihil frequentius extensione tentoriorum castrensium, sub quibus miles depellat iniurias aëris; & supellectilem suam, ac commeatum seruet. Constat certè filios *Israël* totis annis XL. in tentorijs siue tabernaculis commoratos in deserto, sine alijs habitaculis; Vnde in illius rei memoriam institutum *festum Tabernaculorum*, vti dicemus infrà.

IV.

Secundò *Tabernacula* seruiebant hospitibus excipiendis, & peregrinis, idq; pro commoditate temporis, & loci; quo fine *Abraham* etiam describitur tetendisse tabernaculum, & peregrinis hospitalitatem impendisse, *f.* ac secum illud tulisse quocumque pergeret. Vnde mouisse illud dicitur, f. Gen. 13. & alibi.

V.

Etiam pastoribus, quibus in oppidis certa mansio esse nequit, sed in agris suo gregi inuigilare solent, tentoria vsui sunt, vt ita faciliùs è loco in locum commigrent. Sic apud *Ieremiam g.* de *Rechabitis* dicitur, quòd in tabernaculis habitarent. g. Cap. 35. vers. 7.

VI.

Denique in lege veteri DEVS præcepit fieri tabernaculum velut templum mobile ac portatile, in quo preces suorum exaudiret. Erat velut domus DEI, in quâ eum *Hebrei* colebant, & ipse vicissim significabat se eorum protectorem & vmbraculum. Erat igitur instar tentorij castrensis, quod per desertum cum illis ambulabat, poteratque per partes dissolui & conuasari, quando erant mouenda castra. Sed de hoc paulò pòst.

VII. Materia.

Tabernaculum fuisse instar tentorij quod expandebatur, & funibus solo adhærentibus sustentabatur, ne in alteram partem collaberetur, ex dictis constat. Fiebant autem Tabernacula aliquando ex sagis, cilicio, pilis caprarum, aut camelorum: *h.* At frequentissimè ex corio & pellibus, quare tùm apud sacros, h. Exod. 26.

tum

i. Cant. 1.5. tum apud profanos, pelles pro tentorijs & tabernaculis vſurpari videas: Cuiuſmodi ſunt *pelles Salomonis*, *i.* quibus in feſto Tabernaculorum vtebantur; & *pelles terræ Madian*, *k.* id eſt, caſtrenſia *Madianitarum* tabernacula; vnde & *Pelliones* dicti, qui pelles conficiebant, ſub quibus milites hiemarent; quorum in enumeratione aliorum artificum meminit *Paternus*. *l.* Quo loco deprauatè legi *Pelliones*, eruditi obſeruant.

k. Habac. 3. v. 7.

l. Lege vlt. C. de iure immunit.

m. in Aurel. Meminit etiam tentoriorum pellium *Vopiſcus*. *m.* Frequens quoque illud apud *Cæſarem* & *Liuium*, *ſub pellibus hiemare*: atque illud peculiare, *n.* *Militem Romanum in opere & labore, niuibus priuinisq́ obrutum, ſub pellibus durare.*

n. Dec. 1. l. 5.

CAPVT V.

TABERNACVLI TOTIVS COMPENDIOSA DESCRIPTIO.

I. Tabernaculi deſcriptio.

1. Diuidebatur in Sanctum & Sanctum ſanctorum.



Abernaculum longum erat 30 cubitos, latum 10. altum 10. diuiſum erat in duas partes, ſcilicet in *Sanctum*, quod 20. cubitos in longitudine habebat, & *Sanctum ſanctorum*, quod reliquos decem cubitos longitudinis tabernaculi continebat. Erat ergò *Sanctum* qnadrangulum, quia erat longum 20. latum 10. cubitos: *Sanctum ſanctorum* verò erat quadratum, quia latum erat 10. cubitos, & longum erat totidem. *Sanctum* diuidebatur per velum à *Sancto ſanctorum*, quod erat oppanſum *Sancto ſanctorum*, factum ex byſſo, cocco, purpurâ & hyacintho, eratque appenſum ad quatuor columnas factas ex lignis *Setim* inauratis, quæ columnæ habebant capita aurea & baſes argenteas.

II. Secundò, quo ſpatio velum hoc ſit conſtitutum, ſcriptura ſubticet: ſed ſi ex templi, quod ad inſtar tabernaculi ædificatum eſt, velo conijcere licet, *Sanctum ſanctorum* tertiam tabernaculi partem occupabat, ita vt velum hoc tertiam hanc partem à reliquis dirimeret. *Sanctum* ergò *ſanctorum* vndique quadratum erat: tam enim in latitudine & longitudine, quàm in altitudine habebat decem cubitos. Huc alludens *S. Ioannes*, *a.* loquens de cælo empyreo ſignificato per Sanctum ſanctorum: Ciuitas, inquit, *illa in quadro poſita eſt.* Secun-

a. Apoc. 21. v. 16.

Secundò, hoc tabernaculum factum erat ex 20. tabulis lignorum ſetim inauratis,in longum porrectis ad meridiem, & totidem ad Septemtrionem, ad occidentem verò quæ erat pars latitudinis tabernaculi,connectens vtramq; partem longitudinis,ſcilicet meridionalē & ſeptemtrionalem, 8. habebat tabulas, ad orientē verò patebat, tantumq; habebat 5. columnas ex lignis ſetim inauratis, quæ velo tegebantur,ita vt columnæ tegerentur aureis laminis,capita verò eſſent aurea, nimirum vt claui vel capita columnarū eſſent ex auro, columnæ verò tegerentur cælaturis ſiue circulis aureis in gyrū euntibus: ſicuti columnæ atrij argenteis eiuſmodi gyris circumdabantur. Hac igitur parte erat ingreſſus in tabernaculum eleuato velo. Singulæ verò tabulæ habebant duas baſes argenteas: porrò per tabulas haſce à quolibet eius trium laterum, quinque immittebantur vectes, qui tabulas continerent.

III. Factū erat vtrimque ex 20. tabulis Setim inauratis.

Tertiò, tabernaculum hoc tam ſupernè quàm ad latera tegebatur Primò decem cortynis factis ex cocco, purpurâ, hyacintho ac byſſo, quarum quæque habebat 28. cubitos longitudinis, & 4. latitudinis, vnde hæ cortinæ vocantur hîc tentoria, quia erant in modum tentorij tenſæ & expanſæ. Secundò, tegebatur 11. ſagis, ſiue ſtragulis cilicinis, quorum quodque longum erat 30. cubitis, latum 4. cubitis. Tertiò, tegebatur pellibus arietum rubricatis. Quartò, pellibus ianthinis contra pluuias & procellas. Vnde hæ pelles vocantur tectum, id eſt operculum tegens tabernaculum. Hinc ſequitur, tabernaculum vndequaque tectum & velatum fuiſſe, nec habuiſſe feneſtram, ſed lumen anterius per oſtium admiſiſſe.

IV. 3. Tegebatur vndiq; 4. velis, vnde non habebat feneſtram.

Quartò ante tabernaculum erat *atrium* longum centum cubitis, & latum quinquaginta, quod pariter ſuis tabulis & cortinis cingebatur ad latera, ſupernè verò patebat, eratque ſub dio.

V. 4. Ante ſe habebat atrium.

Quintò, *atrium* hoc erat quaſi templum laicorum, laici enim numquam ad tabernaculum accedere, nec illud ingredi poterant. Rurſum, atrium hoc erat diuiſum in exterius laicorum, & interius ſacerdotum, in quo erat tum labrum æneum, tum altare holocauſtorum: illud enim debebat eſſe in atrio ſub dio, propter ignem, fumum & euaporationem, ac nidorem victimarum, quæ in

VI. 5. Atrium erat duplex 1. Laicorū. 2. Sacerdotum.

hoc altari cremabantur. Porrò atrium hoc ſacerdotum exiguo ſepto, vel muro trium cubitorũ altitudinis, diſtinguebatur ab atrio laicorum, ita vt laici ex ſuo atrio proſpicere poſſent vltra murum in atrium ſacerdotum, ibique videre holocauſta & victimas, quæ offerebantur in altari holocauſtorum.

VII. Sextò, in parte priori tabernaculi, puta in *Sancto*, erat *altare thymiamatis* obuerſum *Sancto Sanctorum* & propitiatorio; ita vt eò, per hiatum in pariete, ſiue in velo diuidente relictum, aſcenderet fumus thymiamatis, quod DEO adolebatur in hoc altari: ad latus dextrum huius altaris erat *candelabrum*, ad ſiniſtrum *menſa panum propoſitionis*. *In Sancto ſanctorum* verò erat *arca*, habens intra ſe tabulas legis, ſupra ſe propitiatorium; quod velabant duo *Cherubini*. Rurſum, in *Sancto ſanctorum* erat *vrna cum manna*, & *virga Aaron* quæ fronduerat. In atrio autem, vt dixi, erat altare holocauſtorum, & labrum æneum, vt ex eo lauarentur tum ſacerdotes, tum victimæ.


6. In Sancto erat altare thymiamatis, mẽſa & candelabrum: in Sancto ſanctorum arca, vrna cum manna & virga Aaron: in atrio altare holocauſtorum & labrum.

VIII. Septimò, *Sanctum ſanctorum*, id eſt ſanctiſſima pars tabernaculi, erat quaſi chorus, in quem ſolus Pontifex ingredi poterat, idq; ſemel in anno tantùm, puta in feſto expiationis. *b.* In *Sanctum* verò quotidie ingrediebantur ſacerdotes manè & veſpere, vt adolerent thymiama, & vt veſpere accenderent lucernas, manè eaſdem extinguerent. Atrium verò erat locus populi. Simili ratione in tres partes diſtribuit poſtea templum ſuum *Salomon*: nam prima pars reſpondens huic atrio erat ſub dio, dicebaturque *vlam*, id eſt *Porticus Salomonis*, eratque locus & templum plebis: ſecunda pars propriè dicebatur templum, hebraicè *hechal*, reſpondens Sancto; in quo erat altare thymiamatis, cum menſâ & candelabro: tertia pars omnium intima, erat *debir*, id eſt oraculum, ſeu Sanctum ſanctorum.

b. Leuit. 16.

7. In ſanctũ quotidie intrabant ſacerdotes, in Sanctum ſanctorum ſolus Pontifex ſemel in anno.

Tres partes templi Salomonis.



CAPVT

CAPVT VI.

EIVSDEM TABERNACVLI TROPOLOGICA ET ALLEGORICA SIGNIFICATIO.


Abernaculum hoc cum ſuo atrio ſignificabat Eccleſiam & fideles *Chriſti*, *a* qui per velum fidei DEVM in terris contemplantur: in hoc *Aaron*, id eſt *Chriſtus* Dominus, eſt ſummus Pontifex; itaque Primò, atrium ſignificabat incipientium rudimenta, & communem *Chriſtianorum* vitam: vnde in eo erat altare holocauſtorum, quod vitiorum enecationem & mortificationem in DEI obſequium ſignificabat; item labrum ſiue lauacrum æneum, id eſt, pœnitentiæ Sacramentum, quo communes *Chriſtiani* maximè indigent. Secundò *Sanctum* ſignificabat *Chriſtianos* perfectiores; vnde in eo erat altare thymiamatis ſignificans iugem orationem, laudem & contemplationem DEI: & candelabrum ſignificans doctores, qui ſuâ ſanctâ vitâ & doctrinâ Eccleſiæ præfulgent; & menſa panum propoſitionis ſignificans eos qui dediti ſunt operibus miſericordiæ. Rurſum, alij per Sanctum intelligunt ſtatum perfectionis & vitam religioſam, triaque Religionis vota, ſcilicet per altare obedientiam, per menſam paupertatem, per candelabrum caſtitatem. Tertiò Sanctum ſanctorum ſignificat cælum, ſiue Eccleſiam triumphantem: vnde in eo erat arca teſtamenti, id eſt cœtus Beatorum; & propitiatorium aureum, id eſt, humanitas *Chriſti* glorioſa; denique *Cherubini*, id eſt, angeli ſancti, quibus Deus glorioſus eminet, inſidet & præſidet, atque Beatis omnibus, tam angelis, quàm hominibus in cælo clarè videndum ſe exhibet, itaque eos beat. Rurſum in Sancto ſanctorum eſt vrna cum manna; quia in cælo eſt abundantia diuinæ ſuauitatis, ſatietatis & conſolationis. Denique ibi eſt *virga Aaron*, quæ ſicca reuixit, & protulit frondes, flores & fructus, quia in reſurrectione & gloriâ cæleſti corpus reſurget, gloriaque cum anima donabitur, atque proferet quatuor dotes, ſcilicet agilitatem, ſubtilitatem, claritatem, impaſſibilitatem. Ita S. V. N. *Beda*. *b*.

Marginalia: I. a. 1. Tim. 3. verſ. 15. Tabernaculum eſt Eccleſia. &c. — 2. Sanctum ſunt perfectiores. — 3. Sanctum ſanctorum eſt cælum. — b. In c. 25. Exodi.

II. Tabernaculum Dei eſt anima ſancta.

Hæc omnia proportionabiliter accommodari poſſunt cuilibet animæ *Chriſtianæ* & ſanctæ, quæ per pœnitentiam, charitatem, aliaſque virtutes fit & eſt tabernaculum & templum DEI: *c. Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Similia & alibi. *d.* vide *Origenem. e.*

Huc ſpectat illud *Philonis*: *f. Etiamſi,* inquit, *tota terra aurum, aut ſi quid auro pretioſius eſt, repentè fieret, moxq́ per opificum artes in porticus, veſtibula, aulas, areas, ædesq́ ſacras impenderetur, ne ſcabellum quidem pedibus DEI poſſet fieri: dignum tamen eo domicilium anima eſt, modò ſit idonea.*

c. 1. Cor. 3. verſ. 16.
d. Epheſ. 3. verſ. 17. Rom 8. v. 9.
e. Hom. 9.
f. Lib. de Cherub.

III.

Quapropter *S. Bernardus* laudat *Theobaldum* Comitem, quòd ſuis Religioſis monaſteria & templa ædificaret, in quibus viua & immortalia Dei templa, puta viri religioſi, habitarent, Deoque ſeruirent. *g.*

Iſidorus verò monachus: *h. Præſtabilius eſt,* inquit, *ægrotorum fidelium corpora, quæ veriùs templa Dei cogitare poſſumus, & ob quæ pecuniæ quæruntur, conuenienti curâ reſtaurare, quàm templa lapidea ædificare.*

g. Auctor vitæ l. 2. c. 8.
h. Sozom. l. 8. c. 12.

IV. Vaſa templi in egentes erogarunt Sancti.

Simili ratione motus *Acacius Amidæ* Epiſcopus, vaſa aurea & argentea Eccleſiæ vendidit, vt pauperes captiuos redimeret & aleret. *i.*

Sic & *S. Auguſtinus* ſecutus *S. Ambroſium, de vaſis Dominicis propter captiuos, & quàm plurimos indigentes frangi & conflari juſſit, atque indigentibus diſpenſari,* inquit, *Poſſidonius. k.*

i. Socr. l. 7. cap. 21.
k. In vita S. Aug. c. 24.

V.

Hoc ergò animæ tabernaculum in introitu habet lauacrum pœnitentiæ, & altare mortificationis. In Sancto tria habet vaſa pretioſa, candelabrum, menſam, altare thymiamatis. Tria enim ſunt in appetitu noſtro, quæ ijs indigent vaſis, mala: tenebræ ignorantiæ, eſuries & inopia cibi ſalutaris, peſtiferi halitus ſordidæ cogitationis & cupiditatis. Candelabrum, id eſt ſapientia, haſce tenebras diſpellit: menſa panum, puta menſa Euchariſtiæ, gratiæ & influxus Dei, hanc eſuriem ſatiat: altare thymiamatis, puta pia cogitatio & oratio, hos peſtiferos halitus abſumit: itaque ex Sancto, id eſt ex Eccleſia, imus in Sanctum ſanctorum, id eſt in cælum.

Atque

Atque hac de caussâ, scilicet ob tropologiam paulò antè datam, Ecclesiæ *Christianorum* ita olim ædificabantur, vt maximam haberent similitudinem cum tabernaculo *Moysis* & templo *Salomonis*, continebant enim *porticum, atrium, Sancta*, ac demum *Sancta sanctorum*. In *porticu* erant eiecti ex Ecclesiâ & infideles; in *atrio* erant pœnitentes; in *Sancto* populus; in *Sancto sanctorum* sacerdotes, ibique offerebant Deo sacrificia. Rursum, vti in templo *Salomonis*, ita & in Ecclesijs olim erat separatus locus mulierum à loco virorum, illique præerat diaconissa. Denique sicut *labrum* erat in tabernaculo & templo; ita & in Ecclesijs pro foribus erat *lauacrum*, quo omnis populus ingressurus templum manus ablueret. Ita *Baronius*. *l.*

VI. Templa Christianorum similia erant tabernaculo Moysis.

l. Tom. 1. A. C. 57.

Potest Secundò, tabernaculum hoc allegoricè significare *corpus Christi*. *Christus* enim & Ecclesia quasi vnum sunt; quia *Christus* est quasi caput & anima Ecclesiæ. Ita *Nyssenus* & *Hugo*, & colligitur ex *Ioanne*; *m.* quod pulchrè prosequitur *Cyrillus*, *n.* vbi tum tabernaculum, tum omnia quæ erant in tabernaculo, *Christo* adaptat. Licet enim vnus sit *Christus*, multifariam tamen operatur & concipitur. *Christus*, inquit *Cyrillus*, *est tabernaculum propter carnis tegumentum: Christus est arca habens legem Dei reconditam, prout est Verbum Patris: Christus est mensa, quia nobis est cibus & vita in Eucharistiâ: Christus est candelabrum, quia est lux spiritualis animæ: Christus est altare incensi, quia est odor suauitatis in sanctificatione: Christus est altare holocausti, quia est hostia pro totius mundi vitâ in cruce immolata: rursum est altare, quia super Christum & Christi merita offerimus Deo preces, vota & victimas nostras.* *Tabernaculum* ergò repræsentabat *corpus Christi*, tum naturale, puta humanitatem *Christi*; tum mysticum, quod est *Ecclesia*.

VII. Secundò, tabernaculum allegoricè est corpus Christi.

m. Cap. 2. vers. 19.

n. Lib. 4. in Ioan. c. 28.



CAPVT VII.

TABERNACVLORVM FESTVM QVA DE CAVSSA INSTITVTVM? EIVS RITVS ET SACRIFICIA. ITEM OCTAVA, SEV FESTVM COETVS ET COLLECTÆ.

I. ELEBRABATVR hoc festum XV die mensis septimi, durabatq; per septem dies. Græcè dicitur scenopegia, à figendis tabernaculis: σκηνὴ enim est *tabernaculum*, πηγία est fixio siue *compactio*. Ridiculum enim est, quod putant nonnulli dici φαγία, id est *comestio*, & κοινὴ, id est communis: quòd hoc festo *Iudæi* comederent in publico, siue loco communi.

II. Origo festi. Institutum est hoc festum in memoriam protectionis diuinæ, quæ *Hebræos* in deserto ita protexit, vt sine domibus in tabernaculis per XL. annos hieme & æstate vixerint. Quare in deserto numquam celebratum est hoc festum, quia ibi agebatur ipsa rei veritas, & continuum quasi festum tabernaculorum, sed postea in eius memoriam quotannis celebratum est in *Chanaan*: ita vt partim in vrbe, puta in atrijs, foris, plateis, hortis, quin & domatibus, id est tectis domorum, vt patet apud *Nehemiam*, *a*. partim extra vrbem, cùm tutum esset, tabernacula construerent ex lignis siue palis, quibus alij ramos, alij pelles & lintea circumducebant, vti fit in tentorijs castrensibus, in ijsque ad septem dies habitarent. Cùm enim ex totâ *Iudæa Hebræi Hierosolymam* conuenirent hoc festo, & singulæ familiæ singula tabernacula construerent, vt ait *Iosephus*, *b*. nequaquam tot in vrbe construi poterant, quot omnibus sufficerent. Estque vero simile ita fuisse disposita tabernacula, vt quasi vrbs quædam fieret, & singulæ familiæ seorsim, omnesque per vicos & plateas distinctæ & ordinatæ habitarent; ita enim faciebant cùm per desertum peregrinabantur, cuius rei memoriam tunc recolebant.

a. Cap. 8. vers. 16.

Tabernaculorum descriptio.

b. Lib. 3. Antiq. c. 10.

III. Altera festi caussa. Secundò, hoc festum institutum est in fine anni, puta in Septembri, post collectas omnes fruges, vt de ijs gratias agerent Domino, nempe pro omni frugum genere, tam ex agris quàm hor-

tis &

tis & vineis percepto, anno illo elapso, ideoq; omnes masculi hoc festo templum adire, suaq; dona offerre debebant, vti præscribitur in Exodo. *c.* De holocaustis & victimis, quæ singulis hisce septem diebus mactabantur, alibi *d.* præcipitur, vt offerantur victimæ, pænè eædē quolibet die, scilicet arietes duo, & agni quatuordecim; nisi quòd primo die vituli tredecim, secundo verò duodecim, tertio vndecim, & ita consequenter diminuendo semper offerebantur: die verò octauo, qui erat cœtus, siue collectæ (de quo paulo pòst agemus) tantū offerebant vitulū vnum, agnos septē, &c.

c. Cap. 23. vers. 14.
d. Num. 29. vers. 12.

IV. Denique *Hebræi* septimo die festi huius circumeunt altare septies, portantes ramos in memoriam expugnatæ *Iericho* à *Iosue* septeno vrbis circuitu. *e.* Iubebantur enim *Iudæi*, manibus gestare quatuor arborum ramos, vel fructus; Primò *arboris pulcherrimæ*, id est citri, ita *Chaldæus.* Vnde & *Iosephus* fructus huius arboris vocat mala persica; mala enim citria, auctore *Dioscoride*, vocantur persica & medica, quia ex *Persia* & *Mediâ* in *Italiam* sunt aduecta, teste *Plinio.* Citrum fuisse hanc arborem, docet etiam R. *Moses Ægyptius. f.* Dices, *S. Hieronymus g.* dicit fuisse cedrum. Respondeo, Per cedrum, citrum intelligi: nam mala citria etiam cedromela, quasi mala cedri vocantur, teste citato *Dioscoride.*

e. Iosu.6.v.16.
In festo tabernaculorum Iudæi gestabant citrū, palmas, myrtum & salices.
f. Lib.3. More c. 44.
g. In c. 14. Zachar.

V. Secundò, *spatulas*, id est ramos palmarum. ita septuaginta. Tertiò, ramos *ligni densarum frondium*, id est myrti. ita *Iosephus Chaldæus*, & *R. Moses* suprà. Quartò, *ramos salicis.* Harum ergò quatuor arborum pulchrarum, diuque virentium atque odoratarum (citrus enim & myrtus boni odoris sunt) ramos in festo tabernaculorum gestare debebant *Hebræi*, vt recordarentur se à solitudine in terram feracem, & arboribus optimis abundantem translatos esse; gestare, inquam, non tantùm primo die festi, vt censuit *Abulensis*, sed per septem continuos festi dies: hoc est enim quod dicitur. *h. Celebrabitis solemnitatem septem diebus.* Et ita intellexit R. *Moses, Burgensis, Ribera*, & alij: idque vt per septem dies significaretur, *Hebræos* multis annis commoratos fuisse in deserto, indeque plenum gaudium in terrâ promissâ eis obuenisse; hoc est enim quod sequitur: *Et lætabimini corā Domino.* q. d. gestantes ramos hos & fructus, saltabitis in sanctuario coram Domino.

h. Leuit. 23. vers. 40.

Tripudijs

Tripudijs enim ſolebant veteres celebrare ſua feſta, vt patet ex
i. 2. Reg. 6. verſ. 14. Exod. 32. 19. Ibid. 19. 20. Scripturâ. *i.* Ita *Abulenſis*, qui & addit: *Dicunt aliqui, quòd quando Iudæi habebant iſtos ramos in manu, habebant cum eis colligatos & fructus, & ſic ſaliebant eleuantes & deprimentes illos fructus ad omnem differentiam poſitionis, quo ſignificabant id eſſe ad laudem DEI, qui erat Dominus omnium poſitionum mundi.*

VI. Octauam huius feſtiuitatis celebrabant quoque *Iudæi*, & vocabatur feſtum cœtus atque collectæ. Erat hoc feſtum ſolenne,
k. Cap. 7. num. 37. vnde à *S. Ioanne* k. *vocatur dies magnus feſtiuitatis.* Nota, hoc feſtum dici cœtus & collectæ, non tam pecuniarum aut eleëmoſynarum, vti volunt nonnulli, quàm hominum & populi, qui congregabatur octauo die in tabernaculo, & poſtea in templo, vt ſimul adunatus gratias ageret Deo ſolemibus ſacrificijs, quòd poſt longam illam in deſerto peregrinationem omnes tribus ſaluæ veniſſent in terram promiſſam. Simili ratione dies ſeptimus azymorum, vocatur dies cœtus & collectæ: quòd omnes eo die ſimul conuenirent ad agendum gratias Deo, quòd eos in ægyptiacâ
Erat hoc feſtum collectæ non pecuniæ, ſed populi. ſeruitute diſperſos adunaſſet, & ſimul inde eduxiſſet. Quòd autem de collectâ, non pecuniæ, ſed populi hîc agatur, indeque feſto inditum ſit nomen cœtus ſiue collectæ, patet Primò, quia in *Hebraico* hoc feſtum vocatur at ſeret, quod ſignificat *cœtum* ſiue
Prob. 1. *congregationem*, non pecuniæ, ſed populi. Secundò, quia Chal-
2. dæus apertiſſimè hanc vocem *at ſeret* vertit *Keniſcin tehon*, id eſt *col-*
3. *lecti eritis.* Tertiò, quia Septuaginta ſemper hanc vocem vertunt
l. q. 32. Exodium quid? ἐξόδιον; Exodium autem teſte *Theodoreto l.* finem feſtorum indicat; *& exodium* apud *Liuium*, m. *Iuuenalem*, n. *Pollucem*, o. *Sui-*
m. Lib. 7. n. Sat. 6. o. Lib. 4. *dam* & alios carmen erat, quod in exitu alicuius, maximè comœdiæ aut ſcenæ, canebatur. *Iuuentus*, inquit *Liuius*, *hiſtrionibus fabellarum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo, ridicula intexta verſibus iactare cœpit, quæ inde exodia appellata, conſertaq; fabulis, potiſſimùm Atellanis ſunt.* Vnde eò alludentes Septuaginta feſtum hoc exodium vocarunt, eò quòd clauderet ſollennitatem feſti tabernaculorum publicâ & communi gratiarum actione & plauſu, quo peracto tabernaculis exeuntes, ad ſuas ſedes & vrbes remea-
4. bant. Quartò, quia ſimilem collectam fecit rex *Salomon*, non pecuniæ,

cuniæ, erat enim ipſe ditiſſimus & liberaliſſimus, ſed populi in octaua dedicationis templi. *p*. Non nego tamen, potuiſſe hoc feſto, fieri collectam pecuniæ, pro templo & miniſtris DEI ante diſceſſum populi, ſed illa poterat fieri & alijs feſtis, & maximè ſeptimo die azymorum. Verùm non inde vocatur hoc feſtum cœtus vel collectæ, neque hic fuit præcipuus feſti huius finis. p. 2. Paral, 7. v. 9.

CAPVT VIII.

MYSTICA ET ALLEGORICA FESTI TABERNACVLORVM EXPOSITIO.

I. MYSTICE, ſeptimus menſis eſt tempus gratiæ. Primum eius feſtum eſt *Tubarum*, id eſt prædicatio Apoſtolorum. Secundum *Expiationis*, id eſt pœnitentiæ & contemptus illecebroſarum voluptatum, cui ſtudere debent omnes verè ad Deum conuerſi. Tertium *Tabernaculorum*, quia totius vitæ *Christianæ* gradus eſt viuere hîc vti in tabernaculo, per ſeptem dies, id eſt totâ vitâ, vt ſcilicet vtamur rebus huius ſæculi quantum neceſſe eſt, non ampliùs, & totâ mente per deſertum huius mundi feſtinemus ad cæleſtes manſiones, vt dicamus cum Pſalte: *Incola ego ſum & peregrinus, ſicut omnes patres mei*: In caſulis enim habitauit *Abraham*, cum *Iſaac* & *Iacob* coheredibus repromiſſionis eiuſdem.

1. Feſtum Tubarum. 2. Expiationis. 3. Tabernaculorũ.

II. Celebratur 15. die, cùm luna decreſcere incipit, quia qui bona ſæculi fluxa & caduca (quorum luna eſt ſymbolum) eſſe cognoſcit, hic feſtinat ad æterna. Septem eius diebus continuè offerimus holocauſta, quia totos nos noſtraque omnia Deo conſecramus. Geſtamus Primò citrum, qui colore eſt aureo, id eſt ardentem charitatem, quâ toti Dei gloriæ, & fratrum vtilitati incumbimus. Secundò, ſpatulas palmarum, quia quaſi victores terrena omnia calcamus, dum noſtra conuerſatio in cælis eſt. Tertiò, lignum denſarum frondium, puta myrtum, id eſt odoriferam virtutum omnium denſitatem, & continuum earum exercitium. Quartò, ramos ſalicis virentis, quia ſtabili firmitate in noſtro virtutum ſtatu & virore perſeuerare debemmus. Hi de torrente

Geſtatur. 1. Citrus. 2. SPatulæ palmarum. 3. Lignum denſarum frondium. 4. Rami ſalicis virentis.

ſumuntur, quia niſi crebrò in lege Dei meditemur, Deique gratiam imploremus, marceſcet in nobis ille animi vigor. Hæc qui fecerit, lætabitur coram domino, & hilarem ſemper in eodem vitam aget.

III. a. In c. 14. Zachar.

Rurſum *S. Hieronymus*, *a.* per lignum pulcherrimum accipit ſapientiam, per palmas victoriam, per myrtum mortificationem, per ſalices caſtitatem. Nam *medici*, inquit, *& phyſici tradunt, quòd ſi quis ſalicis florem miſtum aquâ biberit, omnis in eo frigeſcat calor, & libidinis vena ſiccetur, vt vltrà filios generare non poſſit.* Hiſce ornati in tabernaculis huius vitæ, pariter & armati, tendimus ad domum noſtram paratam in cælis. Salices ergò, æquè vt lactucæ, agnus caſtus, &c. humorem venereum minuunt, & caſtitatem fouent ac tuentur.

IV. Octaua eſt feſtum cœtus & collectæ.

Quartum feſtum ſequens, & finiens feſtum Tabernaculorum, puta eius *octaua*, eſt feſtum *Cœtus & collectæ.* hoc ſignificat octauam reſurrectionis, quando ex tabernaculis hiſce exeuntes colligemur ad concilium & congregationem Sanctorum in cælis, de quâ canit Pſaltes: *Beati qui habitant in domo tuâ Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Tunc nullum opus ſeruile faciemus, quia tunc ceſſabit omne peccatum, omnis etiam labor & dolor. Offerimus holocauſtum Domino, quia totis viribus totaque contentione animæ Deum ſpeculabimur & amabimus, ibi enim implebimus illud, *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & ex totâ fortitudine tuâ;* & illud, *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.* Ita *Radulphus*, & ex parte *Iſychius*, atque ex ijs *Ribera. b.*

b. Lib. 5. de Templo. cap. 10.

V. Allegoricè feſtum Tabern. & feſtum nat. Chriſti, cū ſeqq.

Allegoricè etiam *Rupertus* noſter appoſitè & eleganter hæc accommodat feſtis natalitijs Chriſti Domini. *Sicut enim Paſcha & Pentecoſte Iudæorum,* inquit, *ſignificabat Paſcha & Pentecoſten Chriſtianorum; ita feſtum Tabernaculorum, quod in exitu anni celebrabatur, ſignificabat feſtum Natalis Domini, quod in fine anni celebratur. Tum enim lætabundi, terræ noſtræ virgineæ, puta B. MARIÆ, fructum, ſcilicet Chriſtum in Bethlehem colligimus, & fructum arboris pulcherrimæ, id eſt Virginis intemeratæ filium, in Euchariſtiâ ter offerimus & ſumimus. Chriſtus enim in ſtabulo & hoſpitio natus eſt, vt hic*

nobiſcum

nobiſcum quaſi in tabernaculo verſaretur, noſque ex eo ad patriam cælestem deduceret: adſunt & palmæ; hoc enim Chriſti feſtum comitatur & ſequitur S. Stephani *martyrium & victoria: adeſt & lignum denſarum frondium, videlicet* S. Ioannes *denſa & altiſſima myſteria eructans: adſunt & paruuli* Innocentes, *qui quaſi ſalices de torrente, fructum operum non habentes, ſubitò per ſolam Dei gratiam, ad viriditatem ſalierunt æternæ patriæ, & paradiſi cæleſtis.*

CAPVT IX.

DE EXCELSIS IN SCRIPTVRA SÆPIVS INCVLCATIS.



QVÆRES quænam fuerint hæc excelſa quorum tam crebra in libris Regum & Prophetarum fit mentio? Reſpond. Excelſa erant luci, ſiue ſiluæ & nemora in excelſis montibus, collibus & vmbroſis receſſibus conſita, in quibus gentes pleræque ſolebant ſacella & altaria erigere, teſte *Homero, Virgilio* & alijs, qui docent, veteres in nemoribus ſepulchra ſuis defunctis extruxiſſe, in quibus primò parentalia celebrabant, ſiue parentabant heroibus populi, ac mox ijſdem quaſi Dijs ſacrificare cœperunt. Id fecerunt, tum quia loca excelſa ceteris altiora ſunt & viciniora cælo, ideoque plus venerationis apud rudem populum obtinent.

I. **Excelſa quæ?**

Vnde *Altare* dictum eſt ab altitudine, quaſi *alta ara*, in quâ altiſſimo Deo ſacrificatur; & Græcum Βωμὸς, id eſt altare, dictum eſt ab Hebræo *Bama*, id eſt excelſum; quamquam altare propriè non erat excelſum. Nam ſcriptura *a.* diſtinguit inter altare & excelſum, ſed potiùs altare erat in excelſo, ſcilicet colle aut monte. Rurſum nemora, quia condenſa & ſilentia, ſacrum quemdam horrorem Gentibus inijciebant, qui ſuperſtitioſè cenſebant ibi habitare Deos, quos *Satyros* & *Faunos* quaſi ſiluarum Deos nuncupant. Vnde templa dicta ſunt fana à *Faunis*; niſi malis à fando, id eſt oracula dando, nomen ſortita. Tertiò, ſiluæ copioſam ſuppeditant lignorum materiam ad fabricandum ſacella, altaria & ſtrues pyrarum, quibus victimæ comburantur, idcircò in ijs excelſa eri-

II. **Altare & excelſum differunt.**

a. 4. Reg. 23. 15.

Templa vnde fana dicta?

 ſa eri-

ſa erigebant. Denique ſiluæ, quia frondoſæ & amœnæ, excitabant Gentiles, vt in eis ſacra ſua carnalia, quibus *Baccho* per ſympoſia & crapulam, *Veneri* & *Priapo* per luxuriam ſeruiebant, exercerent.

III. Sic *Cyrus* & *Perſæ* teſte *Xenophonte*, *b.* ſacrificabant in locis excelſis. Idem de alijs docet *Apollonius*. *c.* De *Romanis* idipſum conſtat ex *Capitolio*, in quo colebant *Iouem Capitolinum*. Audi *Virgilium*. *d.*

b. Lib. 8.
c. Lib. 2.
d. Lib. 8. Aeneid.

Hinc ad Tarpeiam ſedem & Capitolia *ducit,*
Aurea nunc, olim ſilueſtribus horrida dumis.
Iam tum relligio pauidos terrebat agreſtes
Dira loci: iam tum ſiluam, ſaxumq́ tremebant.
(Quis DEVS incertum eſt) habitat DEVS: Arcades ipſum
Credunt ſe vidiſſe Iouem.

e. Eclog. 7.

Idem *Virgilius* *e*, arbores proprias, quas Gentiles Dijs ſuis in his lucis ſacrabant, ita recenſet.

Populus Alcidæ *gratiſſima, vitis* Iaccho,
Formoſæ myrtus Veneri, *ſua Laurea Phœbo,*
Phyllis *amat corylos.*

IV. *Chananæos* pariter in excelſis lucis ſiluiſque ſuos DEOS coluiſſe, patet ex eo, quòd DEVS crebrò jubeat *Hebræis*, vt illas ſuccendant & exſtirpent, vt patet, *f.* quibus locis directè quidem & expreſsè vetat DEVS ne excelſa habeant talia, qualia habebant *Chananæi*, in quibus ſcilicet DEOS falſos colebant; indirectè tamen vetat quoque ne ſibi pariter in excelſis ſiluis & lucis ſacrificent, ſed tantùm in Tabernaculo & altari ad id à ſe deſtinato, & à *Moyſe* fabricato, ac præſertim in templo mox à *Salomone* fabricando.

f. Exod. 34. verſ. 13. Deutr. 7. 5. & c. 12. v. 2. & c. 16. v. 21.

V. Excelſa duplicia.

Excelſa ergò *Hebræorum*, de quibus in libris Regum & prophetarum crebra eſt mentio, erant duplicis generis. Vna, in quibus inſtar Gentium colebant earum Deos & idola. Hæc manifeſtè erant illicita, quia idolis dicata in DEI veri iniuriam. Vnde in ea grauiſſimè inuehuntur & detonant Prophetæ. *g.* Hinc *Salomon* grauiſſimè peccauit, quòd in gratiam vxorum ſuarum Gentilium, earum dijs & idolis fecerit lucos & excelſa, ibique eos adorarit,

g. Hier. 7. verſ. 31. Ezech. 6. 3. Oſee. 10. 8.

quæ

quæ proinde *Ezechias* rex dissipauit, *Manasses* eius filius impius restituit, *Iosias* funditus aboleuit.

Altera excelsa erant, in quibus *Hebræi* non idolis, sed Deo vero sacrificabant. Sic *Gedeon* in excelsâ petrâ sacrificium Deo obtulit. *h*. Idem fecit *Samuel* in excelso. *i*. & *Salomon* sacrificauit in excelso *Gabaon*, *k*. id est, in Tabernaculo *Moysis*, quod tum situm erat in excelso & frondoso colle *Gabaon*. Porrò Deus hæc secunda excelsa non amabat ob periculum gentilismi & idololatriæ, tolerabat tamen, donec ædificaretur fixum & stabile templum à *Salomone* in *Hierusalem*: nam ante illud, Tabernaculum *Moysis* erat mobile, & ab vno loco transportabatur in alium, immò separatum erat ab altari. Vnde multis incommodum erat & difficile in eo sacrificare, ideoque alio loco excelso suas hostias immolabant. VI.


h. Iudic. 6. vers. 26.
i. 1. Reg. 9. vers. 19.
k. 3. Reg. 3. vers. 4.

Hinc pij reges, vt *Asa* & *Iosaphat*, permiserunt excelsa Deo vero erecta, vel si illa erant idolis statuta, permiserunt ea, quia ob inueteratam populi idololatrantis consuetudinem metuentes seditionem & rebellionem, illa impedire & tollere non potuerunt. Itaque vt excelsa omnia tollerentur, voluit Deus à *Salomone* ædificari templum, in eoque solo sibi sacrificari, vt in vno templo seruaretur vnitas religionis & *Iudaismi*, ac *Iudæi* planè arcerentur à profanis fanis & excelsis & sacrificijs Gentilium, post templi verò fabricam excelsa fuêre illicita, ideoque *David*, *Ezechias* & *Iosias* ea sustulerunt, licet *Asa*, *Amasias*, & *Iosaphat* ea tolerarint metu maioris mali, ne scilicet si excelsa Dei tollerentur, populus ad excelsa Deorum & Gentium, hoc est ad idola deflecteret. Vnde de ijs dicitur: *Fecit rectum ante conspectum Domini, &c. veruntamen excelsa non abstulit. l.* VII.

l. 3. Reg. 15. 11. & 14. &c.

* * *





PARS II.

TEMPLA IVDAEORVM VSQVE AD CHRISTVM.

CAPVT I.

I. Dauid auctor Templi Salomonis.



EMPLO *Salomonis* caussam præbuit ipse *Dauid*, qui indignabatur, quòd ipse habitaret in domo cedrinâ, & arca Dei maneret sub pellibus. *Quis enim*, ait, *poterit praualere vt ædificet ei dignam domum? Si cæli cælorum eum capere non possunt, quantus ego sum vt possim ædificare ei domum? a.* Et quidem fundamenta domus illius augustissimæ jácere potuit, at perficere illam non potuit, propter effusum sanguinem innocentis *Vriæ*; verùm filius illius *Salomon*, Regum omnium vt potentissimus, ita & sapientissimus, eam compleuit, arcamque intulit, & repleuit eam maiestas Domini, eamque sanctificauit vt poneret nomen suum ibi in sempiternum. De huius autem Templi splendore, cultu, formâ, amplitudine, paulò pòst nonnulla dicemus.

a. 2. Paral. 2.

II. Idem *Templum* fuit primus locus, vt ita dicam, fixus & stabilis, abrogato jam mobili *Tabernaculo*; in quo Deo cultus debitus exhibitus fuit, & ad quem in necessitate populus conflueret, eumque Deus de excelso cælorum habitaculo exaudiret, eique propitius fieret. *b.* Stetit autem hoc templum augustissimum à *Salomone* ædificatum annis CCCC. & X. vsque ad annum XI. & vltimum *Sedeciæ* Regis, quando à *Chaldæis* euersum fuit & incensum. Verùm restaurauit illud, permittente *Cyro Rege Persarum*, *Esdras*, & intra annos XLVI. absoluit ædificationem, quæ tamen longè inferior erat, neque ad pristinum splendorem accedebat. Vnde è captiuitate reduces *Iudæi* lacrymabantur, videntes templum, vt in quo, juxta obseruationem *Galatini c.* præter magnificentiam

b. Ibid. c. 6. Stetit annis 410.

Esdras illud instaurauit.

c. Lib. 4. c. 9. cont. Iud.

ficentiam incomparabilem, defuerit Arca, Ignis de cælo allatus, Dei maieſtas, Rationale Iudicij, & oleum vnctionis. Ceterùm hoc etiam Templum ab *Eſdrâ* reſtauratum, funditùs euerſum fuit, & per *Machabæos* legum patriarum æmulatores reſtitutum, præeunte in hac pietatis palæſtrâ *Iudâ* fortiſſimo duce, ſuoſque ad id excitante, & dicente: *Ecce contriti ſunt inimici noſtri, aſcendamus nunc mundare ſancta, & renouare.* d.

3. Per Machabęos reſtitutum.

d. Lib. 1. Mach. c. 4.

III. Sed & *Ananias Oniæ* filius, quem *Menelaum* vocat Scriptura, e. aſſumpto ſibi ſummo ſacerdotio, obtinuiſſe traditur, *teſte Egeſippo,* f. vt apud *Heliopolim* conſtrueret templum *Hieroſolymitano* ſimile, pro populo qui in *Ægyptum* profugerat, illicque pontificatu fungeretur. g

Templum Heliopolitanũ à Menelao conſtructum.

e. Lib. 2. Mach. c. 4. f. Lib. 2. tit. 23. g. Niceph. l. 1. c. 6. Ioſ. l. 12. c. 9. Ant & lib. 7. de bell. Iud. cap. penult.

IV. Porrò templum quod *Machabæi* repurgarant & renouarant, *Herodes Idumæus* ſiue *Aſcalonita* cum ipsâ vrbe *Hieroſolymâ* ex parte euertit; & ne impietatis maculam apud omnes ſibi inurere videretur, anno 18. regni ſui, templo veteri integro manente, & incluſo, defoſſis quæ ſuperfuerant de templo *Salomonis* fundamentis, noua excitauit, & ad illius ſimilitudinem, magnitudinem & dignitatem exterius direxit, immenſoque ædificandi ſumptu per annos 8. ante *Chriſti* ortum decimo vix abſoluit; vt pleniùs habetur apud *Egeſippum,* h. & *Ioſephum,* i. Scribit de eo *Dio Caſſius:* k. *Hoc templum tempore Pompeij Magni Deo ſtructum, ſummæ molis pulcherrimum, nullo culmine tectum.*

4. Ab Herode ſumptuosè ædificatum.

h. Lib. 1. i. Lib. 15. cap. 14. Antiq. & de bel. Iud. l. 1. cap. 27. k. Lib. 37.

V. Hoc templum ſecundum funditus deſtructum, expugnatâ *Hieroſolymâ* à *Tito* Cæſare poſt 40 annos aut paulò plures à Domini noſtri crucifixione, vt ſcribunt *Ioſephus,* l. *Oroſius,* m. *Egeſippus,* n. & alij. Prædixerat Dominus idipſum.

l. Lib. 7. de bel. Iud. cap. 17. & 18. m. Lib. 7. cap. 6. n. Lib. 5.

Et quamuis *Iudæi* tertiò conati fuerint hoc templum reſtaurare, ſub *Adriano, Conſtantino,* & *Iuliano* Impp. numquam tamen potuerunt. nempe aduenerat iam veritas quæ vmbras veteres non ſuſtinebat: videlicet nouum ſacerdotium, & ſacrificium à *Chriſto* inſtitutum, adeoque noua templa & altaria, quorum typi & figuræ fuerant prius illud templum & tabernaculum.

A Tito deſtructũ, Iudæi conati reſtaurare.

Præter

VI. Præter hoc templum augustissimum, in quod ad publica sacrificia, & solemnẽ Deo cultum exhibendum conueniebant *Iudæi*, 480. Synagogæ Hierosolymis. plures erant *Synagogæ*, siue domus, ad quas singuli parochi statis temporibus coueniebant, & conferebant de lege, cæremonijs, & alijs nonnullis ad religionis cultum promouendum spectantibus. Fuisse autem CCCC. & LXXX. numero propter amplitudinem ciuitatis, scribit *Rabbi Menahem*.

VII. Templum Samaritanorum in monte Garizim. Paulò pòst *Samaritani*, seu *Cuthei*, aliud templum ædificarunt in monte *Garizim*. Initium fuit & caussa *Manasses* frater *Iaddi*, sacerdotis DEI, qui inhians Pontificatui, vxorem duxit filiam *Sanoballath Samaritanorum* Principis, præfecti Regis *Persarum*, ædificauitque templum *Garizim Hierosolymitano* simile, ad quem ibi Pontificatu nouo fungentem, rerum nouarum cupidi sese transtulerunt. *o*.

o. Ioseph. lib. 11. Antiq. c. 8.

VIII. Hinc cœpit schisma inter *Iudæos*, qui prophetico templo adhærebant, & vero Sacerdoti; & *Samaritanos*, qui partes *Manaßis* sequebantur, quod fouerunt *Saddoch* & *Baiethos*, vt scribit *Rabbi Abraham* in *Cabalâ*. Mons verò *Garizim*, est mons in quo benedictiones factæ sunt seruantium legem DEI *p*.

p. Deut. 27. vers. 12.

Samaritani porrò illi, non erant planè in cultu DEI instructi, sed & DEO, & dæmonibus more gentium seruiebant; vnde pro hæreticis habebantur. *q*.

q. 4. Reg. 17.

IX. Stetit annis 200. Stetit hoc fanum *Cuthæorum* hæreticorum seu *Samaritanorum*, per annos circiter ducentos, vt ait *Elias Leuita*. *r*. Euertit autem illud *Ioannes* filius *Simeonis* filij *Hasmonei*, cognominati *Hircani*, & occidit hæreticos qui ibi offerebant sacrificia extra ædem Domini, & constituerant decreta & leges pro animi sui libidine, quamuis & hic aliâ occasione factus sit postea *Sadducæus*, vt scribit idem *Elias Leuita*.


r. In hist. Cabala.



CAPVT

CAPVT II.

TEMPLI SALOMONIS CVM ANTIQVI TVM INSTAVRATI FORMA.



EMPLVM Salomonis quod is ædificare cœpit anno quarto regni sui, idque post CDLXXX. annos, ab egressu filiorum *Israël* ex *Ægypto*, opus fuit mirabile, super ædificia quæ inter miracula orbis connumerantur, ædificatum annis centum & quadraginta tribus, priusquam *Tyrij Coloniam Carthaginem* conderent, teste *Iosepho* a. Multitudo pænè incredibilis operariorum adfuit *Salomoni* quoque ad opus consummandum: quorum erant septuaginta millia, qui onera portabant: octoginta millia Latomorum in monte, tria millia, trecenti eorum qui præcipiebant opera vltra eos qui faciebant opus. *b*. I. **Templum Salomonis quale.**

a. Lib. 8. Antiq. & lib. 1. cont. Appion.

Quot in eo operarij. b. 3. Reg. 5. 2. Paral. 2. & 3.

Forma & fabrica templi, & rerum quæ ibidem erant, ponitur in *Scripturâ*. *c*. Tres præcipuas habuit partes, prima erat templum clausum. Secunda, Atrium interius, seu Sacerdotum. Tertia, Atrium exterius, seu populi, in quo porticus constructa est à *Salomone*, postquam ædem totam perfecisset. II. c. 3. Reg. 6. & 7. & 2. Paral. 3. **Forma eiusdem.**

Templum illud habebat sexaginta cubitos in longitudine, viginti cubitos in latitudine, triginta cubitos in altitudine. Porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, iuxta mensuram latitudinis templi: porrò quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi, & viginti cubiti erant ad posteriorem partem templi: quadraginta cubitorum decem erant cubiti interiùs intercepti, & quod erat interceptum, vocabatur *Sanctum sanctorum*: quod autem erat extra, *sanctum* tantùm: auro autem omnia collucebant. Nonnulli quoque dixerunt, supremam quoque trabem fuisse auream: hîc solus Pontifex semel in anno ingrediebatur, illic & *Arca* sita erat, & *Cherubim*: illic etiam stabat altare aureum quò adferebatur thuribulum, ad nihil aliud paratum, quàm ad solum incensum, seu suffitum: Hoc autem fiebat semel in anno. III. **Porticus.** **Sanctum Sanctorũ.**

IV. Altare æneum. In extremo verò templo erat altare æneum, in quo quotidie afferebatur agnus, & comburebatur, & vocabatur sacrificium vespertinum: erat enim etiam aliud matutinum: bis in die oportebat altare incendi, præter alias hostias quæ offerebantur à populo. Hoc enim erat iussum, & lege statutum Sacerdotibus, vt ex se & ex domo suâ, quando nullus offerret, vnum matutinum, & vnum vespertinum agnum sacrificarent & comburerent. Quod iusserat DEVS fieri, significans per id quod fiebat, eum assiduè colere oportere: etiam cùm dies deficit. Hocq; sacrificium fuit semper acceptum, atque huiusmodi hostia: cùm tamen quod fieret pro peccatis, aliquando non esset acceptum, vt explicat S. *Chrysostomus*. *d.* Progressu temporum, atrium exterius interstitio murorum fuit separatum, vt anteriore parte viri, posteriore feminæ continerentur, & ab atrio Sacerdotum remotiores essent: vnde atrium nouum dicitur. *e.*

d. In Psal. 140.

Atrium exterius.

V. Atrium profanum. Hæc rursus omnia atria suas habuerunt porticus, ad meridiei & Septemtrionis latera, quibus vel imber, vel æstus vitari possent. Additum & aliud tandem Atrium profanum, & gentilitium, in quod exteri, & *Israëlitæ* non purificati, ad orandum conuenire possent. Et hæc omnia muro cingebantur, à quo totum spatium vsque ad atrium contentum mons domus dicebatur, mons DEI, *Moria*. Sunt enim in eodem tractu montis quatuor colles siue iuga, quæ quandoque vnâ appellatione *Sion* dicuntur, aliquando varia sortiuntur nomina. primus collis seorsim *Sion* dicitur, qui ob sui altitudinem respectu totius terræ specula vocatur, in quo etiam erat arx dicta ciuitas *Dauid*, quam à *Hierusalem* dirimebat hiatus quidam siue *Mello*. *f.* ibique erant sepulchra *Dauidis*, & aliorum Regum. Secundus collis erat mons *Moria*, vbi templum *g.* Tertius *Arca*, vbi noua ciuitas. Quartus *Golgotha*.

f. 2. Reg. 5.

g. 2. Paral. 3.

TEMPLI SECVNDI.

VI. Differentia primi & secundi Templi.

TEMPLVM quod reuersi è captiuitate *Babylonicâ* exstruxerant, anno secundo à solutione captiuitatis, id est; annis LIV. ex quo dirutum à *Chaldæis* fuerat, eamdem ædificij formam cum primo habuit, at magnificentiâ & ornatu longè inferius.

Primum enim à rege opibus florentissimo conditum est, Secundum à multitudine, quæ ex LXX annorum captiuitate, cum ijs tantùm opibus redierat, quas Rex *Persarum* exportari voluerat. Summa eius altitudo sexaginta cubitorum fuit, cùm primum centum & viginti habuerit.

Cubitos hîc aliter sumi, quã in superiori descriptione.

De hoc legimus *Cyri* decretum à *Dario* filio *Histaspis* confirmatum in hunc modum: *g. Anno primo Cyri regis, Cyrus Rex decreuit, vt domus* DEI *ædificaretur quæ est in Hierusalem, in loco vbi immolent hostias, & ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta, ordines de lapidibus impolitis tres, & sic ordines de lignis nouis, &c.*

g. 1. Esdræ, 6.

Atque ideò qui templum prius viderant, flebant cùm huius fundamenta iacta cernebant.

Hoc templum habuit vndequaque atria, licet fortasse non ita ampla, vt templum *Herodis*, ita enim ibidem scripsit *Iosephus*. *Ædificauerant enim Iudæi porticus quoq; quibus templum circumquaq; includebatur.* Hoc templum tempore *Ptolomæi Philadelphi*, & LXX. Interpretum, id est, ducentis octoginta annis ante *Christi* natalem (*Christus* enim natus est anno tertio olympiadis 194. LXX autem verterunt Scripturam olympiade 124. teste *Eusebio. h.*) habuit triplicem murum quo collis ille cingebatur. Ita enim *Aristæus* illorum temporum scriptor, tradidit, in libello de LXX Interpretibus, his verbis: *In cuius vertice templum apparebat visu pulcherrimum. Hoc muri tres circumambiunt, altitudine supra LXX cubitos sublime, latitudine eâ quæ altitudinem deceret, longitudine omnem templi apparatum magnifico opere & decore circumeunt, &c.* VII.

h. In Chron.

TEMPLI AB HERODE ÆDIFICATI.

HERODES *Iudææ* Rex, vt suprà tetigimus, ille inquam, qui infantes occidit, decimo octauo regni sui anno, post miranda & magna ædificia absoluta, ad templum DEI ædificandum animum conuertit, quòd videret ei, tam in altitudine, quàm in reliquo ornatu multum deesse prioris magnificentiæ. Nec antè VIII.

Forma templi ab Herode constructi.

 vetus

vetus templum demoliri voluit quàm vniuersam materiam futu-
i. Lib. 15. Antiq. c. 14. ræ fabricæ magnis sumptibus compararet. Templum deinde à fundamentis euertit, ac noua reposuit, & totum octo annis ma-
k. Lib. 5. hist. Iud. cap. 24. gnificentissimè exstruxit, vt tradunt *Iosephus*, i. & alter *Iosephus Gorionis* filius. k.

IX. Memorabile autem est, quod idem *Iosephus* scribit: *Fertur*, inquit, *toto tempore, quo templum struebatur, numquam interdiu pluisse, noctu tantùm imbribus descendentibus, ne interrumperetur templi ædificatio: eaq́ fama quasi per manus tradita, ad nos peruenit à maioribus.* Idem narrat alter *Iosephus*. l.

l. Lib. 5. cap. 26.

X. Certum autem est, istud templum ad prioris formam fuisse constructum, eisdemque locis altaria & cetera omnia collocata, quibus antea fuerant. De his ita *Iosephus*: m. *Sublatis deinde veteribus fundamentis, & nouis repositis, desuper templum exstruebat longitudine centum cubitorum, (quæ fuit in primo sexaginta) altitudine totidem, & viginti amplius, qui viginti cubiti, aliquantò post sidentibus fundamentis decesserunt, eosq́ denuò addere curauerunt nostri, &c. Neronis temporibus.* Et alter Iosephus: *Habuit autem illud templum, quod Herodes rex erexit, centum cubitos in longitudine, & centum in latitudine, in altitudine autem centum & viginti, in medio scilicet altitudinis ædificij, & fundamenta desubtus decem tenebant cubitos.*

m. Lib. 15. Antiq. c. 14.

XI. Quòd verò latitudinem centum cubitorum fuisse dicit, non de interiori latitudine intelligendum est, quia *Iosephus* n. viginti tantùm cubitorum fuisse docet, sed de exterioris faciei templi latitudine additâ parietum templi domuncularum, siue cellarum hinc inde constructarum crassitudine. Iosephus: *Constabat autem structura ex lapidibus candidis firmißimis, magnitudine viginti quinq́ cubitorum in longum, octo in altum; latitudine verò cubitorum duodecim.* Consentit omninò & alter Iosephus, atque addit: *Vnam & eamdem mensuram habebant omnes lapides à fundamento ædificij vsque ad summitatem eius.* Iosephus: *Habebatq́ Basilicæ similitudinem, hinc & inde humilius, media sui parte excelsum, à multis stadijs conspicuum, maximè ex aduerso habitantibus aut aduentantibus.* Eadem habet & alter *Iosephus*.

n. Lib. 6. de bel. c. 6.

Plura curiosus Lector de his reperiet apud *Riberam* libro

parti-

particulari de templo, *Ariam Montanum*, *Andream Masium*, & supradictum vtrumque *Iosephum*.

CAPVT III.

TEMPLORVM IVDAICORVM ORNATVS, SPLENDOR, MAGNIFICENTIA, ET CVLTVS.

DAVID parauit in sumptus templi tantum auri, argenti, & lapidum pretiosorum, vt incredibile videatur. *a* Et quidem si de ornatu templi *Salomonis* exteriori testimonium S. Scripturæ attendimus, ita de eo legitur: *b. Præcepitq; Rex vt tollerent lapides grandes pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos.* Iosephus sic habet: *c. Iecit igitur Rex in altissimã terræ profunditatem fundamenta templi, è saxis validissimis, quæ contra omnem temporum iniuriam resistere possent, ita vt cum contiguâ terrâ coalita, solum ac firmamentum imponendis substructionibus præberent: & propter inconcussam soliditatem, facilè molem ædificij cum apparatu ornamentorum sumptuosissimo perferrent, non minorem admirationem habitura, quàm quæ supernè ad amplitudinem, pulchritudinem, & magnificentiam operis per artifices elaborata sunt. Exstruxeruntq; illud vsque ad lacunar ex alto lapide, &c.* I. a. 1. Paral. c. vlt. & penult. & l. 2 c. 3. 4. 5. b. Lib. 3. Reg. 5. c. Lib. 8. Antiq. c. 2.

De summitate verò domus, hæc ait Scriptura: *Texit quoque domum laquearibus cedrinis*: tectum videlicet supremum, vt rectè ait Ricardus: *Et ædificauit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis, & operuit domum lignis cedrinis. Beda d.* Turriculas significat, (id est, latera siue parietes in modum propugnaculorum, aut minarum factos) quæ in supremo domûs tecto per circuitum erant factæ, ne quis ad altiora perueniens, repentè laberetur ad ima. II. Templi tabulatum quale? d. Cap. 9.

De lapidibus totius domus, & de toto ædificio ait: *Domus autem cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est, & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cùm ædificaretur.* Quod recentiores *Hebræi*, genus hominum fabularum appetentissimum, ideò factum tradunt, quòd *Salomon* III.

 haberet

Quando & quomodo lapides secti? e. 3. Reg. 5. f. q. 12. huius cap.

haberet sanguinem cuiusdam vermiculi, qui vocatur *Thamir*, quo aspersa marmora facilè secabantur. Verùm inane est eorum commentum & ridiculum: legimus enim *e.* lapides templi dolatos fuisse priùs à cæmentarijs, non ergò in sanguine vermiculi, sed ferramentis factum est. Quomodo hoc factum sit, Scriptura ipsa docet, vt benè adnotat *Abulensis, f.* & communis sententia. Videlicet lapides dolabantur in monte ipso, vnde excidebantur, & ita perfecti ac parati ducebantur in templum, vt nullo ferramento opus esset, vt aptè inter se cohærerent, quia præpositi latomorũ omnes parietum, & lapidum, & angulorum mensuras tenebant.

IV. Item ligna.

Atque idem dicendum est de lignis, ita enim legimus: *Præcepitq; Rex vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos. Quos dolauerunt cæmentarij Salomonis, & cæmentarij Hiram. Porrò Giblij præparauerunt ligna & lapides ad ædificandum domum.* Est autem *Giblos* aut *Gibel* vrbs *Phœnices*, huiusmodi peritis artificibus abundans.

Giblij qui?

V. Iudæi quã liberales in templum. g. 1. Esd. 1.

Iudæi qui ex captiuitate *Babylonicâ* cum *Zorobabele* redierunt, ad templum restituendum contulerunt auri drachmarum vnam & LX millia, argenti minarum quinque millia, & sacerdotales tunicas centum. *g.*

VI. Templum Heliopolitanum à quo, & cur ædificatũ.

Onias, Pontificis *Oniæ* filius, posteaquam *Menelao* patruo sublato Pontificatum *Alcimo* profano homini ab *Antiocho Eupatore* rege concessum animaduertit, cùm sibi tamen hereditario jure deberetur: profugus *Alexandriæ* degebat apud *Ptolomæum Philometorem*. Videns *Iudæam* vastatam à *Macedonibus* eorumque regibus, & sibi æternam memoriam parare volens: decreuit à rege *Ptolomæo* & reginâ *Cleopatrâ* per litteras petere, vt sibi liceret in *Ægypto* instar illius *Hierosolymitani* templi ædificare, & in eo Leuitas & Sacerdotes ex suo genere constituere. Hoc autem consilium cepit fretus maximè prophetæ *Isaiæ* vaticinio, qui ante DC ampliùs annos prænuntiârat, fore omninò, vt templum aliquando Deo maximo ædificaretur in *Ægypto*, idque hominis *Iudæi* operâ. *Ptolomæus* annuit, & in regione *Heliopolitanâ* locum concessit. *h.* Verùm perperam locum illum *Isaiæ* interpretatus est *Onias*; nil enim tale voluit *Isaias*; nam *Onias* vituperatus fuit à *Iudæis*, qui

h. Ioseph. lib. 13. c. 6. Antiq. & l. 7. c. 30. bel.


meritò

meritò hoc eius factum improbârunt; quia non licebat in lege veteri extra *Ierusalem* altare, vel templum Deo erigere: illi verò altaris erectores laudantur ab *Isaiâ*.

De sumptu ab *Herode* in templi restaurationem facto, diximus suprà. *Christus* ipse laudauit Viduam *i* quæ in Gazophylacium templi misit duo minuta, id est, omnem victum suum. Si ergò vidua illa rectè fecerit, in donaria Dei expendens omnem victum suum; non possunt argui, qui donant saltem partem bonorum suorum ad ornandam Dei domum. VII. i. Matth.12.

CAPVT IV.

TEMPLORVM DEDICATIO, ET ENCÆNIORVM DIES IN LEGE MOSAICA.



IN statu legis ad manum est *Moyses*, qui ex mandato Dei Tabernaculum cum vasis suis oleo vnctionis inunxit, vt sanctificarentur. Similiter altare holocausti, & omnia vasa eius, *a.* eamque cæremoniam Deo gratam fuisse, colligitur primò ex eo quòd ab illo præcepta fuerit. Secundò, quòd postquam ea perfecta fuerat, operuerit nubes Tabernaculum, & gloria Domini impleuerit illud. I. Tabernaculum dedicatum à Moyse. a. Exodi 40. v. 9. 10. 11.

Completo templo suo *Salomon* illius dedicationem maximâ cum exultatione & solmenitate celebrauit, eamque describit historia Regum, *b.* ac inter alia hæc leguntur. *Igitur Rex & omnis Israël immolabant victimas coram Domino* (nempe postquam arcam & omnia vasa sanctuarij quæ erant in Tabernaculo, ipsumque tabernaculum testimonij intulissent Sacerdotes in templum, aduocatis omnibus maioribus natu, principibus tribuum & Ducibus familiarum filiorum *Israël*,) *Mactauitq; Salomon hostias pacificas, quas immolauit Domino, boum 22000. & ouium 12000. & dedicauerunt templum Domini rex & filij Israël. In die illa sanctificauit Rex medium atrij, quod erat ante domum Domini: quippe fecit holocaustum ibi & sacrificium, & adipem pacificorum: quoniam altare æreum quod erat coram Domino, minus erat, & capere non poterat holocaustum* II. Dedicatio Templi Salomonis. b. Lib.3.c.8. 2. Praal. 5. &c.

locaustum, & sacrificium, & adipem pacificorum. Fecit ergò Salomon in tempore illo festiuitatem celebrem, & omnis Israël cum eo; multitudo magna ab introitu Emath vsque ad riuum Æpypti, coram Domino Deo nostro, septem diebus, & septem diebus, id est, quatuordecim diebus. Et in die octauâ dimisit populos: qui benedicentes Regi profecti sunt in tabernacula sua lætantes, & alacri corde super omnibus bonis quæ fecerat Dominus Dauid seruo suo, & Israël populo suo.

III. Ter dedicatum fuit templum. Ter autem templum dedicatum fuit. Primùm cùm à *Salomone* constructũ est, de quo paulò antè. Secundò, cùm reædificatũ fuit post captiuitatem *Babylonicã*. c. Tertiò, quando ex parte dirutum & pollutum à gentibus, mundatum & dedicatum est tempore *Iudæ Machabæi*. d. *Et ante matutinum surrexerunt quinta & vigesimâ die mensis noni (hic est mensis Casleu) centesimi quadragesimi octaui anni, & obtulerunt sacrificium secundùm legem super altare holocaustorum nouum, quod fecerunt. Secundùm tempus & secundùm diem, in quâ contaminauerunt illud gentes, in ipsâ renouatum est in canticis, & cytharis, & cinyris, & in cymbalis, & fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocausta cum lætitiâ, &c.*

c. Esdræ. 6. d. 1. Mach. 4. v. 52.

ENCÆNIORVM DIES.

IV. Encænia vnde dicta. IN illius autem dedicationis & emundationis, quam fecerunt *Machabæi*, memoriam, fiebant singulis annis *Encænia* (quod nomẽ Græcum est à verbo ἐγκαινίζειν, quod est renouare, initiari, dedicare; Græcè καινόν, nouum dicitur, ait S. *Augustinus*: e. *ac vsus obtinuit*, inquit, *vt si quis nouâ tunicâ induatur, encæniare dicatur*) De horum autem encæniorum institutione ita historia *Machabæorum*. *Et statuit Iudas & fratres eius, & vniuersa Ecclesia Israël, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis, ab anno in annum per dies octo, à quintâ & vicesimâ die mensis Casleu, cum lætitiâ & gaudio.* Idem scriptum est *2. Mach. 10.*

e. Tract. 48. in Ioan. Quando instituta.


De eadem etiam re hæc memoriæ mandauit Iosephus: *f. Tanta verò lætitia ob reductos ritus patrios, & priscam religionem occupauit gentis animos, maximè quòd ea felicitas ex insperato obtigerat, vt lex lata sit ad posteros, quæ iuberet quotannis hoc festum reparari cum cæremonijs templi per octo dies celebrari, & ex eo tempore mos hic apud*

f. Lib. 12. Antiq. c. 11.

apud nostros obtinuit, vocamusq́; hanc festiuitatem Luminum opinor ideò, quòd ex insperato nobis illuxerit tanta fælicitas &c. octo igitur diebus fiebant Encænia, quia octo dies *Iudæi* in lætissimâ illâ templi dedicatione consumpserunt.

CAPVT V.

DE FORMÆ TEMPLI VETERIS A SALOMONE ÆDIFICATI SIGNIFICATIONE.



VAMVIS Tabernaculum & templum vetus figuram expresserint templorum, quæ in lege Euangelicâ ad DEI cultum exhibendum erigenda erant: nihilominus in isto templo, scilicet à *Salomone* ædificato, quatuor expositiones à veteribus considerantur, juxta quadrifarium sensum qui Scripturæ sacræ tribuitur. Iuxta historiam enim significatur in eo ædificium illud Dei cultui dicatum: Iuxta allegoriam corpus *Christi* Domini, de quo *Ioannes*: *a. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud;* quod Euangelista exposuit, inquiens: *Ille autem dicebat de templo corporis sui,* quem sensum persequitur *Rupertus. b.* Significat enim Ecclesiam *Catholicam*: quæ est domus Dei. *Vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui.* Iuxta Tropologiam, significat templum, quod per pœnitentiam & alias virtutes Deo in animâ nostrâ erigimus, vt semper nobiscum habitet, cuius rei caussâ dicitur: *c. Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* I.

Templum allegoricè quid signet?

a. Cap. 2.

b. Comment in 3. Reg.

c. 1. Cor. 3.

Anagogico sensu significat regnum cælestis beatitudinis, seu potiùs Ecclesiam triumphantem, in quâ Deus habitat vt in domo gratissimâ. Si enim Ecclesia militaris, in quâ sunt multi peccatores, & qui justi sunt, sine venialibus peccatis non viuunt, domus & habitaculum Dei dicitur: quanto magis Ecclesia triumphans, in quâ nullum peccatum est, sed justitia & sanctitas, & perpetua Dei laus, iuxta illud: *d. Beati qui habitant in domo tuâ Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te?* Hunc sensum ostendit nobis Dauid in II.

Item Anagogicè.

d. Psal. 83.

eodem Psalmo: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.*

Commu-nior expli-catio. Ex his sensibus celebrior est apud Patres ille de Ecclesiâ militante, quem accuratiùs paulò pòst explicabimus, non tamen ita vt reliquos penitus omittamus.

III. Templum igitur à *Salomone* ædificatum per septem annos, Ecclesiam significat, quæ à rege pacifico & vero *Salomone* (de quo

e. Psal. 71. dictum est: *e. Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna*) ædificatur per totum huius sæculi tempus, quod septenario numero intelligitur, quia per septem dies, totum sæculi tempus deuoluitur, & nascentibus electis, quasi noui lapides proferuntur ad ædificium.

IV. Anno quarto regni *Salomonis* fundatur, mense *Zio*, qui est mensis secundus, & anno vndecimo absoluitur, mense *Bul*, qui est mensis octauus. Primus annus regni huius *Salomonis* fuit tempus legis naturæ, secundus fuit tempus legis scriptæ, tertiæ fuit tempus, quo *Christus* inter homines homo versatus est, quo fecit conuiuium magnum prædicationis suæ, & præsertim Corporis ac Sanguinis sui, optimatibus suis, id est, Apostolis, sicut de Rege *Assuero*

f. Esther 1. in eius figuram scriptum est: *f. Tertio igitur anno imperij sui fecit grande conuiuium cunctis Principibus & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & Præfectis Prouinciarum coram se.* Quartus annus est tempus prædicationis Apostolorum, quo, intrante multitudine gentium, ædificari vbique cœpit Ecclesia, sicut ait

g. Rom. 10. Apostolus: *g. Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Præterea quarto anno etiam *Christi* ædificata est Ecclesia, quia quarto anno prædicationis eius inchoata, id est, ex quo baptizatus est, & discipulos habere cœpit, fundata est Ecclesia ipso moriente, & legem veterem antiquante, ac noua Sacramenta Ecclesiæ suæ relinquente. Eleganter autem dictum est, mense secundo, vt *Beda*

h. Cap. 2. *h.* & *Angelomus* adnotarunt, vt intelligamus templum fundatum fuisse peracto jam Pascha, quod videlicet primo mense celebra-

i. Num. 9. batur. Scriptum tamen est: *i. Homo qui fuerit immundus super animâ, siue in viâ procul, in gente vestrâ faciat Phase Domino in mense secundo.*

secundo. Immundus super animâ dicitur, qui ex contactu hominis mortui immundus est: homo enim anima vocari solet per synecdochem. Quia igitur plurimi ex *Iudæis* & Gentiles non celebrarunt Pascha mense primo, cùm immolatus est agnus, id est, non crediderunt cùm Dominus crucifixus est, sed immundi erant super animâ, qui mortuum contigerant, id est, pleni erant peccatis, quæ sunt opera mortua & immunda, & erant in viâ, id est, remoti ab Ecclesiâ, vt ait S. Paulus: *k. Vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi,* celebrauerunt Pascha mense secundo, id est, crediderunt in IESVM *Christum* crucifixum, & ita ædificari cœpit Ecclesia.

k. Ephes. 2.

V. Verùm anno octauo, & octauo mense consummatum est templum in omni opere suo, & in omnibus vtensilibus suis, quia cùm vniuersus numerus electorum expletus fuerit, & illi omnibus suis virtutibus & meritis absoluti fuerint, in die iudicij vniuersa Ecclesia electorum in cælum transferetur, & nihil illi deerit, quia plenè Deum possidebit, & habebit illud: *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis,* vt ait *Beda. l.* Vbi mox subijcit: Constat enim quòd dies judicij sæpè in Scripturis octonario numero typicè exprimitur, eò quòd hoc sæculum, quod septem diebus currit, sequatur. Vnde & Propheta Psalmo titulum pro octauâ imposuit, quem ob metum eiusdem districti Iudicis cantauit, ita incipiens: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me, &c.*

l. Cap. 17.

VI. Sed cur anno quadringentesimo octogesimo egressionis filiorum *Israël* ex *Ægypto* fundatum est templum? Tabernaculum figura fuit Synagogæ, templum autem figura fuit Ecclesiæ ex gentibus congregandæ, teste *Beda, m.* Tabernaculum enim factum est, dum tempus veniebat templi faciendi, & vt venit, desijt in honore esse tabernaculum, & templum ab omnibus visebatur: ita lex vetus data est, donec veniret noua, & Synagoga stabat, donec tempus veniret ædificandæ Ecclesiæ.

Tabernaculum Synagogæ; Templum Ecclesiæ figura fuit.

m. Cap. 5.

VII. Tabernaculum ab *Hebræis* factum est principe *Moyse*, templum autem ab *Hebræis*, & *Gentilibus* ædificatum est rege *Salomone*, accersitis videlicet *Tyrijs* & *& Sidonijs*, & *Giblijs* artificibus: Synagoga enim *Hebræos* magistros habuit, Ecclesia autem ab Apostolis

ædificata eſt, & ab eorum diſcipulis, id eſt, à Doctoribus ex Gentilitate vocatis à *Chriſto*, ſicut *Salomon* accerſiuit artifices ex *Tyro* & *Sidone*, & ex *Giblijs*. Quoniam igitur quadringentis octoginta annis Tabernaculum ſtetit, totum tempus veteris legis & ſtatûs Synagogæ totidem annis ſignificatum eſt, & ſtatim abrogatâ veteri lege, deſijt in honore eſſe Synagoga, & omnes Gentes confluere cœperunt ad Eccleſiam, juxta illud Iſaiæ: *n*. *Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius*.

n. Cap. 2.

VIII. Dedit *Dauid* filio ſuo deſcriptionem templi, & omnium quæ in eo futura erant, quia Deus Pater *Chriſto* filio ſuo demonſtrauit, quomodo Eccleſia eſſet ædificanda & gubernanda, &c. Dedit illi aurum, & argentum, & æs, & materiam cedrinam, quia demonſtrauit illi electos, ex quibus (quamuis & multos ex ijs, qui damnandi ſunt, habeat) ædificanda erat maximè Eccleſia, & dedit illi doctrinam Euangelicam; & virtutes ac dona; quibus electi inſtruerentur, & ornarentur.

IX. Cur in mõte Moriâ téplum fundatum.

Ædificatur templum in monte *Moria*, id eſt, in monte viſionis ſiue excelſo, quia Eccleſia excelſa eſt, & ſuper omnem doctrinam humanam, & ſuper omnes Reſpublicas eleuatur. *o*. *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles*. In monte etiam ædificatur, quia illuſtris eſt, & vndique videtur. *p*. *Non poteſt abſcondi ciuitas ſupra montem poſita*, & ipſa proxima cælo eſt, & apta vt ex eo videantur arcana cæleſtia, quæ ex nullo alio loco videri poſſunt.

o. Iſa. 2. Michææ 4.
p. Matth. 5.

X. Cur in areâ Ornan?

Ædificatur in areâ *Ornan*, non *Hebræi*, ſed quem Scriptura non tacuit eſſe *Iebuſæum*, quia non in *Iudæâ* ſolùm, ſed in locis gentilium, id eſt, in vniuerſo orbe, Eccleſia erat ædificanda.

Ornan eſt exultans, *Iebuſæus* conculcatus, quia Gentiles qui priùs à vitijs conculcabantur, & ab immundis ſpiritibus, admiſſi in Eccleſiam exultauerunt, acceptâ Dei gratiâ, & ſpe futurorum bonorum. *In quem nunc non videntes creditis, credentes autem exultabitis lætitiâ inenarrabili*. *q*.

q. 1. Pet. 1.

XI. Rectè quoque ædificatur in loco eodem, quo *Abraham* immolare

molare voluit filium suum, & arietem immolauit, quia Ecclesia in fidem & cultum veterum patrum succedit, sicut ait Apostolus: *r. Habentes eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur.* Nos enim in eumdem Deum credimus & eumdem cum illis Deum inuocamus & colimus, non quidem ijsdem sacrificijs, sed illo tamen, quod significabatur in Isaac, & in ariete, & in omnibus sacrificijs.

r. 2. Cor. 4.

XII. Versus Orientem.

Templum versum erat ad Orientem, & portam magnam habebat, quâ totum orientis solis lumine perfundebatur, quia Ecclesia *Christi*, qui Sol justitiæ est, radios plenissimè excipit, atque ita ab eo illuminatur, vt columna dicatur, & firmamentum veritatis, & omnibus hominibus in maximis tenebris versantibus, ipsa sola luce plena est, nec vllo modo errare potest in credendis, aut agendis. *s. Et creauit Dominus super omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus est, nubem per diem, & fumum & splendorem ignis flammantis in nocte.* Alludit ad expressam huius rei figuram, cùm populus in terram promissionis tendens, per diem columnâ nubis ducebatur, per noctem columnâ ignis, vt dux esset itineris eius vtroque tempore. *t.* Sed apertissimè Isaias: *u. Surge, illuminare Ierusalem; quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, &c.*

s. Isa. 4.
t. Exod. 13.
u. Isa. 60.

XIII. Mensura Templi.

Porrò Venerabilis *Beda* noster piè & solidè, etiam exponit mensuram templi huius, & tres illius partes, insuper ostia & vela tam oraculi, quàm domus exterioris, & porticus: Item tres ordines cellarum, aliaque illius fabricam concernentia; quæ omnia studiosus lector reperiet apud *Riberam x.* multis capitibus deducta. Nos ijs omissis de ornatu quod is magis nostro proposito seruiat; eiusque mysticâ significatione, pauca ex eodem adferemus.

x. Lib. 1. de templo.

* *
*

CAPVT VI.

ORNATVS TEMPLI MYSTICA, ANAGOGICA, & ALLEGORICA SIGNIFICATIO.

I.



VNDAMENTVM domus quodnam sit, apertè *Paulus* a. ostendit: *Fundamentum autem nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus IESVS. Qui,* ait *Beda*, b. *rectè ideò fundamentum vocatur, quoniam, vt Petrus dixit,* c. *Non est aliud nomen sub cælo, datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Verùm hic est primus lapis ædificij, lapis angularis ceteros continens atque connectens; de quo Isaias: *d. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* Sed lapides de quibus nunc loquitur, sunt Apostoli & Prophetæ, sicut exponit Apostolus. *e. Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo IESV.* Ideò eleganter dictum est: *Præcepitq; Rex vt tollerent lapides grandes pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos.* Fuerunt enim Apostoli & Prophetæ quadrati, id est, ex omni parte excisi, & politi, & æquales. *f.* Qui benè lapides primò quadrati, ac sic in fundamento poni iubentur. Quadratum namque omne, quocumque vertitur, fixum stare consueuit. Cui nimirùm figuræ corda assimilantur electorum, quæ ita in fidei firmitate consistere didicerunt, vt nulla occurentium rerum diuersitate, nec ipsâ etiam morte à suâ rectitudine status possint inclinari, &c. Significat quadratum, vt in talibus videmus, quomodocumque proijciatur, semper rectum stare, ideoque de viro bono & forti scripsit Aristoteles. *g. Fortunamq; feret pulcherrimè, & omni ex parte concinnè ac æquabiliter, quippè qui verè bonus atq; quadratus est.*

a. 1. Cor. 3.
b. Cap. 4.
c. Act. 4.
d. Cap. 28.
De ornatu exteriori 1. Fundamentum quale.
e. Ephes. 2.
f. Beda c. 4.
g. 1. Ethic. cap. 10.

II.

Domus tecta erat laquearibus cedrinis, quia perfecti, quos in hac supremâ contignatione significari diximus, omni virtutum varietate decorantur. *Cedrus*, inquit *Beda*, *h. arbor est imputribilis omninò naturæ, odoris iucundi, aspectus nitidi, serpentes accensa*

2. Tectum.
h. Cap. 9.

nidore fugans ac perimens. Quæ perfectis quibusque conueniunt, quorum insuperabilis est patientia, forma virtutum eximia, præsentia cunctis gratissima, bonis auctoritas ad reuincendos confutandosq́; eos, qui veritati resistunt, constantissima; qui & in hac vita, & in futura singulari præ ceteris sanctis eminentia fulgent, &c. Suprema autem, atq; extima domus pars cælum spectans, super quam tabulatum quinq; cubitorum altitudinis ædificatum est, ne ascendentes caderent, beatitudinem cælestem significat, quæ tota in Dei aspectum conuertitur, & cedrina est, id est, immortalis & tutissima, vnde nemo decidere vllo euentu potest. i. **i. Beda ib.**

Quinque cubitos altitudinis habet, quoniam (vt idem scribit) ita nos in illâ patriâ diuinæ præsentia claritatis adimplet, vt nihil aliud visus noster, nihil auditus, nihil olfactus; nihil gustus, nihil tactus dulce habeat, nisi diligere Dominum DEVM nostrum ex toto corde, totâ ánimâ, tota virtute: Diligere & fratres tamquam nos ipsos. **III. 3. Altitudo.**

Lapides totius domus dolati atque perfecti fuerunt, & malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domo dum ædificaretur. Lapides, ex quibus totum domûs ædificium constat, quatenus vt primum quoddam subiectum consideratur tabularum cedrinarum, & cælaturarum, & auri, naturam nostram significant, cui decor gratiæ accedit & virtutum: quatenus verò domum ipsam constituunt, & domus ipsa sunt; indicant beatos, qui lapides sunt cælestis templi, domumque illam beatam, atque supernam *Hierusalem* conficiunt. **IV. 4. Lapides.**

Vt ergò lapides in monte ipso, vnde excidebantur, dolabantur, & quadrabantur, vt in templo collocarentur, nec ad dolationem vllum ferramentum audiebatur: ita electi in hac vitâ laboribus & ærumnis exercentur, & dolantur, (vt ait *Beda*) *k.* vt castigatione cessante solo amoris glutino quo inuicē copulentur, vno impleti spiritu perfundantur. Quod eleganter in Ecclesiastico hymno indicatum est: **V.** **k. Cap. 7.**

Tunsionibus, pressuris expoliti lapides,
Suis coaptantur locis per manus artificis,
Disponuntur permansuri sacris ædificijs.

Potest iuxta sensum in tabulis cedrinis, quibus teguntur lapides, perpe-

perpetuitas beatitudinis ſignificari, in laminis aureis fulgor atque præſtantia maximè eiuſdem beatitudinis: in cælaturis, varietas ac multitudo gaudiorum, quæ & perpetua ſunt: & ideò cælaturæ factæ ſunt in tabulis cedrinis; & eximium fulgorem atque admirabilem præſtantiam habent. Et ideò cælaturæ etiam ſunt in auro: quidquid enim gaudij eſt in vitâ hac, non magis cùm gaudijs illis comparari poteſt, quàm terra cum auro.

VI. 5. Claui. Claui quibus hæc connectuntur, ſunt dulciſſimi affectus amoris. Verùm hæc ad Anagogicum ſenſum ſpectant. Iuxta priorem, lapides dolantur, vt non audiatur ferramentum cùm domus ædificatur. Quoniam vt templum DEI efficiamur, id eſt, vt non ſolùm gratiam habeamus, ſed tales etiam ſimus, vt in nobis diu, quaſi in propriâ domo permaneat DEVS, & conquieſcat, exercitatione virtutum naturam noſtram dolare atque expolire debemus, id eſt, affectus noſtros comprimere, vt ita domus DEI ædificetur.

VII. 6. Feneſtræ. l. Loc. cit. m. Matth. 5. Feneſtræ templi (vt ait *Beda*) *l.* doctores Eccleſiæ ſunt, qui dum fidei myſteria & facienda docent, per eos lux ad reliquos ingreditur. Ideò dictum eſt: *m. Vos eſtis lux mundi.* Feneſtræ obliquæ ſunt, (eodem auctore) quia nimirum neceſſe eſt, vt quiſquis iubar ſupernæ contemplationis vel ad momentum perceperit, mox ſinum cordis ampliùs caſtigando dilatet, atque ad maiora capeſſenda ſolerti exercitatione præparet, &c.

Sunt etiam introrſum latiores, quia etſi magna latitudo caritatis cerni in eis debet exteriùs, maiori intùs debet in corde feruere. In corpore *Chriſti* feneſtras interpretari poſſumus vulnera, quæ cùm magnam oſtendant caritatem, multò tamen maior erat in corde eius intus.

VIII. Erant autem feneſtræ in tribus lateribus templi, id eſt, in omnibus, præterquam in orientali, & in omnibus contignationibus, quia omnium condicionum homines lumine ſolis iuſtitiæ indigent, quod per Doctores Eccleſiæ, & per ſpirituales viros diffunditur. Latus orientale, quia magnam habet ianuam, & orientis ſolis radijs pleniſſimè perfunditur, feneſtris non indiget; quia pars illa Eccleſiæ, quæ plenè à DEO illuminatur in beatitudine, non

ne, non necesse habet ab hominibus doceri. *Et ciuitas non eget sole, neq; lunâ vt luceant in eâ: nam claritas DEI illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus. n.* n, Apoc. 21.

IX. Ornatus interioris significatio.

Tabulæ cedrinæ quibus tota domus tegebatur, insuperabilem virtutum præstantiam ac venustatem significant, vt ait Beda o. Est enim cedrus arbor odorata & incorruptibilis: & quia filij Ecclesiæ toti esse debent virtutibus pulchri, & odore pleni boni exempli, perseuerantiaque in bonis operibus venerabiles, rectè domus tota cedro tegitur. Tabulis cedri omnia vestiebantur, nec omninò lapis apparere poterat in pariete, quoniam talis debet esse vita nostra, vt naturæ vitia omninò si fieri posset, abscondantur, & solæ virtutes in nobis appareant, quod Sancti per gratiam Christi imperfectè in hac vitâ obtinent, sed in futurâ plenè atque perfectè obtinebunt.

o. Cap. 11. Quid per tabulas cedri significatum.

X. Pauimentũ ex tabulis abiegnis.

Pauimentum tegebatur tabulis abiegnis, quia nostræ paruitatis cognitio, id est, humilitas, firma debet esse in nobis, & semper virens dum hîc viuimus. Pauimentum autem oraculi tegitur tabulis cedrinis, quia in beatis firma & incorruptibilis est hæc sui ipsorum cognitio, & odorem suauem emittit, id est, Deo gratissima est, & ceteris beatis.

XI.

Tabulæ omnes torno expolitæ sunt, quia virtutes nihil habere debent informe aut impolitum, sed omnia ad regulam rationis diuinæque legis facienda sunt. Iuncturas habent fabrefactas, quia virtutes inter se junctæ & connexæ sunt, & altera pendet ex alterâ. Cælaturas eminentes habent, quia prodire foras habent, ad laudem Dei, & exemplum fratrum. In cælaturis sunt palmæ, id est, crebræ nostri ipsorum victoriæ, *Cherubim*, id est, vitæ & puritatis Angelicæ imitatio, & flores, id est, varia bonorum operum pulchritudo.

XII. Laminæ aureæ.

Laminis aureis omnia tegebantur, quia aurum charitatem significat, juxta illud: *p. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum & probatum, vt locuples fias.* Charitas autem est ornamentum & pulchritudo bonorum omnium. Laminæ sunt quadræ ad regulam, vt nullus hiatus appareat, quia juxta regulam diuinæ voluntatis nihil esse debet in operibus nostris, quod non sit cum charitate coniun- p. Apoc. 3.

 ctum.

ctum. Habent laminæ ſuas cælaturas eminentes, quia charitas latêre non debet, ſed foris prodire: ita tamen vt illa cælaturis tabularum reſpondeat, quia vna debet eſſe & eadem virtutum charitatiſque manifeſtatio, id eſt, nec virtutes ſine charitate manifeſtandæ ſunt, nec charitas ſine virtutibus. Claui aurei ſunt verba Scripturæ, cæleſtes promiſſiones continentia, & timorem DEI docentia, quibus in virtutum ſtudio continemur ne deficiamus.

q. Eccleſ. 12. *Verba ſapientum quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi.* q.

XIII. Appendebant autem quinquagenos ſiclos, quoniam quinquagenario numero ſignificatur in Scripturâ, vt ait Beda, r. *remiſſio peccatorum, & gratia Spiritus ſancti, & æterna requies.* Pſalmus enim quinquageſimus eſt remiſſionis, & annus Iubiléi quinquageſimus eſt, & Spiritus ſanctus quinquageſimo die deſcendit in Apoſtolos. Verba autem diuina quibus in bonis operibus continemur, remiſſionem nobis peccatorum pollicentur, & gratiam Spiritus ſancti, & æternam requiem.

r. Cap. 12.

In pauimento nullæ erant cælaturæ, quia humilitas videri refugit, & latêre atque conculcari cupit. Habet quidem & ipſa opera ſua externa, ſed hæc maximè oſtendit, dum ſe planam, & æqualem, & calcabilem præbet.

CAPVT VII.

TEMPLI SALOMONICI MAGNIFICENTIA IN QVIBVS CONSTITERIT.

I. Templi magnificentia.



MAGNIFICENTIA Templi quanta & quàm eximia fuerit, ex varijs conijci poteſt. Primò, quòd Templum opus fuerit *Salomonis*, qui fuit rex ſapientiſſimus, opulentiſſimus & magnificentiſſimus.

II. Secundò, quòd templum factum ſit ad ideam non hominis, ſed DEI ipſius, qui illam dedit *Dauidi*, vt eam traderet *Salomoni*. Volebat enim Deus vt *Iudæis* & hominibus rudibus, qui DEVM & diuina æſtimare & ponderare neſciunt, diuina maieſtas in templi magnificentiâ repræſentaretur, vt ex illâ diſcerent eum æſtimare,

reuereri & admirari. Hanc caussam dat *Salomon a.* dicens: *Domus quam ædificare cupio, magna est. Magnus est enim Deus noster super omnes deos.* a. 2. Paral. 2.5.

Tertiò ex eo quòd templum hoc ab omnibus habitum sit orbis miraculum. Insuper parietes & laquearia eius tegebantur auro, ita vt omnia reniterent auro, & intrantium oculos fulgor vndique occurrens perstringeret, ait *Iosephus. b.* III. b. Lib. 8. c. 2.

Quartò, ex numero operariorum & præfectorum; laborarunt enim in eo ducenta hominum millia & amplius, per septem continuos annos. IV.

Quintò, ex opibus ad templi fabricam *Salomoni* relictis. Reliquit enim ei pater *Dauid*, *c.* centum millia talentorum auri, quæ ad nostram monetam redacta faciunt mille & ducentos milliones. Millionem voco decies centena millia aureorum. Insuper reliquit ei mille millia talentorũ argenti, quæ tantundem efficiunt, puta mille & ducentos milliones auri. Libra enim vna auri olim valebat decem libras argenti. Vniuersim ergò reliquit ei bis mille & quadringentos milliones aureorum, præter æs, ligna, lapides, ceteramq; fabricæ materiam innumeram, vnde loco citato additur: *Æris verò & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine.* V. c. 1. Paral. 22. 14.


Sextò, *malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cùm ædificaretur.* Addit *Iosephus*: *d.* *toto tempore* quo templum struebatur, numquam interdiu pluisse, noctu tantùm imbribus descendentibus, ne interrumperetur ædificatio, licet *Iosephus* ibi propriè loquatur de templo *Herodis.* VI. d. In fin. l. 15.

Septimò, *Hebræi* decem mira & quasi miracula templi recensent, penes quos sit fides. Primum, *Numquam abortiuit mulier propter carnis nidorem in sanctuario. Secundum, numquam fœtuit caro sanctuarij. Tertium, neque conspecta fuit musca in domo mactationis. Quartum, non accidit casus nocturnus sacerdoti magno in die expiationis. Quintum, non extinxerunt pluuiæ ignem qui erat in strue lignorum. Sextum, non vicit ventus columnam fumi. Septimum, non repertum vllum vitium in Gomer, nec in duobus panibus, nec in panibus facierum. Octauum, stabant coarctati, & adorabant dilatati. Nonum, numquam* VII. Templi 10. miracula.

læsit aliquem serpens & scorpio in Hierusalem. Decimum, nec dixit homo socio suo : angustior est mihi locus quàm vt possim pernoctare Hierosolymis.

PARS III. TEMPLORVM APVD GENTILES ANTIQVITAS.

CAPVT I.

I. VAMVIS idololatræ in verò DEI cultu hallucinati fuerint, tamen religione tacti, quæ quodammodo naturalis hominibus est, illis quos Deos putarunt, & cultum & templa dedicarunt, eaque religiosè venerati sunt, quamdiu errore fascinati remanserunt, donec affulsit veritatis sol, & cognitio veri Dei, quo illustrati, sublatis idolis, clausis & dirutis eorum templis; ad veram Dei cognitionem adducti sunt.

a. In Aurel. b. Lib. 9. Dedicabant templa & apud illos sacrificuli, siue superstitionis eiusdem Pontifices, vt liquet ex Fl. *Vopisco, a.* & *Liuio. b.*

Erant gratitudinis erga diuinum numen, templorum dedicationes, etiam inter Ethnicos cultores testimonia.

II. Herculis templum. c. Plut. in Polit. Templum *Herculi* dedicauit *Scipio*, & *Timotheus*, postquam Tyrannos *Siculos* eiecit, ædificauit aliud *Fortunæ*, *c*.

Iani. Tempum *Iano Numa* dicauit, quod *Romanis* erat sanctum: in quo *Iani* simulacrum erat æneum, non altius quinque pedibus, duarum facierum, quarum vna versus orientem, alia occidentem spectabat. Erat sacellum paruum formâ quadratâ duas habens portas, quarum vna tempore belli aperiebatur, & tempore pacis claudebatur. *Dio Cassius d.* scribit templum *Iani* quod apertum erat in bello *Cantabrico*, clausum fuisse victoriâ & pace obtentâ ab *Octauiano*: (d. Lib. 53.)

III. Aræ in montibus, lucis, siluis. In lege veteri in locis editioribus aras & delubra sua habebant Ethnici. Item lucos, siluas, aras, in quibus responsa petebant, & Dæmonijs sacrificabant. Siquidem in lucis colebantur diuersi

diuersi Dij, prout illi dedicati erant separatim: vnde religio extra vrbes maximè in lucis erat, vel juxta delubra erant luci. Prohibuit illud Deus: *e. Non plantabis lucum,* inquit, *& omnem arborem juxta altare Domini Dei tui: nec facies tibi neque constitues statuam: quæ odit Dominus Deus tuus.* Nempe ne videaris imitari sacros lucos Gentilium, & idolorum, præsertim *Priapi.* Sacra enim *Priapi* fiebant in lucis, vt obscœnitates eius ijs tegerentur: vnde in hisce lucis omnem turpitudinem exercebant. e. Deut. c. 16. v. 21.

IV. Meminit sæpè sacra Scriptura, populum *Iuda* & *Israël,* concitasse iram Dei, & ideò à Deo punitum, quòd ædificasset more idololatrarum sibi aras & statuas, & lucos super omnem collem excelsum, & super omnem arborem frondosam, quæ vocantur excelsa, & eorum Sacerdotes, Sacerdotes excelsorum. *f.*

f. 3. Reg. 14. v. 24. & c. 15. v. 13. & c. 12. v. 31.

V. Rursùm scribitur *g.* quòd *Salomon* ædificauit fanum *Chamos* Idolo *Moab,* in monte qui est contra *Ierusalem:* cùm etiam idem ædificasset domum Domini in *Hierusalem,* in monte *Moria,* qui demonstratus fuerat *Dauidi* patri eius in loco quem parauerat *Dauid* in areâ *Ornan Iebusæi. h.* g. Ibid. 11. vers. 7. h. 2. Paral. 3.

VI. In desertis locis solebant plerumque isti luci & excelsa constitui: & scribit *Ctesias, i.* in *Indiâ* esse locum sacrum in tractu inhabitabili regionis, quem sub nomine Solis & Lunæ venerarentur, ad quem à monte *Sardonis* esse quindecim dierum iter. i. Lib. de reb. Persic.

VII. *Persæ,* quibus neque aras, neque statuas, neque templa construere moris erat, in editissimis quibusque conscensis montibus *Ioui* hostias immolabant; *Iouem* autem omnem cæli gyrum vocabant, & ita lunæ, soli, telluri, igni, ventis, sacrificabant. *k.* k. Plutar. in Pol.

VIII. Ceterùm ex *Hetruscorum* disciplinâ, veteres, vt puto, moniti, non dijs omnibus, omni loco templa ponenda censuêre. Nam qui pacis, qui pudicitiæ, qui bonis artibus præessent dij, eos inter mœnia collocandos putauerunt, qui verò voluptatibus, rixis, incendijs, vt *Venus, Mars, Vulcanus,* eos excludere ex vrbibus solebant: tametsi hoc non ita ratum fuisse semper, ex historijs videmus. *Vestam* autem, *Iouem* & *Mineruam,* quos Deos tutores vrbium, ait *Plato,* in ipsarum medio & arcium locabant. Vitruuius: Templa nō passim in vrbibus, sed nonnulla extra vrbem.

Ædibus, inquit, *sacris, quorum Deorum maximè in tutelâ videtur ciuitas esse, vt Ioui, & Iunoni & Mineruæ, in excelsissimo loco, vnde mœnium maxima pars conspiciatur, areæ distribuantur.* *Neptunum* ad maris littus statuebant, *Ianum* in excelsis montibus, quamquam & in foro. *Æsculapium Romani* in Insulâ *Tiberinâ* reposuerunt, quòd ægroti maximè aquâ indigeant; alibi tamen extra vrbem templa habuit, vt ait *Plutarchus*, quòd ibi aër sit salubrior. *Gratiarum* verò templum ἐμποδὼν, hoc est, vt interpretantur plerique, in medio foro, & publico construi solitum, tradit *Aristoteles* in Ethicis.

CAPVT II.

TEMPLORVM FORMA APVD ETHNICOS: EORVMDEM INAVGVRATIO.

I. Forma témpli rotundâ. Tecto perforato.



NEQVE defuerunt Ethnicis in suis delubris templisque Deorum erigendis formæ, secundùm quarum præscriptum ea exædificarent. Nam *Solis* quidem ædem, *Liberiq́* patris, rotundam veteres probarunt. *Iouis* templa, quòd omnium rerum semina is DEVS patefacere credebatur, tecto esse oportere aiebat *Varro* perforato. Ædem *Vestæ*, quam cum terrâ eamdem putabant, rotundam ad pilæ similitudinem formabant. Cælitibus & superis alijs à terrâ templa exstare volebant; inferis Deis sub terrâ, *Chthonijs* & *Terrestribus* medias ponebant sæpius.

II. Variæ formæ. a. Lib. 1. item. 3. & 4.

Sed de Templorum, & sacrarum ædium situ, si plura cupis, vide *Vitruuium*, a. cuius inter cetera hæc sunt verba: *Ioui Fulguri, & Soli, & Lunæ, & Cælo, ædificia sub diuo, hypæthraq́ construuntur: horum enim Deorum & species & effectus in aperto mundo atq́ lucenti præsentes videmus. Mineruæ, & Marti & Herculi ædes Doricæ fient. His enim Deis propter virtutem sine delicijs ædificia constitui decet. Veneri, Floræ, Proserpinæ, Fontium Nymphis, Corinthio genere constitutæ aptas videbuntur habere proprietates, quòd his Deis propter teneritatem graciliora & florida, folijsq́ & volutis ornata opera facta, augere videbuntur iustum decorem.*

Iunoni, Dianæ, Libero patri, ceterisq́ Deis, qui eádem sunt similitudine, si ædes Ionicæ constituentur, habita erit ratio mediocritatis; quod ab seuero more Doricorum, & è teneritate Corinthiorum temperabitur earum proprietatis institutio.

Mercurio verò in foro, aut etiam vt Isidi & Serapidi in emporio.

Apollini, patriq́ Libero secundùm Theatrum.

Herculi, in quibus ciuitatibus non sunt Gymnasia, neque amphitheatra ad circum.

Marti extra vrbem seu ad campum: itemq́ Veneri ad portum.

Id autem etiam *Hetruscis* aruspicibus disciplinarum scriptis ita est dedicatum, extra murum *Veneris, Vulcani, Martis* fana ideò collocari, vti non insuescat in vrbe adolescentibus seu matribus familiarum *Venerea* libido, *Vulcaniq́* vi è mœnibus, religionibus & sacrificijs euocata, à timore incendiorum ædificia videantur liberari. *Martis* verò diuinitas cùm esset extra mœnia dedicata, non erat inter ciues armigera dissensio. Sed ab hostibus ea defensa: à belli periculo conseruabat. Eádem ratione & *Bellonæ* ædes extra vrbem fuit, vbi Senatus dabatur fortibus ducibus, & qui strenuam operam nauâssent. Cereri item extra vrbem, loco quo non semper homines, nisi per sacrificium necesse haberent adire, cum religione, castè, sanctisque moribus, is locus tueri deberet. III. Positio, seu situs.

Porrò vt plurimùm templa ad orientem solem costituere solitos veteres, scribit *Lucianus*.

Ethnici quoque religione quadam Dijs suis templa non modò construebant, sed & dedicabant, & veluti consecrabant impijs suis sacrificijs, & superstitionibus. Vnde & *Varro b.* dicit, apud illos quædam templa fuisse, & tamen non consecrata: *nam,* inquit, *Curia Hostilia templum est, & sanctum non est. Seruius c.* refert templum *Vestæ* non fuisse consecratum, ne Senatus illic accederet, vbi erant virgines. Senatus autem, vel eius consilium haberi non poterat, nisi in inaugurato loco. IV. Dedicatio. b. Lib. 6 de ling. Lat. c. In Virgil.

Solebant autem Gentiles templa, & opera quæcumque magna dedicare, & eorum vsum solemni ritu, & publicâ lætitiâ auspicari. *Nabuchodonosor d.* enim apud *Danielem* statuam suam dedicauit magnâ pompâ & hominum frequentiâ, *Nero e. instituit* V. Nabuchodonosor. d. Dan. 3. e. Suet. c. 12. Nero.

tuit quinquennale certamen primus omnium Romæ, muſicum, gymnicum, equeſtre, quod appellauit Neronia: dedicatiſque thermis, atque gymnaſio, Senatui quoque & equiti oleum præbuit.

VI. Tiberius. *Tiberius* apud *Dionem, Liuiæ* templum dedicauit, & ob dedicationem ipſe Senatum in *Capitolio*, Matronas *Liuia* ſeorſim, epulo excepit. *Tacitus* apud *Suetonium f. Amphitheatro dedicato, thermiſque iuxtà celeriter extructis, munus edidit apparatiſſimum;* largiſſimumque *Auguſtus* apud *Dionem g. Marcelli* theatrum cum ludis dedicauit. Apud eumdem: *h. Quæ equeſtria certamina Kalendis Auguſt. exhiberentur, inſtituta ſunt, propterea, quòd ea die* Martis *ædes ædificata fuit.* Et apud Feſtum. *i. Manè idibus mercatorum dies feſtus erat, quòd eâ die Mercurij ædes eſſet dedicata.*

f. Id. c. 7.
g. Lib. 54.
h. Lib. 60.
i. Lib. 9.

CAPVT III.

VETVSTISSIMA GENTILIVM TEMPLA ORACVLIS CELEBRATA.

I. Falſorum oraculorũ loca celebriora quæ.

DE his *Himmerius* Sophiſta apud *Photium* ait: *Cùm Apollo diuinatorium tripodem collocans omnibus oracula redderet, omnes gentes, omnesq; vrbes famâ hac ad DEVM attrahebantur;* celebriora horum oraculorum loca, quibus ſeu *Iupiter* ſeu *Mars*, ſeu alia falſa Numina, & *Apollo* ſpeciatim colebantur, enumerat *Papinius Statius*: *a.*

a. Lib. 8. Theb.

Mutisq; diu plorabere Delphis.
Hic Tenedon Cyrrhamque *dies partuq; ligatam*
Delon, *& intonſi claudet penetralia* Branchi.
Nec Clarias *hac luce fores* Dydimæaque *quiſquam*
Limina, nec Lyciam *ſupplex conſultor adibit.*
Quin & cornigeri vatis nemus, atq; Moloſſi
Quercus anhela Iouis, Troianaque Thymbra *tacebit.*
Ipſi amnes, ipſæq; volent areſcere laurus.

b. Lib. 10. contra Græc. fab.

Diſertè *Theodoretus*: *b. Iidemq; Dæmones nobis dederunt* Caſtalium *fontem*, Colophoneum *fluentum, ſacram Quercum*, Dodonæum *tintinnabulum, Tripodem* Cyrrhæum, Theſprotium *lebetem; ac in* Libya *quidem* Ammonis *oraculum*, Iouis *in* Dodonâ, *in* Bran-

Branchidis *etiam*, Dolo, Delphis, Colophone, *oraculum* Clarij, *Pythij*, Delij, Didymæi Apollinis; *tum in* Lebadiâ *quidem* Trophonij, *in* Oropo Amphiarai, *in* Tyrrhenorum *verò finibus & Chaldæorum Necromantiæ antra obscurissima*; *& alibi quidem* Amphiloci, *alibi verò* Glauci, *alibi verò* Moysi, *aliorumq; quorumdam famosorum hominum diuinationes nobis proposuerunt.* De horum oraculorum ementitis vatibus, deque Mundi regionibus, quibus eorum recepta est adoratio, fanis magnificis extructis, cæcæ Gentilitatis dementiâ, *Sidonius Aruernus, Lilius Giraldus, Ianus Boissardus, Bullingerus, Maiolus, Torrenblanca*, &c.

DODONÆVM frequentatum est ad *Dodonam* amplissimam & vetustissimam vrbem *Molossidis* in *Epyro* vicinam nemori quercino, in quo vocales quercus creuisse proditum est, quæ statim, vt accessissent interrogaturi, commouerint sese, atque insonuerint, expresso quod dandum erat responso: ibidemque statuam stetisse quæ virgâ æneos lebetes pulsarit, hos ad moderatos ictus paulatim increpuisse, & numeris ligata responsa edisse. II. Dodonæū.

IOVIS HAMMONIS alterum à *Dodonæo*, in extremo sinu *Lybiæ* apud *Garamantes* vltra *Cyrenen* in solitudinibus vastis, torridis, ac siccitate sterilibus situm fuit, quo propter intensos & exurentes solis æstus vastamque planitiem, ardoribus solis & ariditate infestam, non cuiuis facilè accessus patuit. *Cambysen Cyri* & *Alexandrum* aditum tentasse historiæ memorant. Circa ipsam oraculi sedem densum nemus, proceris diffusisque & confertis arboribus, quadraginta stadiorum spatio, gratissima vmbra lenijt feruores diurnos, & passim exstillantibus fontibus rigauit solum, suâ naturâ exsuccum & sterile. Medium siluæ templum obtinuit, in quo idolum *Hammonis* pelle amictum hircinâ & hircino capite colebatur. Sacerdotes responsa petituri, idolum aurato nauigio impositum circumuectabant, accinebantque carmen patrium; his delinitum ritibus non voce, sed solo nutu signisque subobscuris quæ vellet proferebat, signa antistites ijs qui consultum accesserant, referebant ac declarabant diaboli monitu & indicio. III. Iouis Hammonis.

Celebratur præ ceteris cultu, religione, famâ, opibus, donarijs *Pythium Delphis*, quod oppidum totius orbis vmbilicum te- IV. Pythium.

nuisse falsò creditum fuit. *Diodorus* eius originem fabulosè exponit. Cùm in eo loco, vbi templum posteà extructum est, terra pateret profundâ voragine & circumpascerent capræ, factum vt vna ex grege frequenter ad hiatum illum accederet, & quotiescumque introspexisset, toties reuersa miris & inusitatis gestiret saltibus, vocemque sonaret insuetam, qua pastor miratus cùm accederet & ipse hiatum spectaturus, mox eodem impetu hausto conceptoque, simili modo exilire & vaticinia fundere incipit. Fama increbrescit & peruulgatur. Fit concursus ingens ad hiatum, & quotquot demittunt sese, statim vatidico halitu afflati furibundis similes euadunt. Tandem quòd ex furore multi per præceps in hiatum desilirent ac perirent, interdicto cautum fuit, ne quis ampliùs inscenderet: Voragini templum impositum, & ministerium excipiendi ab insiliente dæmone referendiq; responsa, feminæ virgini commendatum fuit. Aliquanto pòst, quòd *Isocrates* quidam *Thessalus Pythiam* raptam violasset, his quoque id ademptum, & vetulæ quæ quinquagesimum excessisset annum, iniunctum fertur. *Pausanias* plures easque diuersas de origine sententias recitat. Quacumque occasione eruperit & in noticiam venerit, non moror: antiquum fuisse & pluribus quàm centum annis ante *Troiana* tempora claruisse constat.

V. *Stephanus* auctor est primam oraculi sedem in vicino monte *Parnasso* extitisse, vbi templum condiderant incolæ supra specum oppido muroque cinctum, & templum ipsum ob natiuam præcipitiem munierant aditu adeò difficili & angusto, vt obiectâ lapidum mole accessum omnem vndique præcluserint, exiguâ semitâ relictâ, quâ consulturi oraculum absque comitatu incederent. In medio templi exigua planicies erat, & in eâ hiatus, ex quo spiritus acer & vehemens terribili sonitu excussus, vatem tripodi insistentem & afflatus exspectantem corripiebat, agitatamque & concussam in furorem vertebat statis diebus, quibus fari licebat. Ferunt enim annuatim sex menses continuos apud *Lycios* totidemque in *Delo* oracula percontaturis patuisse; In reliquis locis non quouis tempore, sed statis definitisque diebus tantùm, vtpote vel Idibus vel Calendis vel augescente vel deficiente Lunâ, vel ineunte aut desinente die sciscitari licuisse. Reli-

Religionem in consulendo *Pythio* oraculo eam seruari oportebat, vt qui inrerrogaret, breui oratione quæ requireret, *Pythiæ* significaret, & *Græco* sermone responsum exposceret, mactatâ simul & solenni ritu consecratâ victimâ: *Pythia* verò, quam mulierem esse oportebat, non promeret quidquam, nisi totam priùs victimam contremiscere ac velut micare cerneret. His legitimè peractis Dæmon ex obsessâ *Pythiâ* concepta, & ferè metris *Græcis* scitè admodum atque argutè, sed ambiguè nimis ac captiosè illigata responsa pronuntiabat. Cumque in suam sese recepisset atq; abdidisset specum, *Pythia* ceu exonerata spiritu, & ad sese reuersa consistebat ac conquiescebat. VI. Religio in consulendo.

Fuit autem omnium templorum Ethnicorum locupletissimum, statuis ex solido auro argentoque conflatis immensi ponderis, & alijs innumeris ac pretiosissimis donarijs refertum. *Hippocratem* etiam sceleton æneum exquisitissimè ad figuram humani sceleti fabrefactum, eò collocasse, *Pausanias* auctor est, eâ fortasse spe, vt religione templi defensum conseruaretur ad posteros. Quinquies destructum exustumque, pluries direptum, à latrone quodam *Eubæensi*, *Phlegyarum* gente, *Pyrrho Achillis* filio. Exercitu *Xerxis*, *Gallicis* copijs, *Phorensium* ducibus, *Nerone*, qui inde quingentas æneas imagines asportasse fertur, mactatis ad ostium voraginis subterraneæ, vbi latebat Diabolus, hominibus, & cadaueribus horum in specum deiectis, sed communibus semper sumptibus restitutum ac locupletatum legimus vsque ad extremam euersionem, à quâ non est renouatum amplius. Crudelissimis supplicijs *Phorensium* duces, qui in bello sacro templi opes exhauserant, affecti & sublati sunt. VII. Locupletissimum.

Imperante *Constantino*, *Christiani* freti pij Principis defensione & consensu, expoliatū templum non demoliti sunt, sed tantùm deuastarunt. Valuis enim ianuarum auulsis, destructis aris, & parietibus fœdè deformatis, tripodes aureos & argenteos *Byzantium* transtulerunt cum vniuersis templi opibus, quæ inde vsque à *Neronis* ætate congestæ, denuò intereà creuerant in immensum. Ab hac direptione, cùm postremò instauratum esset, tandem sub *Iuliano* eo ipso tempore, quo is sciscitatum miserat eò de euentu belli VIII. Exspoliatū. Instauratū fulmine combustū.

Parthici, quod meditabatur, fulmine cælitùs incenſum totum conflagrauit. Perijt incendio ſimul inaurata ſtatua *Apollinis*, & ſubterraneum latentis Dæmonis domicilium, collapſi templi ruinis obrutum atque obſtructum, oraculi locus eſſe deſijt. Narrant etiam fontem templo vicinum fuiſſe, qui ardentes faces propiùs admotas extinxerit, procul poſitas & non ardentes accenderit. Aqua eius pota, mulieribus vaticinatricem vim adferebat.

IX. **Brancidarũ oraculum.** Oraculum *Dindimæi Apollinis Græci* alioquin *Branchidarum* oraculum vocarunt, & à *Branchio Theſſalo,* quem diuinitate donatum ac receptum in numerum ac conſortium Deorum, quòd vaticinandi excelluiſſet peritiâ, poſſeſſionem oraculi & cultus *Apollini* deſtinaſſe ac legaſſe fama fuit. Non ceſſit hoc opibus *Pythio*. Templum ipſum mole & magnificentiâ operis admirandum, à *Mileto* metropoli *Ioniæ* octodecim, ab *Ionio* littore viginti ſtadijs abfuit. Cumque *Xerxes* expilatum id, incendio ruiniſque deformaſſet, *Mileſij* aliquanto pòſt impenſis maximis renouarunt, auxeruntque ædificij ſplendorem & amplitudinem in tantum, vt trabes mille faſtigio extruendo non ſuffecerint. *Seleuco Syriæ* Regi ſciſcitanti de ſuo in *Macedoniam* reditu, quam *Syriæ* à morte *Alexandri* occupatæ ac defenſæ virtute ſuâ coniungere cupiebat, diſſuaſit conſilium de reditu *Dindimæi Apollinis* oraculum iſto verſu.

Μὴ σπεῦδ' εὐρώπην: Ἀσίη τοὶ πόλλῳ ἀμείνων.

Et de morte percontanti, locum in quo periturus eſſet, incertum prorſus ambiguo reſponſo indicauit,

Ἄργος ἀλευόμενος τὸ πεπρωμένον εἰς ἔτος ἥξεις:
εἰ δ' Ἄργει πελάσαις τότε μεν παρὰ μοῖραν ὄλοιο.

Cùm ergò monitu oraculi caueret & fugeret Argos omne, *Peloponneſium, Amphilochicum,* Tertium ſitum in *Oreſtiâ*, vnde *Macedones Argeadæ* nominati ſunt, *Ionicum à Diomede* errante conditum: tandem accedens ab *Helleſponto,* ad vrbem *Lyſimachiam* poſt deuictum & cæſum *Lyſimachum,* caſu incidit in Aram amplam magnitudine, ornatuque ſplendidam ac celebrem cultu, quam accolæ nominabant *Argos*. Ad aram illam ſceleratè ex inſidijs ab hoſpite *Ptolomæo Cerauno* interfectus, compleuit oraculi prædicta. Ex eodem loco, ambiguo deluſus reſponſo, & in falſam ſpem victoriæ

inductus,

inductus, pænè certò Monarcham se solum futurum credidit *Licinius* Imperator, ante conflictum cum *Constantino Magno*, in quo ad *Chrysopolim Bithyniæ* vrbem acie victus & captus prorsus excidit imperio, quod antè cum collegâ & affine *Constantino* administrarat pariter.

X. Varia Iouis oracula & Templa.

Edidit oracula diabolus & *Antiochiæ* ad Idolum quoddam *Iouis*, cognoment φιλίυ, & in *Apamæâ Syriæ* ad statuam *Iouis*, cognomento *Beli*. *Antiochenum* Idolum motu gestuque capitis & oculorum, ac totius vultus vel arridente hilaritate, vel corrugatâ ac refugiente toruitate cùm annuere requisitis, tum petita abnuere solitum scribunt. Huius Idoli edicto, & propter Idoli auctoritatem, Imperatorum mandato, *Christianos* extorres actos totaque summotos viciniâ diu oberrasse in *Asia*, priusquam recuperatis sedibus sese rursus confirmarent, *Eusebius* autor est. *A Iouis Beli* statuâ petita responsa impetrauit *L. Septimius Seuerus* Imperator, & de Imperio, cùm priuatus adhuc esset, & de condicione ac statu liberorum post mortem ipsius, cùm ad Imperium jam peruenisset. Priuato & dignitas Imperatoria & victoriæ bellicæ promissæ his versibus memorantur.

ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος δὴ τερπικεραύνῳ
ἄρει δὲ ζώνην, στέρνα δὲ ποσειδάωνι.

Iam Imperatori, Tragici ac cruenti exitus liberorum prædicti sunt his verbis: *σὸς δ' οἶκος πᾶς βήσεται δι' αἵματος.*

XI. Templum Palicenū.

Ad *Palicen Syriæ* vrbem Templum fuit vetustissimum, in quo crateres non arte sed naturâ facti fuisse scribuntur, de quibus statis temporibus vel scintillantes flammæ colore odoreque sulphuris exilierunt, vel aqua erupit quæ insolitum ferbuit, numquam effluxit tamen neque exundauit. Ad eos crateres periuria explorare vsitatum fuit incolis & peregrinis tam certâ fide, vt cùm alia accidere paradoxa, decreto & procuratione numinis, tum præsentes pœnas in periuros irruere non dubitaretur, alijs visum amittentibus, vitam alijs, alijs progrediendi facultatem cum tormentorum aut cruciatuum horribili specie & sensu.

XII. Latonæ oraculum.

Fuit & oraculum *Latonæ* inclitum in vrbe *Buti*, quæ *Ægypti* ciuitas est, sita contra *Nili* ostium, quod *Sebenniticum* vocatur.

Sedes oraculi in mediâ vrbe extructa, porticum habuit decem passus altam.

XIII. Templum Apollinis Delij.

Templum *Apollinis Delij* mari imminebat eâ parte, quâ proximus in *Eubœam* traiectus erat, & à *Tanagrâ*, quæ vetus Eubææ ciuitas fuisse traditur, quinque millibus passuum distitit. Aram *Delij Apollinis* ex dextris animalium cornibus mirâ arte congestis atque coagmentatis, vt *Apollinis Spodij Thebis* ex coaceruatis crematarum hostiarum cineribus structam fuisse perhibent.

XIV. Templum Apollinis Pataræ.

Lyciæ sortes in *Patarâ Lyciæ* oppido, vbi *Apollinis* delubrum fuit, sex annis mensibus continuis distribuebantur.

XV. Templum Amphiarai.

Insigne fuit vetustate & religione *Amphiarai* vatis oraculum in *Atticâ*: cuius delubrum ab *Oropijs*, qui diuinos ei honores ob vaticinandi peritiam decreuerunt, ex candido marmore artificiosè constructum, quod qui adibant somnia captaturi, corpore priùs lustrato, & dijs, quorum nomina in aram incisa erant, arietis de more mactati pellem humi expandebant, cui incumbentes, quæcumque somniassent, illa oraculi loco habebant.

XVI. Varia oracula.

Vatidica quoque somnia ad *Canopum* in templo *Serapidis* dormientibus apparuisse creditum est. Itemque in fano *Pasitheæ*, & *Æsculapij* in *Pergamo*, in *Narbata* apud *Hircanos*, ad aram *Ardali* apud *Troezenios*, in quâ *Musis* & *somno* sacrificia offerebantur. Somniaturos ibi à cibo diem integrum, à vino totum triduum abstinere oportebat. *Trallibus* verò in antro *Charonio*, apud *Ægyptios* in *Isidis* & in *Melopide* semideæ templo, ægrotos somniasse remedia salutaria, de persuasione vulgi existimatum fuit.

XVII. Serapidis templa.

Serapidis cultus præcipuus fuit apud *Ægyptios*. Fana huic *Ægyptus* dedicauit plurima, quorum vetustissima fuerunt *Memphitica*, celeberrima *Alexandrina*. *Ægyptios imitati Græci* eidem *Serapidi* non pauca fana consecrarunt, assumptis sacrificiorum ritibus, & religionis, qua coleretur, legibus, ab *Ægyptiorum* gente. Nam & *Athenienses* & *Spartani* & *Messeni* & *Bœotij* ac plures alij hos secuti *Serapidi* peculiares cultus exhibuerunt *Ægyptiorum* exemplo. Extat apud scriptores historiæ Ecclesiasticæ, descriptio & Templi *Serapidis* & Idoli portentosæ magnitudinis, & præstigiarum mirificarum, quibus Templi Antistites imposuerunt miseris homi-

hominibus. Templum ſtetit ad *Theodoſij* ſæculum vſque, quo id *Theophilus Alexandrinus* Epiſcopus deleuit funditus, ſtatua idoli lignea diſſecta ac cremata. Parietes triplicibus diuerſæ materiæ laminis aureis argenteis & æneis obductos ac velut incruſtatos fuiſſe, auctores prodiderunt, ijsque ad eum modum coaptatis inter ſeſe connexisque, vt amotis anterioribus, ſupereſſent & conſpicerentur poſteriores opere pænè ſtupendo.

Porrò *Apollinis* Templum ex plumis & cerâ ſumpſiſſe initium auctor eſt *Apollonius*: Apollo, inquit, *exiguam olim cellam incoluit, ad quam apes ceram, aues plumas congeſſiſſe dicuntur, qui poſtmodum fora habuit, & templa pulcherrima, & ampliſſima.* XVIII. Apollinis templum ex plumis & cerâ. Lib. *6.* c. *6.*

Verùm occaſione hac, videntur explicanda varia ſuperſtitioſarum rei futuræ diuinationum genera, quæ ex quacumque re, ſaltem à vigilantibus captabantur; quâ ratione præter auguria etiam auſpicia, extiſpicia, tripodia ſoliſtima, Aſtrologiam iudiciariam; hydromantiam per aquam, œnomantiam per vinum, coskinomantiam per cribrum, lecanomantiam per peluim, gaſtromantiam per phialas ventricoſas aquâ plenas, dactylomantiam per annulos, catoptromantiam per ſpecula, clidomantiam per clauem, chiromantiam inſpectione manuum, pyromantiam ignis inſpectione, capnomantiam inſpectione fumi, libanomantiam thuris inſpectione, ſpodonomantiam ex cineribus Sacrificiorum, ceromantiam ex cerâ liquatâ, daphnomantiam ex lauri aduſtione, geomantiam ex certarum figurarum in ſolo diſpunctarum inſpectione, ſortes omnes ſuperſtitioſas, & huiuſmodi alias diuinationes varias. XIX. Diuinationum varia genera.

Item ſuperſtitioſa omnia è rebus varijs olim in frequenti obſeruatione, ex quibus coniectabant an matrimonium, bellum, expeditio aliqua, negotia, proſperum an infelicem habitura eſſent ſucceſſum, vt ex verbis fortuitò auditis, ex fortuito beſtiæ alicuius fauſtæ vel infauſtæ occurſu, occurſu *Æthiopis*, ex pedum in limine offenſione, oſtij ſtrepitu, aurium tinnitu, ſternutatione, & id genus plurimis. XX. Omnia è rebus fortuitis.

Scriptura etiam ad certas ominum & diuinationum ſpecies *augurij* vocem accommodat, vt ad diuinationem per ſcriptum. *a.* a. Gen. 44. v. 5. & 15.

ad

b. 3. Reg. 20, v. 33.

ad omina ex verbis, *b*. Rabbini etiam aiunt hac voce contineri diuinationem quæ fit ex buccellâ ex ore cadente, ex baculo è manu cadente, ex filio retrorſum eum vocante, ex coruo ad illum clamante, ex ceruo tranſeunte à dextris eius, ex vulpe à ſiniſtris, Sic diuinationem quæ fit per muſtelam, per auem, per ſtellam.

XXI. Ominum vanitas.

c. Lib. 9. c. 2. de Præp. Euang.

Porrò quàm vana & contemnenda ſint auguria, habes egregium cuiuſdam *Iudæi* factum in *Alexandri Magni* exercitu, relatum ab *Hecatæo Abderitâ* apud *Euſebium*, *c*. vbi cùm quidam ex aue quæ aduolabat, augurium captare vellet, eſſetné progrediendum, *Iudæus* ſumpto arcu auem traiecit, ridens eorum ſtultitiam, qui quid agendum eſſet, diſcere & coniectare ex aue vellent, quæ ſuum interitum præuidere non potuiſſet. Quid hac obſeruatione vanius? Inegreſſu offendit quis pedem ad limen, infortunatus erit egreſſus, negotia infelicem habebunt exitum. *Tibullus* de ſeipſo.

O quoties ingreſſus iter, mihi triſtia dixi,
Oſtenſum in portâ ſigna dediſſe pedem?

XXII.

Quis non rideat illud *Claudiani*: *ter cardine verſo Præſagæ cecinêre fores?* Quis iſta non rideat, & exſibilet, ſcil: Ambulantes puer tranſiens vel canis diuidit, in agro iter quà tranſeundum, pertranſit lupus, vulpes, ſerpens; ſorex occinit, picus, vt eſt apud *Plautum*; cornix eſt ab læuâ, coruus, paria ab dexterâ, bonum, fortunatum omen eſt? Quid iſta, quòd in inceptando itinere, expeditionéue aliquâ, diligenter annotarent, quis primus illis occurreret, pulcher an deformis, quo nomine, fauſto vel infauſto, item quæ prima vox exciperetur? Apud *Actium*, vt refert *Suetonius*, deſcendenti in aciem *Auguſto* aſellus cum aſinario occurrit, *Eutyches* homini (hoc eſt *felix*) beſtiæ *Nicon* (hoc eſt *victor*) erat nomen: inde omen acceptum victoriæ; & vrbs deinde *Nicopolis* appellata, & in eius templo aſini & aſinarij ſimulacrum poſitum. *Paulo* Conſuli, vt *Valerius Maximus* refert, ſorte euenerat vt cum Rege *Perſâ* ſibi bellum gerendum eſſet: domum reuerſus è Curiâ, cùm filiolã paruulam oculatus animaduerteret eam triſtiorem, cauſſamque percunctaretur, reſpondit ipſa, *Perſam* perijſſe (ita appellabatur catellus, quem ipſa habebat in delicijs:)

rapuit

rapuit omen *Paulus*, & ex eo fortuito dicto spem certam sibi victoriæ & triumphi fecit. *Petilius* Consul in *Liguriâ* bellum gerens, suosque adhortans, *Hodie*, inquit, *Letum* (nomen id montis erat) *capiam*; fortuitam vocem, maleque ominosam letho suo confirmauit. *Crasso* in *Parthos* mouente, quidam in portu caricas *Cauno* aduectas vendens, *Cauneas* clamitabat: rapuerunt id in sinistrum omen futuræ cladis aliqui, quasi *Crasso* dictum esse, *Caue ne eas*. Huc refer quæ ridet *Chrysostomus*: d. *Sæpè domum quis suā egressus hominem videt monoculum vel claudicantem, & ominatus est. Si virgini occurreris, sterilis dies erit; si verò meretrici, dextera & multâ mercatione plena.* d. Hom. 21 ad Pop. Antioch.

XXIII. Quàm stulta illa quæ *Augustinus* commemorat in libris de Ciuitate Dei, limen suum calcare, cùm ante domum suam quis transit; redire ad lectum, si quis dum se calceat sternutauerit? Quàm vana ista alia de sternutamentis, si quis manè sternutauerit, inauspicatum; si à meridie, bonum felixque auspicium: à dextrisné vel à sinistris quis sternutet multum interest? Apud *Herodotum*, e. *Hippiæ* dum sternutat, dens excussus magnum omen fecit calamitatis futuræ. Quid istud? Aures mihi tinniunt, absens aliquis de me loquitur; & si quidem dextera auris, amicus est; sin sinistra, inimicus? Vetus Poëta: e. Lib. 6.

Garrula quid totis resonas mihi noctibus auris?
Nescio quem dicis nunc meminisse mei.

XXIV. Quid ista? Sereno cælo tonuit, intonuit à læuâ, malum omen, infortunatum auspicium? De fulmine refert *Suetonius* in *Augusto*: Ictu fulminis ex inscriptione statuæ *Cæsaris Augusti* prima nominis littera effluxerat: consulti Aruspices, responderunt, eum centum tantummodò dies superuicturum, quem numerum C. littera subducta notaret, futurumque vt inter deos reponeretur, quòd *Æsar*, id est, reliqua pars à Cæsaris nomine, Etruscâ linguâ *deus* vocaretur? Quid illud? Malum omen erat ex pedis offensione decidere; at illud, referente *Suetonio*, *Iulius Cæsar* in bonum omen vertit: profectus in *Africam*, & in egressu nauis prolapsus, quod pro malo omine alij cepissent, ille *Teneo te*, inquit, *Africa*. Quàm illud ridiculum de calceo? si manè sibi (de *Augusto*

loquitur *Suetonius*) calceus perperã, ac ſiniſter pro dextero inducetur, vt dirum habebat. Caligas cuidam ſorices eroſerant, id ipſe ominoſum & prodigioſum ratus, *Catonem* conſulit, quid ea res monſtri aleret. Riſit *Cato*, & reſpondit, non eſſe illud monſtrum, ſed verè monſtrum habendum fuiſſe, ſi ſorices à caligis roderentur. Has ſtolidas & ridendas vanitates è fortuitis euentibus ſimilium ineptiarum fœcunda olim protulit antiquitas, euentus identidem obſeruationibus reſpondens ſuperſtitionem aluit, quam meritò rident & inſectantur Patres, riſit *Cato*, riſit *Cicero* libris de Diuinatione, riſerunt oculatiores quique; vt mirum non ſit, eamdem impietatem à Deo in lege prohiberi.

CAPVT IV.

TEMPLORVM ETHNICORVM SPLENDOR ET MAGNIFICENTIA.

I. Multitudo Deorum.



VOD ad veterum *Græcorum* religionem, regnauit apud eos Idololatria. Deorum Dearumque numerus fuit infinitus. D. *Auguſtinus* de Ciuitate DEI lib. III. ex *Varronis* ſententiâ affirmat, ſimul tam apud *Romanos*, quàm Græcos, extitiſſe 3000. Deorum, quorum CCC. *Ioues* erant. Vnicuique ſuus *Lar*, ſuum Numen domeſticum. Vnicuique affectui, commodo, incommodo, periculo, ſuus tutelaris DEVS: vnicuique DEO ſuæ Cæremoniæ, ſuæ preces, ſui ſacerdotes, ſua Sacrificia, & libationes. Certum eſt autem cæcam olim gentilitatem quibuſuis propè rebus DEOS finxiſſe præſides: ſic *Iupiter* olim apud *Romanos* fœderum præſes & violatorum vltor credebatur, ob idque & in ſolemni fœderum formulâ idem teſtis & vltor, ſi quis fœdus violaret, appellabatur. Fuit & apud *Romanos Piſtius Iupiter*, vt docet *Dionyſius Halycarnaſſeus*, quem Latini ſimiliter, niſi fallor, à fide *Fidium* appellabant, qui fidei ſponſionibus interueniebat, & apud Græcos ὅρκιος, vel ἐνόρκιος ξένος à iureiurando interpoſito ſic appellatus, cuius meminit Laërtius in Pythagorâ, & *Pauſanias* in *Eliacis*: & hic quidem ait in *Olympiæ* ſenatu *Iouis* ſimulacrum fuiſ-

ſe

ſe, cognominati ὅρκιος, quod vtráque manu fulmen continebat, quaſi omnino fulmine vlturus, qui falleret juramentum & violaret. Quin & lapidem *Iouem* in pactis fœderibus vocatum legimus, indicatque *Apuleius* de Deo *Socratis* his verbis: *Quid igitur iurabo? Per* Iouem *lapidem* Romano *vetuſtiſſimo ritu*, ita nimirum, vt arbitror, dictum à lapide, quem manu iuraturi, fœduſque percuſſuri tenebant, quoque poſteà vel victimam ferientes ſibi precabantur, vti *Iupiter*, ſi fœdus violarent, ipſos ſic feriret quemadmodum ipſi victimam feriebant; vel precabantur vt *Iupiter* eos perderet ac deijceret, quemadmodum ipſi lapidem jaciebant

II. Iouis Olympij templum.

Iovis *Olympij* templum ſumptuoſiſſimum, quod hominum frequentiâ potentiſſimorumque Regum donarijs adeò creuit, vt in totâ ferè *Græciâ* nullum fuerit magnificentius, nullum clarius opibus, cùm etiam *Ioue* ipſo nihil ibi putaretur ſanctius, nihil auguſtius. *Cypſelus Corinthiorum* tyrannus, *Iouem* totum aureum *Olympiæ* conſecrauit. Deinde *Phidias Athenienſis* ſimulacrum eius Dei ex ebore & auro ſtupendâ magnitudine erexit, vtpote pedum LX. In quo opere illud ab alijs artificibus reprehenſum, quòd ſimulacri ad templum nulla eſſet proportio. Cùm enim in eburneo throno ſederet *Iupiter*, capiteque templi faſtigium contingeret, neceſſe erat, ſi quando, ſedendo defatigatus eburneus ille DEVS, ſurgere vellet, vt Templi culmen vnà cum tecto deijceretur.

III. a. Lib. 17. Templi Dianæ Heliopolitanæ ſplendor.

Templi *Heliopolitani* deſcriptionem habet *Strabo*. a. In vrbe *Bubaſti Ægyptiorum* templum eſt *Bubaſtis*, hòc eſt *Dianæ* omnium maximè memorabile. Quo etſi alia ſunt tum grandiora, tum ſumptuoſiora, nullum tamen aſpectu iucundius. Id ita ſe habet. Cetera præter acceſſum inſula eſt: cuius ad ingreſſum vſque duo è *Nilo* fluenta vicina currunt, nec confluunt, hinc atque illinc præterfluentia, centum vtrimque pedum latitudinis, arboribus inumbrata. Eius veſtibulum decem paſſibus ſublime eſt, figura ſenûm cubitorum adornatum. In mediâ vrbe ſitum, vndique circumeuntium oculis ſubijcitur. Nam cùm vrbs ſit aggeſtu terræ ſublimis, templum quemadmodum à principio conditum, nec loco motum, pro ſpeculo eſt. Illud maceria figuris exſculpta ambit. Interius delubrum, ingenti proceriſſimis arboribus manu

consitis luco ambiente, in quo delubro statua est. Longitudo templi quoquò versùs vnius est stadij. Ab eius ingressu via per forum orientem versùs, quæ fert ad *Mercurij* templum, tria circiter stadia longitudinis, & quatuor iugerum latitudinis, strata lapide est, vtrimque arboribus manu consitis in cælum euntibus. *b.*

b. Herod. lib. 2.

IV. Templi Tindij in Aegypto.

In *Ægypto* ciuitas est fluuiatilis, nomine Tindium, vbi deorum fit concilium, atque in mediâ ipsâ ciuitate templum purum ac magnificum ex lapidibus conspicitur: tùm etiam extra templum ipsum vestibula sunt lapidea, spinæque candidæ ac nigræ nascuntur, quarum in superiorem spinæ partem; coronæ ex mali punici vitisque flore compositæ proijciuntur: atque hæ semper florent. Narratur fabula quædam ab *Ægyptijs*, quòd cùm *Æthiopes* in *Troiam* proficiscerentur sub imperio *Titoni*, vbi mortuum esse *Memnonem* audierunt, in eodem loco coronas abiecerunt in spinas. Sunt autem ramuli ex quibus flos emittitnr, coronis persimiles. *c.*

c. Athen. lib. 15. c. 10.

V. Iouis Beli in Babylone.

Babylon Aßyriæ metropolis, medio secatur *Euphrate*. In vtriusque ciuitatis plagæ medio murus erectus: quorum hic regiam comprehendit ambitu prægrandi atque valido: in altero *Iouis Beli* templum, æreis portis, duorum vndecumque stadiorum amplitudine, figurâ quadrata. In templi medio turris solida, crassitudine simul & altitudine stadij: cui alia rursus superimposita turris, & huic subinde alia, ad octauã vsque. His forinsecus scalæ sunt in circuitu adhibitæ, per quas ad singulas conscenditur turres. In medijs gradibus ductus sellæque in hoc factæ: in quibus ascensuros liceat sedere ac conquiescere. In postremâ turri sacellum est aliud magnum: magnus quoque lectus, & splendidè stratus, & apposita mensa aurea. Statua tamen in hoc sacello nulla est; neque hîc noctu cubat hominum aliquis, præter mulierem vnam ex indigenis, quam ex omnibus deus delegerit, vt narrant *Chaldæi* sacerdotes. *d.*

d. Herod. l. 1.

VI. Branchidarum apud Milesios.

Branchidarum templum à *Milesijs* constructum eâ fuit amplitudine, vt remanserit sine tecto.

VII. Magnesiæ Dianæ Leucophryenæ.

Magnesiæ Dianæ Leucophryenæ fanum fuit, quod & ædis magnitudine & multitudine rerum dedicatarum ab *Ephesio* superabatur:

batur: artificio verò & structuræ concinnitate circa ædem longè præstabat. Magnitudine omnia *Asiæ* fana excellebat, præter *Ephesium & Didymenum*. *e.* e. Strabo, lib. 14.

VIII. Cyzici delubrum.

Cyzici delubrum fuit, in quo filum commissuris omnibus politi lapidis subiecit artifex, eburneum *Iouem* dicaturus intus, coronante eum marmoreo *Apolline*. Tralucent ergò iuncturæ tenuissimis capillamentis, lenique afflatu simulacra refouente, præter ingenium artificis ipsa materia quamuis occulta in pretio operis intelligitur. *f.* f. Plin. l. 36, c. 15.

IX. Sami.

Sami templum est in totâ *Græciâ* amplissimum, cuius architectus primus fuit *Rhæcus Philæi* filius *F. Samius*. *g.* g. Herod. l. 3.

X. Tegeæ in Arcadia.

Mineruæ Aleæ templum *Tegeæ* in *Arcadiâ* cùm loci spacio, tum ornatu reliquo, omnia *Peloponnesi templa superauit*. *h.*

h. Pausan. in Arcad.

XI. Mineruæ in Elide.

In *Elide* ædes est *Mineruæ*, in quâ frater *Phidiæ Pannæus* tectorium induxit lacte & croco subactum, vt ferunt: ideoq; si teratur in eâ hodieque saliua pollice, odorem croci saporemque reddere traditur. *i.* i. Plin. lib. 3. c. 23.

XII. Apollinis in Arcadiâ.

In *Cotylio Arcadiæ* monte *Apollinis Epicurij*, id est, *Auxiliaris* (quia pestilentiam abegerat) ædes, lapideo lacunari omnium, quæ in *Peloponenso* sunt, excepto eo vno templo quod *Tegeæ* est, cùm lapidis pulchritudine, tum verò structuræ concinintate, longè præstantissima. *k.* k. Pausan. in Arcad.

XIII. In Abuganâ.

Lulibella, rex *Æthiopum* in *Abugana*, multa & splendidissima templa ædificauit.

XIV. Iouis Babylonij.

Semiramis, *Babylone* vrbe conditâ, in vrbis medio templum *Ioui* erexit, quem vocant *Babylonij Belum*. Constat ob illius mirandam altitudinem, à *Chaldæis* tum orientem tum Occidentem versùs astrorum in eo obseruationes factas. Id ex latere atque asphalto summâ arte magnaq; impensâ est constructum. In summo templi tres ingentes aureas statuas, *Iouis, Iunonis, Opisq;* erexit: *Iouis* longitudine pedum XL. mille *Babyloniorum* talentorum ponderis. *Opis* simili pondere in sellâ aureâ residet: ad cuius genua duo astant leones, iuxtaque serpentes argentei ingentis magnitunis: ponderis quisque ad talentorum XXX. *Iunonis* stans signum,

ponderis est talentorum DCCC. Huius dextera caput serpentis tenet, sceptrum lapideum sinistra. His omnibus communis erat mensa aurea manufacta, longitudinis pedum XL. XII. latitudinis, ponderis talentorum L. Duo præterea carchesia talentorum XXX. erant, totidemque thuribula, vtrumque talentorum triginta. Crateres ex auro tres: quorum *Ioui* dicatus talenta mille & CC. & alius *Ionica* pendebat, aliorum quisque DC. *l.*

l. Diod. l. 1. c. 4.

XV. Ephesiæ Dianæ

Magnificentiæ vera admiratio extat templum *Ephesiæ Dianæ* CCXX. annis factum à totâ *Asiâ*. In solo id palustri fecêre, ne terræmotus sentiret, aut hiatus timeret. Rursus ne in lubrico atq; instabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea substrauêre carbonibus, dein velleribus lanæ. Vniuerso templo longitudo est CCCCXV. pedum, latitudo CC. XX. Columnæ CXXVI. à singulis regibus factæ, LX. pedum altitudine: ex ijs XXXVI. cælatæ, vna à *Scopâ*. Operi præfuit *Chersiphron* architectus. Summa miracula, epistylia tantæ molis attolli potuisse. Id consecutus est ille peronibus arenâ plenis, molli puluino super capita columnarum exaggerato, paulatim exinaniens imos, vt sensim totum insideret. Difficillimè hoc contigit in limine isto, quod foribus imponebat. Etenim ea maxima moles fuit, nec sedit in cubili, anxio artifice mortis destinatione supremâ. Traduntque in ea cogitatione fessum nocturno tempore, in quiete vidisse præsentem deam, cui templum fiebat hortantem vt viueret, se composuisse lapidem, atque ita postero die apparuit, pondereque ipso correctus videbatur. Cetera eius operis ornamenta plurium librorum instar obtinent, nihil ad specimen naturæ pertinentia. *m.* *Solinus* cum *Melâ*, ab *Amazonibus* fanum hoc consecratum & fabricatum volunt, nec non Dionysius. ἔνθα θεῇ ποτὲ νηὸν ἀμαζονίδες τετύκοντο. *Pausanias* *n.* à *Crœso* viro indigena & *Ephesio* *Istri* fluminis credito filio ædificatum tradunt. Nec dissentire eos inter se opinatur, septies restituto templo, inquit *Brodeus*. Tectum eius è cedrinis trabibus. Deæ simulacrum alij ex ebeno, *Mutianus* vitigineum & numquam mutatum, septies restituto templo. Valuæ sunt è cupresso. Materia omnis nouæ similis, cùm XL. iam annis durarit. *o.* Illud *Herostratus Ephesius* incendit, vt sibi perpetuitatem nominis compararet.

m. Plin. l. 36. c. 14.

n. In Achaic.

o. Plin. l. 10. c. 40.

ret. Incendium accidit circiter Idus Sextilis, quo die natus eſt *Alexander Magnus*, vt ait *Plutarchus*. *p*. Sanxerunt *Epheſij*, propoſitis grauiſſimis ſupplicijs, ne quis in poſterum *Heroſtratum* nominaret. Exinde *Epheſij* aliud præſtantius conſtruxerunt, mulierum ornamentis & multis operibus ad id collatis, non vt *Timæus Tauromenitanus ait*, *ex Perſarum* depoſitis, cùm nulla eſſent, & ſiqua fuerant, cum templo conflagrauerant. Ferunt *Alexandrum Magnum*, cùm templum inſtaurari accepiſſet, factas & futuras impenſas pollicitum, ſi eius rei titulus ſibi adſcriberetur: illos autem renuiſſe, Epheſiumque laudibus quemdam extollunt, qui regi dixerit, Non decere deum dijs quicquam dedicare. *q*.

p. In eius vitâ.

q. Strabo lib. 14.

Mineruæ Sicyone.

XVI. *Sicyone* ad portam Sacram dictam templum *Mineruæ* ab *Epopæo* rege dedicatum, magnitudine & ornamentis, omnibus eius temporis operibus præſtitit. De cælo tactum conflagrauit. *r*. *Gelon Syracuſanus Cereri* & *Proſerpinæ* templa ex manubijs ſpolijſque *Carthaginenſium* ingenti magnificentiâ, miroque artificio extruxit. *s*. *Alexander Magnus* ex prædâ barbaricâ X. millia talentûm ad ædificanda dijs delubra in *Græciam* miſit. *t*.

r. Pauſan. in Corinth.

ſ. Diod. lib. 11. c. 1.

t. Plut. orat. 2. de Alex. fortuna.

XVII. *In Iouis Capitolini* ædis fundamenta impendit *Tarquinius Superbus Rom.* Rex XL. millia pondo argenti. At eius, quod *Domitianus* extruxit, vel maximæ vnius priuati *Romani* reputatæ opes non ſuppeditarint in deaurationem, in quam plus duodecim millia talentûm exhauſta. Columnæ ſunt ex marmore *Pentelico* exciſæ quadrato, quarum elegantiſſimè reſpondebat craſſitudini longitudo: eas enim vidimus *Athenis*. Nec deſecatis denuò expolitiſque tantum acceſſit venuſtatis, quantum deceſſit ſymmetriæ, apparuitque exilibus redditis exhauſtus decor. *u*.

Iouis Capitolini.

u. Plut. in Poplic.

Aedes Fortunæ ex phengite.

XVIII. *Nerone* principe, in *Cappadociâ* repertus eſt lapis duritiâ marmoris, candidus atque tranſlucens, etiam quâ parte fuluæ inciderant venæ, ex argumento *phengites* appellatus. Hoc conſtruxit ille ædem *Fortunæ*, quam *Seiam* apellant, à *Seruio* rege ſacratam, Aureâ domo complexus. Quare etiam foribus apertis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quàm ſpecularium modo, tamquam incluſâ luce, non tranſmiſſa. *x*.

Plin. l. 36. c. 22.

XIX. Poſt triumphos & *Romani* Imperij firmiſſimum ſtatum, *Veſpaſianus*

Pacis templum.

ſpaſianus Paci templum ædificauit mirâ celeritate, & quæ hominum cogitationem ſuperaret. Magnâ autem diuitiarum largitate vſus, inſuper perfectis id picturæ ac figmentorum operibus exornauit. Omnia namque in illud fanum collecta ac depoſita ſunt, quorum viſendorum ſtudio per totum orbem antiquitatum ſtudioſi vagabantur: repoſuit etiam illic *Iudæorum* ſacra vaſa. Legem verò eorum, & penetralium vela purpurea in palatio cóndita ſeruari præcepit. *y.* *Rogat Perſius*:

y. Ioſ. l. 7. c. 24. bel. Iud.

Dicite Pontifices, in templo quid facit aurum?

alij legunt, *Sancto*. Quo indicare voluit inanem eſſe templorum ornatum. *Lampridius* in vitâ *Alexandri Seueri* tradit, eum in templis non niſi quatuor aut quinque libras argenti poſuiſſe, auri ne drachmam, intelligens nimis ſeuerè illum *Perſij* verſiculum,

In Sancto quid facit aurum?

XX. Maximus luxus in ornatu templorum.

Alij tamen maximo luxu delubra ſua auro & gemmis accumulabant. Vnde & Virgines imagunculas quaſdam ex auro, aliaúe materiâ pretioſâ *Veneri* offerebant, poſtquam annos pueriles exceſſerant. *Phryne Delphis Venerem* auream dicauerat. Quam cùm *Diogenes* vidiſſet, adſcripſit elogium: *Ex Græcorum intemperantia*. Arguebat enim *Græcos*, quòd ita ſupra modum libidini dediti eſſent, vt ſcortum è turpi & publico ſui corporis quæſtu tantum auri collegiſſet; ac ſimul inſinuabat, non ex quouis lucro, aut pecuniâ vndequaque corrâsâ ornanda eſſe Deorum loca, aut erigendas illis ſtatuas. *z.*

z. Laërt. l. 6.

XXI. Templi Gaditani opulentia.

Quanta *Gadibus* in templo *Herculis* opulentia? de eâ præter alias æneas ſtatuas, *Philoſtratus*: *a.* Pygmalionis, ait, *inſuper aurea oliua in ipſo* Herculis *templo poſita eſt, mirabili, id aiunt, arte fabrefacta: cuius præcipua pulchritudo in fructuum opere conſpicitur, qui ex lapide ſmaragdo confertis vuis, oliuis ſimillimi apparent.* Teucri etiam Telamonij *baltheus aureus eodem in loco monſtratur. Quæ autem in templo ſunt columnarum ſimulacra ex auro argentoq; ſimul fuſo, & in vnum colorem redacto, facta eſſe* Damis narrat. Quod verò ad columnas attinet, videtur certè *Hercules* columnarum illarum memoriâ vtique cultus, nam ampliſſimum & opulentiſſimum *Tyrij Herculis* templum ſuas quoque columnas habuit, atque eas

a. Lib. 5. c. 1. de vit. Apoll.

Hercules columnarum nomine cultus.

pretio-

pretiosissimas, vt scribit *Herodotus*: *b.* *Templum*, inquit, Herculis, quod vidi, opulenter exornatum cùm alijs multis donarijs, tùm verò duobus cippis, altero ex auro excocto, altero ex lapide smaragdo, maiorem in modum splendente per noctem. Sed de his columnis, tùm & de *Gaditanis* videndus *Strabo*, *c.* vbi diuersas aliorum sententias de *Herculis* columnis recenset; atque extremam illam, quam *Possidonius* maximè probabilem censet, videlicet fuisse æreas octo cubitorum columnas, quibus inscriptus fuerit sumptus in templi factus exædificatione, quos nauigatione absoluta sacris *Herculis* factis declinauerint. *Nam vetusti*, inquit Strabo, *moris fuit huiusmodi ponere limites*: cuius plurima profert exempla ex antiquitate.

b. Lib. 2.

c. Lib. 3.

Priscus ritus columnas erigendi pro limite itineris.

XXII. Templum Cordubense.

Templum *Cordubense* amplissimum, & toto orbe clarissimum, cœptum ædificari à *Machumetano Abderameno* II. Rege *Cordubensi*; perfectum verò ab *Ixecâ Abderameni* filio circa A. C. DCCC. contignationes vniuersas habet Cedrinas siue Alerzinas.

XXIII. d. Lib. 3. Pædag. c. 2. Templa Aegyptiorum.

Templa *Ægyptiorum* ita describit *Clemens Alexandrinus*: *d.* *Apud* Ægyptios, *Templa, eorumq; porticus, ac vestibula, luce mirificè instructa, eorumq; atria multis columnis cincta sunt: parietes autem lapidibus externis & artificiosè depictis resplendent: ita vt nihil desit: ædes autem auro, argento, electro collucent, & ex* India *ac* Æthiopia *varijs fulgentibus lapillis; adyta verò intextis auro obumbrantur peplis. Sed si penetralia templi ambitus subieris, & ad eius, quod est præstantius spectaculum properans, imaginem, quæ templum habitat, quæsieris, Sacerdos quispiam ex ijs, qui in templo sacrificant, graui & venerando vultu aspiciens, &* Ægyptiorum *linguâ* Pæanem *concinens, cùm veli aliquantulum contraxerit, tamquam Deum ostensurus abunde nobis suppeditat occasionem irridendi numinis: neq; enim intùs inuenitur Deus, qui quærebatur, ad quem festinabamus, sed felis, vel crocodilus, vel serpens indigena, vel aliqua huiusmodi bellua, quæ templo quidem est indigna, sed antro, speluncæ ac cœno magis congruit.*

XXIV. Templnm Simio dicatum.

Apud *Malabares* fanum est simio dicatum; cuius dumtaxat pecori in victimarum vsum custodiendo, porticus miram in longitudinem excurrit, columnarum septingentarum è marmore, tantæ magnitudinis, vt *Agrippæ* columnas, quæ in celeberrimo quondam

dam omnium Deorum templo *Romæ* visuntur, sine dubio adæquent.

CAPVT V.

TEMPLORVM GENTILIVM VENERATIO PETITA AB ANTIQVITATE. ITEM DE EVENTIBVS ADMIRANDIS.

I. Ab antiquitate.



APVD *Thebas Ægyptias* olim ex quatuor templis pulchritudine magnitudineque admirabili constructis, vnum fuit antiquissimum, cuius circuitus stadijs XIII. patebat, altitudo cubitis quinque & quadraginta: muri latitudo erat pedum quatuor & viginti. Respondisse huius templi magnificentiæ aiunt ornamentorum cultum, magnâ impensâ & mirando opere constructum: ea structura vsque ad posteriora permansit tempora. Aurum verò & argentum, ebur, & lapidum sumptus atque ornatus, à *Persis* ablata, quo tempore *Cambyses Ægyptiorum* templa combussit. *a.*

a. Diod. l. 1. cap. 4.

II. Templa *Græciæ* vetustissima habentur, *Pythij Apollinis* apud *Samios*, *Mineruæ* aud *Phocaënses* in *Ioniâ*, quod *Harpagus* olim *Medus* exussit: antiquissimum verò omnium *Theatij Apollinis* apud *Træzenios*, quod *Pitheos* maternus auus *Thesei* ædificauit & exornauit. *b.*

b. Pausan. in Corinth.

III. Memorabile fuit *Vticæ* templum *Apollinis*, vbi *Numidicarum* cedrorum trabes durant, ita vt positæ fuêre primâ vrbis eius origine, annis mille centum octoginta octo.

IV. Et in *Hispania Sagunti* aiunt templum *Dianæ à Zazyntho* aduectæ cum conditoribus, annis ducentis ante excidium *Troiæ*, vt auctor est *Bochus*, infraque oppidum ipsum id haberi. Cui pepercit religione inductus *Annibal*: juniperi trabibus etiam nunc durantibus.

V. Super omnia memoratur ædes in *Aulide* eiusdem deæ, sæculis aliquot ante *Troianum* bellum exædificata: quonam genere materiæ, scientia obliterata. *c.*

c. Plin. l. 16. cap. 20.

VI. A sanctitate

In *Ponto* fanum est *Mensa Pharnacis* dictum, *Ameriâ* scilicet vicus,

vicus, in vrbis modum, multos ſacros ſeruos habens, & regionem ſacram, cuius fructum ſacerdos percipit. Hoc fanum adeò reges venerati ſunt, vt quod ipſi regium juſiurandum vocant, id regis fortunam & *Pharnacis* menſam dixerint. Eſt autem hoc lunæ fanum, quemadmodùm id quod apud *Albanos* eſt, & ea quæ ſunt in *Phrygiâ*. *d*. & cultu; d. Strabo lib. 12.

VII. Supra *Tuneta* itinere trium dierum vrbs eſt *Caruenna*, perantiquo templo venerabilis, & ob id libera & immunis, in quâ functi fato *Maurorum* & *Numidarum* proceres, vel è longiſſimo terrarum tractu tumulantur. Quoniam perſuaſum habent, eorum animas, quorum oſſa eo in loco ſita ſint, vti puriùs expiatas, ad impetrandam cæleſtis vitæ felicitatem, illorum ſacerdotum accuratiori cæremoniâ ſuperis efficaciſſimè commendari. *e*. e. Iou. l. 33. Hiſtor.

VIII. Apud *Arginos* nobiliſſimum templum fuit *Apollinis Lycij*, dedicatione *Danai*. Item & Æſculapij. *f* f. Pauſan. in Corinth.

IX. *Veneris* templum adeò locupletatum fuit *Corinthi*, vt ſupra mille proſtitutas puellas caperet, quas *Veneri* viri mulieréſque addixerant. Propter has frequens in vrbem multitudo conueniebat, vnde ciuitas mirum in modum ditabatur. *g*. g. Strabo lib. 8.

X. A miraculis ſiue euentibus admirandis. In libro de Fabuloſis locorum rebus eſt, cùm *Halicarnaſſi* ſacrificium quoddam *Ioui Aſciæo* peragitur, gregem caprarum ad fanum adductum conſiſtere, votiſque abſolutis, vnam earum, nemine ducente, progreſſam ad aram accedere, quâ ſacerdos arreptâ libet. *h*. h. Apol. de Hiſt mirab.

XI. In *Bæotiâ Cereris Mycaleſſiæ* templum occludi ſingulis noctibus & aperiri ab *Hercule* putant. Prætereà ad ſimulacri pedes poma omnia, quæ fert autumnus, exponunt. Ea quàm recentiſſima totum annum perdurant. *i*. i. Pauſan. in Bœot.

XII. Inter *Tralles* atque *Nyſſam* vicus eſt *Nyſſenſium*, non procul ab vrbe, nomine *Acharaca*, vbi *Plutonium* eſt, luco ſumptuoſo circumdatum. Item *Plutonis* ac *Iunonis* delubrum, & antrum *Charonium* naturâ admirabile, quod luco imminet. Tradunt, ægrotos qui horum deorum curis vacant, eò proficiſci, atque in vico, ſpecui vicino, apud ſacrorum peritos immorari, qui pro eis indormientes, curas ex inſomnijs captant, Hi Deorum remedia inuocantes,

tes, sæpè illos in antrum ducunt: vbi tamquam in cauernâ manentes, multos dies & ieiuni & quieti exudant, nonnumquam ægrotantes, proprijs insomnijs intendunt, ductu & consilio sacerdotum. *k.*

k. Strabo lib. 14.

XIII.

Epidaurus Peloponnesi ciuitas, *Æsculapij* claritate nobilitata, quem varia morborum genera curasse, somniati sunt homines. Erat verò templum ægrotantium multitudine vsquequaque refertum, pendentibusque tabellis, in quibus sanati languores erant inscripti. Quemadmodum & in *Côâ* fiebat insulâ pariter & *Tricâ*. Sita vrbs est in ipso *Saronici* sinûs recessu intimo. *l.*

l. Idem l. 8.

XIV.

Canopus centum ac viginti stadijs distat ab *Alexandriâ*, dicta de nomine *Canopi*, qui *Menelai* classem gubernabat, & ibi mortuus est. In eâ est *Serapidis* templum, & cultu & religione excellens, vt etiam doctissimi viri credant, & pro se vel pro alijs insomnia ibi captent. Sunt qui curas conscribant, quidam verò virtutes eorum, quæ ibi respondentur. *m.*

m. Idem l. 17

XV.

Celebre fanum habet *Veneris Paphos*, in cuius quamdam aream non impluit. Item in *Neâ* oppido *Troadis* circa simulacrum *Mineruæ*. In eodem & relicta sacrificia non putrescunt. *n.*

n. Plin. l. 2. cap. 96.

Scripsit *Lucianus* in *Icaromenippo*, celeberrimum templum *Æsculapij* fuisse *Pergameni*, sicut *Apollinis* in *Delphis*.

o. Lib. 8.

Strabo *o.* fanum *Æsculapij* insigne scribit *Tetrapoli*, quæ ciuitas ab *Ionibus* & *Caribus* habitabatur. Erat id templum multitudine ægrotantium & varijs morbis laborantium plenum, & parietes pictis tabellis vbique tecti, in quibus scripti erant morbi & nomina eorum, qui ab illo deo sanati essent. *p.*

p. Nat. Com. Mythol lib. 4. cap. 11.

XVI.

In *Dauliâ* esse memorant *Iliados Mineruæ* templum, in quo alantur canes, quibus insitum planè sit, perinde ac ratione quadam, aduentantibus subblandiri *Græcis*, Barbaros autem, vbi se ostentarint, latratu insectari. *q.*

q. Cæl. lib. 33. cap. 31.

XVII.

Extra *Crotonem* olim *Iunonis Laciniæ* templum fuit, multâ religione sacrum. Lucus proceris abietibus septus. Læta in medio pascua, vbi omnis generis pecus deæ sacrum sine custode pascebatur, gregibus sub noctem ad stabula sponte remeantibus, nulli hominum ferarumúe iniuriæ obnoxijs. Solida ex auro columna

ex

ex illorum prouentu facta dedicataque deæ est, templum diuitijs & religione inclytum. Miraculum loco affingitur ex arâ, quæ ibi sub dio fiat, numquam cinerem ventorum impulsu dissipatum. *r.*

r. Sabel. l. 3. Ennead. 5.

XVIII.

Templum *Diomedis* esse aiunt in insulâ *Diomedeâ*, non longè à monte *Gargano*, qui est in *Apuliâ*, & hoc templum circumuolare atque incolere aues *Diomedeas*, tam mirabili obsequio, vt rostrum aquâ impleant & aspergant: & eò si *Græci* venerint, vel *Græcorum* stirpe progeniti, non solùm quietas esse, verùm & superaduolare; si autem alienigenas viderint, subuolare, & capita eorum tam grauibus ictibus, vt etiam perimant, vulnerare; nam duris & grandibus rostris satis ad hæc prœlia perhibentur armatæ. *s. Seruius t.* ait, socios *Diomedis* duce suo sublato, impatientiâ doloris in aues mutatos esse, & memores originis suæ *Græcis* nauibus lætas occurrere, barbaris infestas, quòd ab *Illyricis Diomedes* sit interemptus. *Aristoteles u.* tamen ab *Æneâ* occisum dicit. Has aues *Seruius* tradit à *Græcis* vocari ἐρωδιούς. sic putat *Ælianus*. Aues earumque ingenium describit *Plinius, x.* vocarique scribit à *Iubâ Cataractas*, esseque illis dentes & oculos igneo colore, ceterum corpus candidum: duas semper ijs duces, alteram ducere agmen, alteram cogere: has tantùm visi in insulâ, nobili *Diomedis* tumulo atque delubro, contra *Apuliæ* oram, fulicarum similes. Aduenas barbaros clamore infestant, *Græcis* tantùm adulantur miro discrimine, velut generi *Diomedis* hoc tribuentes. Originem verò fabulæ esse dicit, quòd illi ædem eius quotidie pleno gutture madentibus pennis perluunt atque purificant.

s. D. Aug. l. 18. de Ciuit. Dei. c. 16.

t. 2. Georg.

u. In Mirabil. audit.

x. Lib. 10.

XIX.

Romæ in Boario foro ædes *Herculis* rotunda præcipuæ admirationis, ad quam nec canes, nec muscas ingredi, opinio est, sicut *Achillis* ædem ante *Borysthenem* nulla ales ingrediebatur. *y.*

y. Alex. l. 2. cap. 14.

XX. Artificiosũ Marocci Templum.

In *Africæ* vrbe MAROCCO multa sunt Templa, inter quæ nullum artificiosius, neque magnificentius, quàm quod in medio vrbis, à quodam *Hali* dicto exstructum exstat. Est & aliud ab huius successore *Abdul Miomen* exstructum, & ab huius Nepote *Mansor* ampliatum, multisque Columnis ex *Hispaniâ* conuectis opulentius redditum. Cisternam sub hoc Templo confecit, eius magnitudinis, cuius totum est Templum: tectum Templo addidit

 plum-

plumbeum: ſingulisque angulis addidit Canales, qui pluuialem aquam in Ciſternam ſubiectam mittant. Turris ex lapide duriſſimo, quale *Romanum Veſpaſiani* eſt Amphitheatrum, altitudine Turrim *Bononienſem* in *Italiâ* ſuperat. Gradus quibus aſcenditur, habent ſinguli nouem palmos latitudinis: exterius verò muri latus decem. Septem habet hæc turris manſiones, fitque ab vnâ ad aliam ligneâ ſcalâ aſcenſus. Si quis è Fumâ Turi deſpiciat, huic Homines quamuis ſtaturæ procerioris, non aliter ac pueri vnius anni appareant. Habet & hæc turricula in ſummâ parte ferrum quoddam Lunâ ornatum aureâ, tres item Sphæras aureas, ſic ferro inſertas, vt maxima inferiorem, minima ſuperiorem partem occupet. Eſt & Arx quædam munitiſſima in hac vrbe, quæ ſi amplitudinem, ſi muros, ſi Turres, ſi Portas ex *Tiburtino* Marmore exſtructas videris, Ciuitatem jure cenſeas. Templum habet altiſſimâ Turri ornatiſſimum, in cuius faſtigio Lunam, atque ſub hac tres inæqualis magnitudinis Sphæras aureas, quæ omnes CXXX. mille aureos pendunt.

XXI. Ampliſsimum Feſſæ Templum.

In vrbe FEZ Templa ſunt DCC. in quibus magnifica & ſplendida. Summum templum quod vocant *Carauuea*, ambitum habet ſeſquimiliaris. Portas amplas atque altas vnamet triginta. In hoc Templo ſingulis noctibus CIↃ. lucernæ accenduntur. Redditus Templi in ſingulos dies feruntur eſſe ducentorum aureorum.

XXII. Cairi 22000 templorũ.

Memphis olim *Arſinoë*, regia vrbs *Ægypti* nunc *Cairum* vel *Alcair*, Templorum continet vigintiduo millia, & magnifica templa Idolis conſecrata, & dæmonis cultui deſtinata.

XXIII. Mexici templorũ.

In vrbe *Mexico* celeberimum fuit Templum *Vitzilipuztli*, ambitum ampliſſimum habens, atque aream intus pulcherrimam. Sanè fuerunt in hiſce *Indiæ* partibus plurima, & quidem ſuperba & magnifica Templa, Idolis conſecrata, ac diaboli cultui deſtinata, quæ *Hiſpani* olim voce *Cu* appellarant.



CAPVT

CAPVT VI.

TEMPLORVM GENTILIVM EVERSIO, EXVSTIO, ET PROFANATIO.



EMPLVM *Iunonis* juxta *Mycenas* antiquissimum & ditissimum conflagrauit, cùm somnus *Chryseidem*, *Iunonis* sacerdotem oppressisset, incensis proximæ lucernæ lumine coronamentis. Ipsa *Tegeam* ad *Aleæ Mineruæ* aram supplex confugit. *a.* I. Iunonis Mycenis. a. Pauf. in Corinth.

Argi lucus sacer à *Cleomene Spartanorum* rege incensus, & *Argi* hostes, qui eò confugerant, exusti. *b.* II. Argi lucus. b. Herod. lib. 6.

In *Sicyoniorum* foro *Pithus* Deæ templum, olim à *Præto* dedicatum, conflagrauit, & simul donaria vetustissima & elegantissima. *c.* III. Pithus Deæ. c. Pauf. in Corinth.

Templum *Iouis Capitolini* primum, quod *Tarquinius* condidit, & dedicauit *Horatius Puluillus* consul, incendium bellis ciuilibus absumpsit. Sunt qui putant operâ *Syllæ* incensum *Capitolium*, alij *Carbonis* Cos. *Appianus* in bello ciuili, fortuitam fuisse deflagrationem, & caussam latere scribit. Secundum excitauit *Sylla*, sed *Catulus*, *Syllâ* fato præuento, est dedicationi præscriptus. Quod cùm iterum bellis intestinis *Vitellianis* deflagrasset, tertium cùm alia vsus felicitate, tum hac *Vespasianus*, ab initio vidit excitatum ad finem, concidens paulò pòst non vidit: verùm hactenus *Syllam* superauit felicitate, quatenus ille consecrationem templi ab se ædificati, hic interitum morte præuenit. Simul enim atque discessit *Vespasianus*, *Capitolium* haustũ incendio est. *d.* Quartum à *Domitiano* & expletum est & dedicatum. Sub *Commodo* Ædes *Iouis Capitolini* fulmine incensa, ignem in bibliothecam vicinam instructissimã, maiorum curâ & diligentiâ adornatam, deriuauit, eamque magnâ cum jacturâ & clade litterarum & librorum exussit. Nec multò pòst secutum est aliud incendium, templa *Pacis* & *Vestæ* & *Palatium* concremauit, magnamque partem ipsius vrbis diruit, ac solo æquauit. *e.*

IV. Iouis Capitolini.

d. Plut. in Poplic. Ap. l. 1. bel. ciu.

e. Spart. Oros. Herod.

Apollinis

V. pollinis Daphnæi. *Apollinis* templum *Daphnæum* in *Antiochiæ* suburbio (quod *Gallus* Imp. *Christianis* concesserat, & ibi etiam *Babylæ* martyris reliquias reposuerat) cùm *Iulianus* apostata denuò idolis coinquinaret, eiecto *Babylæ* cadauere, ignis incerto auctore coortus, templum integrum absumpsit. *f.*


f. Niceph. lib. 10. c. 28.

VI. Antiochiæ Traiani. *Iouianus* Imp. à coniuge instigatus, *Antiochiæ* templum magnificentissimum, quod *Hadrianus* in honorem patris *Traiani* extruxerat, & *Iulianus* apostata in bibliothecam redegerat, vnà cum libris omnibus cremari jussit.

CAPVT VII.

TEMPLORVM IMMVNITAS APVD ETHNICOS.

I. Templa olim asyla.



SYLA olim templa dicta, vt apud *Liuium*: *a.* *Eâ religione & eo jure sancto, quo sunt templa, quæ Asyla Græci vocant.* Asylum, sacros terminos, quibus seruis esset securitas, dixit *Iulius Pollux* *b.* Idque innuit *Euripides*, *c.*

a. Lib. 35.

b. Lib. 2. Onomast. cap. 10.

c. In Supplic. Act. 1.

Habent confugium, feræ quidem ad petram;
Serui autem ad aras Deorum, Idolorum: Ciuitas autem
Ad ciuitatem confugit
Tempestate exagitata.

Et in templa confugientes, veniâ & miseratione dignos docet *Virgilius* *d.* dum ait:

d. Lib. 1. Aeneid.

Cunctis nam lecti nauibus ibant
Orantes veniam, & templum clamore petebant.

Ita & supplices orantes aras tenebant, vt innuit idem. *e.*

e. 6. Aneid.

Talibus orabat dictis, arasq; tenebat.

Erant templa eius venerationis, vt quod eò illatum esset, violari nefas esset.

II. Asyli priuilegium non omnibus templis cōcessum. Ceterùm *Asyli* priuilegium apud Ethnicos, quòd quis extrahi non posset, non omnibus templis concessum fuit: sed aliquibus tantùm, quibus consecrationis lege irrogatum fuisset. Quod elici potest ex *Cornelio Tacito*, dum scribit, *f.* sub *Tiberio* Cæsare increbruisse *Græcas* per vrbes licentiam atq; impunitatem asyla constituendi,

f. Lib. 3. Annal.

ſtituendi, quòd complerentur templa peſſimis ſeruitiorum, & eodem ſubſidio obærati aduerſum creditores, ſuſpectique capitalium criminum receptabantur, nec vllum ſatis validum imperium erat coërcendis ſeditionibus populi, flagitia hominum, vt cæremonias Deûm protegentis, & ideò placitum, vt ciuitates mitterent iura, & legatos, &c. *Suetonius* addit, *g Tiberium* aboleuiſſe omne jus moremque aſylorum, quæ vſquam erant. g. Cap. 37. in Tiberio.

III. Sacrilegi reputati, qui ius aſyli violaſſent.

Conſeruabant autem poſteri omni ſtudio hoc ius, & inter ſacrilegos enumerabant, qui ab aris ſupplices, & ad DEI tutelam fugientes dimouebant, & in eos grauiter animaduertebant. Sic *Athenienſes* eos ciues condemnarunt vltimo ſupplicio, qui *Cytonis* ſocios & miniſtros, qui per tyrannidem occupare arcem tentaſſent, ad aram *Mineruæ* factos ſupplices, occidiſſent. *h.* h. Thucyd. in 1. lib.

IV. Plut. in Solon.

Quin & apud Senatum *Syracuſiorum* aliquando obtinuit, teſte *Diodoro Siculo*, *i.* in iudicio *Ducetij Siciliæ* patriæ proditoris, & criminis maieſtatis rei ad aras ſupplicis, inuiolatam religionem in eo eſſe, ſaluumque fore debere, quia Dei potiùs eſſet cauſſa, ad cuius aram eſſet ſupplex: quamuis cum hoſtibus nulla ſit diuini iuris, ſacrorum, religionumúe ſocietas, & inter eos omnia ſint profana, ſiquidem capta ab hoſtibus profana fiunt. i. Lib. 11. Biblioth.

V. Templum Palladis aſylum.

Templum *Palladis* aſylum erat. Vnde nec *Pauſaniam* auſi ſunt *Lacedæmonij* abducere vi, & militibus ibi cinctus, fame necatus eſt, vt ait *Thucydides*, *k.* & *Diodorus Siculus*, *l.* qui ſubdit, & numen idcirco iratum fuiſſe, quòd contra fas ſupplex mortuus fuiſſet. Atque *Lacedæmonas*, cùm *Delphos Appollinem* conſulturi miſiſſent, reſponſum accepiſſe, ſupplicem reſtituere oportere: atque ideò duas ſtatuas æreas *Pauſaniæ* extruxiſſe in templo *Palladis*, conſilio diu agitato. k. Loc. cit. l. Lib. 11.

VI. Alcibiades damnatus.

Alcibiades in *Siciliâ* abſens, *Athenis* reus factus quòd ſacra violaſſet, & capitis damnatus bonis publicatis, etſi plebiſcito poſteà fuerit reſtitutus. *m.*

m. Aemil. Prob. in Alcibiade.

Pauſanias n. ſcribit, *Syllam Romanum* phthiriaſi ſiue morbo pediculari interijſſe, quòd *Ariſtionem* ex *Mineruæ* fano extractum trucidaſſet. n. In Attic. 1. Sylla punitus.

o. Diod. Sic. l. 17. Biblioth.

Qui *Tyrijs* deserendam ciuitatem, vt, DEO admonente, prædixerat, cùm eum populus occidere vellet, ad templum fugiens morte liberatus est. *o.*

p. Idem lib. 11.

Templum ad *Palicem* tutissimum præstabat confugientibus asylum. *p.*

q. Lib. 4. hist.

Lacedæmonij quoque templum velut asylum venerabantur, & in quo nocentes omnes etiam capite damnati, salui esse consueuerant, *q.* teste *Polybio.*

r. In Erot. cap. 9.

Diogenites Milesiorum Dux, ausus non est violare *Policritam Naxiam*, ex hostibus in templo repertam; *Non enim fas erat supplicem in templo violare*, inquit *Parthenius.* *r.*

VII.

s. Strabo l. 12.

Fuit asylum delubrum *Iouis* in *Tomio* apud *Trangnios*, qui habitabant *Pontum* & *Cappadociam* versus. *s.*

t. Idem l. 14

u. Hero. l. 2. in Euterpe.

Item *Ephesi Dianæ.* *t.* In *Ægypto* ad ostium *Nili* quod vocatur *Canonipum*, in cuius littore erat *Herculis* templum, ad quod si quis cuiuscumque hominis seruus confugiens caperet sacras notas, sese DEO tradens, nefas erat tangere. *u.*

x. Io. Mag. lib. 23. hist. Goth. c. 21. & 22.

Gothi eâ pietate fuerunt, vt nullos omninò violarent, qui securitatem à templis DEO dicatis inuocarent. *x.*

VIII.

y. Aul. Gel. lib. 10. c. 15.

z. Act. 5. Sce. 1.

a. Rudente Act. 3. Sce. 3.

Est sanctio inter cæremoniales *Flaminis Dialis*, vinctum si ædes *Flaminis* introijsset, solui necessum esse: & vincula per impluuium in tegulas subduci, atq; inde in viam foras dimitti. *y.* Apud *Plautum* *z.* *Traneo* seruus, ne à *Teuropide* & Lorarijs puniretur, ad aram confugiens, inquit: *Interim ego hanc aram occupabo.* Apud eumdem *a.* *Trachalio* admonet *Palæstram* & *Ampeliscam* vt in arâ assideant, ne per vim abducantur. Sic enim inquit: *Ne, inquam, timete, assidete hîc hac in arâ.* Ampelisc. *Quid ista ara plus prodesse nobis potest quàm signum Veneris in fano hîc intus, quod amplexæ modò, vnde abreptæ per vim miseræ?* Et Scenâ 4. *Labrax* inquit: *Mihi non liceat ancillas meas Veneris de arâ abducere?* Dæmenes: *Est lex apud nos.*

IX.

Ara misericordiæ Athenis.

b. Lib. 21. Thebaidos.

Athenis etiam erat *ara misericordiæ*, quam *Herculis* nepotes postquam is è terris migrauit, collocarunt, vt esset eis asylum, à quâ nemo abduci posset, timentes insidias eorum, quos auus afflixerat, auctore *Statio*: *b.* *Vrbe fuit mediâ nulli concessa potentum*

Ara

Ara Deûm, mitis posuit clementia sedem.

Eum legito, apud quem satis constat, hanc aram misericordiæ, omnium confugium fuisse, nullique Deorum nominatim dicatam.

Huc victi bellis, patriaq; à sede fugati,
Regnorumq; inopes, scelerumq; errore nocentes
Conueniunt, pacemq; rogant.

Huius aræ ignoti Dei meminit *Paulus* c. secundùm *Lyranum*, & *Gersonem*. d. Aræ item misericordiæ meminit & *Pausanias*, e. qui eam in foro fuisse tradit, idem scribit in *Phalerâ* portu *Atticorum* aras constitutas, & dicatas esse Heroibus, & dijs qui ignoti vocantur. c. Act. 17. d. Tract. 6. sup. Mag. e. Lib. 1. in Attic.

X. Templum quoque *Dianæ Ephesiæ* eiusmodi fuit, vti iam suprà diximus, vt ex eo nemo quouis crimine damnatus educi posset. Cuius *Cicero* in *Verrem* meminit: scribit & ad hæc *Iustinus* f. in hunc modum: *Laodamia autem cùm in aram Dianæ confugisset, concursu populi interficitur. Quod facinus dij immortales assiduis cladibus gentis, & propè interitu totius populi vindicauerunt, nam sterilitatem famemq; passi, & intestinâ discordiâ vexati, externis ad postremum bellis pænè consumpti sunt. Miloq; Laodamiæ percussor in furorem versus, nunc ferro, nunc saxo summo dentibus laceratis visceribus duodecimo die interijt.* Hactenus *Iustinus*, mentionem faciens aræ *Dianæ* non *Ephesiæ*, sed *Epirotæ*. Hinc & *Pausanias* g. existimat, non ob aliam caussam *Syllam* in diram incidisse calamitatem, quàm quòd *Aristonem* qui in *Mineruæ* templum confugerat, vi extractum interfici iussisset. Idem *Pausanias* h. *Helices* vrbis excidium commemorans, multa profectò tradit exempla, quibus apparet, implacabilem fuisse numinum iram ob violata deorum templa. Quo in loco refert *Dodonei Iouis* oraculum *Atheniensibus* redditum his sanè versibus: f. Lib. 38. g. In Atticis. h. In Achaicis.

Ara tibi Eumenidum fumans, & curia Martis
Sint cordi, hinc bello domiti, nam fortè Lacones
Suppliciter tristes, venient tu proijce tela,
Supplicibus parcens, diuûm quos iura tuentur.

XI. Apud eumdem *Pausaniam* i. fit mentio *Hebedei*, cuius templum erat sacrosanctum, & hinc honorem habebat, vt qui supplices i. In Corinth.

ces in id confugissent, cuiusuis criminis impunitatem consequerentur. Idem *Pausanias* k. tradit, apud *Tegeatas Mineruæ* templum vniuerso *Peloponneso* fuisse antiquâ religione sacrosanctum, nec violari eos fas fuisse qui illuc confugissent, quæ sanè religio in *Pausaniâ* semel, anteà verò in *Leotychide* est ab *Argiuis* conseruata. Cùm enim illi supplices se in illud templũ tamquam in Asylum recepissent, nec postulatum quidem est, vt dederentur. Erat & apud *Lacedæmonios* templum *Palladis Chalciacæ*, quò confugit *Pausanias* proditionis accusatus: de quo etiam paulò superiùs dictum. Traditum etiam est, *Orestem* matre occisâ, cùm à tribus furijs infestaretur, in templum *Apollinis* confugisse, nec ausas ingredi *Eumenidas*, sed exspectasse dum exiret. *Hinc Virgilius*. *l.*

k. In Lacon.

l. Lib. 4. Aeneid.

Aut Agamemnonijs scenis agitatus Orestes,
Armatam facibus matrem & serpentibus atris
Cùm fugit, vltricesq́ sedent in limine diræ.

Quod *Statius* aræ misericordiæ, & ignoti Dei tribuisse videtur, dum scribit:

Et à misero matrem submouit Oreste.

XII. *Romulus* & *Remus* iactis vrbis fundamentis asylum aperuerunt profugis & fugitiuis, inter Arcem & Capitolium, loco Intermentio nominato: omnesque recipiebant, nec seruum dominis, nec creditoribus nexum, nec magistratibus debebant homicidam: verùm inuiolatum locum ex oraculo *Apollinis* præstare se offerebant. Ita vrbs est breui frequentata. *m.* Vnde Deum *Asylæum* appellabant. Cui diuo diæué templum sit pro asylo erectum, non constat: & *Dionysius n.* ignorare se dicit. Sunt qui *Vaioui* tradant, celebratur tamen asyli lucus IV. Nonas Februarij. *o*, *Ouidius*, *p*.

m. Plut. in Rom. Liu. lib. 1. Sab. lib. 2. Enn. 2.

n. Lib. 2

o. L. Viues in lib. 1. S. Aug. de ciu. Dei c. 34.

p. Lib. 3. Fast.

Romulus vt saxo lucum circumdedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge: tutus eris.

Virgilius quoque ait: *q.*

q. Lib. 8. Aeneid.

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer asylum
Rettulit.

XIII. Qui capti bello ad Imperatorum regumque Statuas confugissent, velut ad asylum, nexu soluebantur, & immunes erant: in

Imp Regũque statuæ pro asylo.

eos enim manus iniectio non erat. Sic in *Aspendo Pamphiliæ* Tiberij Imp. statuæ pro asylo fuêre. *r.* r. Alex. l. 3. cap. 20.

PARS IV.
TEMPLORVM SIVE ECCLESIARVM ANTIQVITAS APVD CHRISTIANOS; ALIORVMQVE LOCORVM SACRORVM MVLTITVDO.

CAPVT I.



ENIAMVS ad Euangelicæ legis tempora. Hîc primùm intuebimur tot à *Christianis* templa; tot monasteria condita ad pietatis cultum, virtutumque cælestium studia propaganda per totius orbis terræ non modò vrbes, & vicos, sed agros, & nemora, saltusque inaccessos; tot similiter opera pia instituta, xendochîa, domusque ad pauperes alendos, ægros curandos, puellas puerosque parentibus orbatos, & periculis plurimis obnoxios, quouis modo adiuuandos, præterea verò expositos suscipiendos, inopiamque & miserias quasuis omnium subleuandas, aut aliorum virtutes præmijs propositis promouendas ob collegia sacerdotum constituta, fundosq; clericis attributos, qui digni forent quibus hæc darentur, vt horum nullus sit finis. I. Multitudo templorũ aliorumq; locorum sacrorum apud Catholicos.

Certè videas in vrbibus nostris, oppidis, vicis, agris, templa à *Catholicis* exstructa, vt quiuis admoneatur officij sui, facilè homines in vnum conueniant ad DEI laudes concinendas, munia exsoluenda. His rebus certi homines præpositi, per quos hæc speciatim curentur omnibus in locis, quorum necessitatibus & vsibus destinati sunt plurimi agri ac fundi, amplissimique cuiusuis generis prouentus. II.

Certè Apostoli per omnem terræ ambitum cum sono prædicationis templa etiam Deo, eiusque cultui, sacrificio, orationibus III. Ab ipsis Apostolis instituta.

bus deputauerunt, vtpotè S. *Matthaeus* in *Ægypto*: *Ephesi Ioannes*: apud *Indos Thomas* & *Bartholomaeus*: alibi alij Ecclesias ædificauerunt.

IV. Antiochiæ à S. Petro. Cùm *Petrus* Apostolus multos à varijs languoribus *Antiochiæ* contra *Simonem Magum* curâsset, tantam Spiritus sanctus in illâ die gratiam suæ virtutis ostendit, vt omnes à minimo vsque ad maximum vnâ voce confiterentur Dominum: & ne multis immorer, intra septem dies, plus quàm decem millia hominum credentes DEO, *baptizati*, & sanctificatione consecrati, ita vt omni auiditatis desiderio *Theophilus*, qui erat cunctis potentibus in ciuitate sublimior, domus suæ ingentem basilicam Ecclesiæ nomine consecraret; in quâ *Petro* Apostolo constituta est ab omni populo cathedra, & omnis multitudo quotidie ad audiendum verbum conueniens, credebat sanæ doctrinæ, quam sanitatum efficacitas affirmabat. *a.*

a. Clem. Rom. lib. 10. Recog.

V. *Paulus* etiam ecclesiarum meminit, easque habendas in veneratione tradit. *b.* Ob id obiurgat *Corinthios*: *Conuenientibus vobis in ecclesiâ audio scissuras esse; & numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Viden' vt de loco verba faciat? *& rursus*: *c. Mulieres in Ecclesijs taceant.* Docet insuper quo habitu & modo, tam viri, quàm mulieres debeant in Ecclesijs orare. Erant ergo eo tempore Ecclesiæ materiales, fortassis non tam splendidæ quàm paulò pòst, crescente numero & opibus fidelium, quia de illis verba Apostoli intelliguntur.

b. 1. Cor. 11. Paulus etiã Ecclesiarũ sæpe meminit.

c. Ibid. 14.

VI. Apud *Lucam d.* dicitur *Paulus* & *Barnabas* per Ecclesias constituisse Presbyteros. Verisimile autem existimauerim, quòd domus nonnullæ ampliores priusquam Ecclesias erigere possent, promiscuè & passim ministerijs spiritualibus & orationibus inseruierint. Sic in cœnaculum nouimus conuenisse primùm Ecclesiam post Domini Ascensionem, & ita ad sacros conuentus loca certa primos *Christianos* delegisse. Hæc sunt *Ignatij* antiquissimi omnium scriptoris, qui *Christum* vidit, & ab Apostolis est *Antiochiæ* ordinatus Episcopus, verba ad *Magnesianos*: *Omnes ad orandum in idem loci conuenite, Omnes velut vnus quispiam ad templum Dei concurrite,*

d. Act. 14.

Itèm Ignatius.

currite, velut ad vnum altare, ad vnum IESVM Christum. Erant igitur templa *Christianis Ignatio* viuente.

Iustinus Martyr, qui tempore *Antonini* Imperatoris vixit, in Apologiâ ad illum, scribit, *e.* cœtus *Christianorum* tam vrbanorum, quàm rusticorum illius temporis, die solis in vnum locum conuenire, *vbi Apostolorum prophetarumq; litteræ, quoad fieri potest, præleguntur: deinde cessante lectore; præpositus verba facit adhortatoria, ad imitationem tam honestarum rerum inuitans. Post hæc consurgimus omnes, & preces offerimus, quibus finitis profertur panis, vinum, & aqua. Tum præpositus, quantum potest, preces offert & gratiarum actionem, plebs verò Amen accinit. Inde consecrata distribuuntur singulis, & absentibus mittuntur per diaconos: ditiores, si libeat, pro suà quisq; voluntate conferunt. Collecta deponuntur apud præpositum: is subuenit pupillis, viduis, & propter morbum, aliamúe necessitatem egentibus: vinctis quoq; ac peregrinis, & in summâ curator fit omnium inopum. Conuentus autem hos die solis facimus, quoniam hac die primùm Deus depulsis tenebris formataq; materiâ mundum creauit: IESVS Christus quoq; noster Seruator eádem die resurrexit à mortuis.* Atqui loca hæc nos ecclesias, templa, ædes vocamus. Nam de nominibus haud disputamus, asserentes constituendum certum locum, qui sit vsibus sacris destinatus: voces quo nomine velis, nihil ad rem. VII. Iustinus martyr. e. Apol. 2.

Sed & ante *Iustinum Plinius* iunior ad *Traianum*, qui imperare cœpit anno post mortem *Petri* trigesimo, idem de *Christianis* scribit, consueuisse scilicet in vnum locum conuenire, *Christo* laudes canere, ibique innoxium cibum sumerẽ; signat verò Eucharistiam quam cibum vocat innoxium, quòd gentes falsò *Christianos* calumniabantur, quòd hominum carnes ederent. VIII. Plinius iunior.

Traiano successit *Adrianus*, atque hic, vt *Lampridius* scribit, *f.* multa templa condiderat, in quibus *Christum* coli volebat. Quòd si fas *Christianis* haud foret templa habere, cur ille exstruxisset? in quibus & nihil voluit pingi, vt postea, quod statuisset, depingi in honorem *Christi* possent. IX. f. In vit. Al. Adrianus Christo templa cõdidit.

Idem *Lampridius* meminit de *Alexandro* Imperatore, quòd cùm *Christiani* accusarentur, quòd locum cauponis cuiusdam occupassent X. Alexan. pro Christiano-

rum templis rescripsit. cupassent Ecclesiæ ædificandæ gratiâ, locum vnde quæstio, illis adiudicauerit, & pro ijsdem rescripserit. Ita enim ait: *Cùm Christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contrà popinarij dicerent, eum sibi deberi: rescripsit, Melius esse vt quomodocumque illic Deus colatur, quàm popinarijs dedatur. S. Hieronymus* in vitâ *Paulæ*, testatur eam oculis proprijs aspexisse domum *Cornelij*, cuius fit mentio in Actis, conuersam in ædem sacram.

Cornelij domus in ecclesiam conuersa.

XI. *Tertullianus g.* meminit apertè sacræ ædis, ad quam *Christiani* conueniebant. *Cyprianus h.* ecclesiam vocans *Dominicum*, quòd Domini nimirum sit domus, sicut & *Concilium Laodicenum, i.* & *Eusebius k.* idem testantur.

g. Lib. contra Valent. h. Lib. de Eleemos. i. Cap. 28. k. De Constant. laud.

XII. Verùm enimuero quamdiu Imperatores *Christianis* infensi fuêre, haud potuêre publica omnia, & magnifica templa habere. Nam continuò ad illa euertenda conuolabant omnes *Christianæ* religionis inimici. Quocirca *Dionysius Alexandrinus* scribit ad *Germanum, l.* se cum suis, quando edicto Imperatoris *Valeriani* haud permittebantur agi conuentus à *Christianis*, conuenire in occulta loca, eaque non semper eadem. Et in actis martyrum legimus; *Christianos* sæpiùs in cryptas subterraneas & arenarias ad Eucharistiam percipiendam congregatos, quod etiam scribit *Cornelius* Papa ad *Lupicinum* Episcopum *Viennensem*. Constatque ex epistolâ *Plinij* ad *Traianum*, jam inde ex illo tempore *Christianis* vetitas *hetærias*, id est, sodalitates, siue sodalium coitiones. Et tamen vbi ipsis longior pax affulgebat, vt accidit ante immanem *Diocletiani* persecutionem, ampla *Christiani* templa excitabant; sic namque *Eusebius*: m. *Quomodo quisquam conuentus illos infinitâ hominum turbâ frequentatos, multitudines in singulis ciuitatibus coactas, illustres hominum in templis concursus poterit oratione explicare? Vnde cùm in antiquis illis ædificijs non satis loci haberent, ampliores Ecclesias in vniuersis vrbibus, fundamentis earum ad maiorem laxitatem dilatatis, erexerunt: quæ tamen edicto Diocletiani sunt demolitæ.* Igitur ab ipsis exorientis Ecclesiæ primordijs, ad Ecclesiasticas obeundas functiones semper erectæ fuerunt sacræ ædes, quas Ecclesias nominamus. Et ita vsus obtinuit jam ab Apostoli *Pauli* temporibus, *vt ad Ecclesiam confugere* (verba sunt *Augustini*) *in Ecclesiam prodire*

Ecclesia vocata Dominicum.

m. Initio lib. 8. c. 2.

non

non dicatur, nisi ad ipsum locum parietesq́; prodierit atque confugerit, quibus Ecclesiæ congregatio continetur.

Præfectus *Eusebius n.* descriptis primorum *Christianorum* habitaculis, vt se habeat singulorum qualitas & situs, etiam de Ecclesijs, quæ apud eos sunt, sic scribit: *Est autem in singulis locis consecrata orationi domus, quæ appellatur* Σεμνεῖον, vel μοναστήριον. Σεμνεῖον autem in nostrâ linguâ significare potest honestorum conuenticulum, *in quo secedentes,* inquit, *honestæ & castæ vitæ mysteria celebrant, nihil illuc prorsus, quod ad cibum potumq́; pertinet, inferentes, vel ad reliqua humani corporis ministeria; sed legis tantùm libros, & volumina Prophetarum, hymnos quoque in Deum, ceteraq́; his similia, in quorum disciplinis atque exercitijs instituti ad perfectam beatamq́; vitam studijs iugibus coalescunt.* Et post aliquanta iterum dicit: *Ab ortu autem diei vsque ad vesperam omne eis spatium studiorum exercitijs ducitur, quibus ad diuinam philosophiam per sacras litteras imbuuntur, patrum leges in allegoricam intelligentiam deducentes.*

XIII. n. Lib. 2. cap. 17. hist. Eccles. Eusebij locus de Ecclesijs Christianorum.

CAPVT II.

TEMPLA NONNVLLA AB IPSIS EXORDIIS ECCLESIÆ A QVIBVS CONSTRVCTA.

I. Templa Deo dedicata de SS. etiam nomine dicta. Martha & Magdalena Massiliæ duo templa dedicarunt. S. Sauinianus & Maternus discipuli. S. Petri, multa templa cōdiderunt.

TEMPLA ab initio nascentis Ecclesiæ extitisse probauimus, restat vt idem exemplis illustremus. Porrò templa Deo dedicata, de Sanctorum etiam nomine sunt dicta, ad ipsorum memoriam colendam, hinc vocata martyrum & Sanctorum memoriæ. Et quidem, nisi velimus abrogare priscis annalibus fidem, *Martha & Maria Massiliam* profectæ, duo templa, quæ dicuntur adhuc exstare, alterum *Christo, Virgini* alterum dedicarunt; atque ita in vetustis Ecclesiarum illarum monumentis habetur. Et *S. Sauinianus à S. Petro Suessionas* in *Gallijs* missus, ibi *Petro* eidem Ecclesiam excitauit. Idem *Treueris & Coloniæ Maternus Petri* discipulus egit non procul à *Mosleim;* qui & dicitur apud *Bonnam Ioanni Baptistæ, Coloniæ Mathiæ* Apostolo, apud *Tungros* ædem Deiparæ excitasse. Tradit *Vasæus* diligens *Hispanicarum* antiquita-

tum ſcriptor, viuenti adhuc Virgini à *Iacobo* Apoſtolo conditum in *Hiſpaniâ* ſacellum *Cæſar Auguſtæ*, idque non modò antiquiſſimis conſtare monumentis, ſed maximis miraculorum euentis, refert hoc in annum *Chriſti* trigeſimum ſeptimum: & idem tradit *Lucius Marinæus Siculus.* a. *Cyrillus Hieroſolymitanus* floruit ante ac poſt Concilium *Nicænum*: meminit ille *b.* Eccleſiæ Apoſtolorum *Hieroſolymis* erectæ, vbi deſcendit in eos Spiritus ſanctus: meminit etiam illius *Alexander c. Athanaſius d.* nominat *templum S. Quirini. Ambroſius e. Baſilica,* inquit, *Apoſtolorum nomine dedicanda. Baſilius f.* vocat *ſacrum martyrum templum. Gaudentius* æqualis horum: *Vt venerandas*, inquit, *g. ſanctorum reliquias haberemus, Deus noſter tribuit; deinde vt hanc honori eorum fundare baſilicam valeremus, ipſe largitus eſt.* Hinc Concilium *Gangrenſe h.* damnat *Euſtathium* veluti contemptorem Baſilicarum.

a. Lib. 5. de reb. Hiſp. c. de ædib. ſacr. b. Catech. cap. 16. Aliorum teſtimonia. c. In vit. Barna. d. Epiſt. ad Solit. e. Lib. 1. ep. 5. f. In Pſal. 114. g. Tract. de dedic. Eccleſ. h. Epiſt. ad Epiſc. Armeniæ.

II. Antiquiſſima Romæ Eccleſia titulo Paſtoris.

Ceterùm in vrbe ipſâ cœpit vſus Templorum, eorumque numerus indies magis ac magis eſt propagatus. Conſtat enim *Pudentis* Senatoris, *Petri* diſcipuli domum in Eccleſiam mutatam, & nunc celebrari titulo *Paſtoris.* Idem liquet de *Euprepiâ* matrona, & *Euariſto*, qui V. à *Petro* fuit.

III. i. Lib. 5. c. 6. de Rer. inuent.

Romæ non reperio, inquit Polydorus Vergilius, *i. aliud antiquius templum ædificatum, aut dicatum, vel ad vſum ſacrorum fuiſſe conuerſum, quàm thermas Nouati in vico Patricio, quas Pius Pontifex Praxedis eximiæ ſanctitatis feminæ rogatu, diuæ Pudentianæ eius ſorori conſecrauit, qui fuit annus circiter CL. ab eo qui humanæ ſalutis fuit primus. Hyginius tamen, qui Pium præceſſerat, plura templa ſacris dedicauerat cæremoniis, quod fidem facit, jam anteà loca aliqua Deo dicata fuiſſe, ſed vbi loci id factum fuerit, parùm liquidò traditur. Nec ita multo pòſt Calliſtus, jam ſeſe tyrannorum odio ſenſim remittente, ædem in Tranſtiberinâ regione B. Virgini ſtruxit, cœmeteriumq; ex ſuo nomine condidit viâ Appiâ, vbi multorum martyrum repoſiti erant cineres.*

IV. Eccleſia portatilis Conſtantini Magni.

De *Conſtantino Magno* poſtquam ſalutaribus vndis ablutus fuit memoratur, quòd ad inſtar tabernaculi veteris ſibi curauerit Eccleſiam portatilem, quæ vbicumque locorum eſſet, & maximè in

in bello, circumferri posset, ne in solitudine quidem agens, vbi opus esset Deum colere, & diuina mysteria participare deberet, ædibus sacris careret, ad quam veluti ad tabernaculum semper præsto fuêre Sacerdotes & Diaconi, sine intermissione ministeria diuina juxta statas Ecclesiæ cęremonias obeuntes. *k.*

k. Niceph. lib. 7. c. 46. Sozom. l. 1. cap. 9.

Et quidem ante illius tempora, primæua *Christianorum* humilitas, immensi operis structuras & ædificia non admittebat, Ecclesiâ sub Tyrannorum gladijs jacente. Verùm simulac *Christianæ* fidei radius huius Imperatoris mentem perstrinxit, quales machinæ à *Catholicis* cœptæ in cælum attolli! quanta templa per *Constantinum* vndis salutaribus ablutum, excitata? Testis est *Lateranensis* Basilica in monte *Cælio Romæ*, quam sub titulo *Saluatoris Siluester* Papa dedicauit: & altera in *Vaticano* Principis Apostolorum: tertia insuper Diui *Pauli*, viâ *Ostiensi*. Plures alias *Constantinopoli*, vt meminit *Nicephorus*, erexit, amplissimisque prouentibus dotauit. Refert *Andreas Fulinus*, *l.* tantam istius Cæsaris pietatem fuisse, vt eius tempore *Romæ* fuerint plus quàm tria templorum millia. V.

Vide parte quinta.

l. Lib. de antiq. Romana.

Tria millia templorũ Romæ, tempore Constantini.

Hanc religionem & zelum mortuo *Constantino* plures *Christiani* Principes imitati sunt, quorum memoriæ permanent, & dicatæ Deo ædes vsque in hanc diem se ostentant.

CAPVT III.

TEMPLORVM FORMA APVD CHRISTIANOS.

I. DE formâ Ecclesiarum Christianorum non est quòd multa dicamus, cùm adhuc antiquissimæ Ecclesiæ visantur. Quædam nihilominus obseruatione digna annotabimus. Ac primùm de loco. Peracutus enim disputator, & inuestigator veri solertissimus *Aristoteles*, *a.* vno in loco, eoque valdè apto, & commodo ædificari vult deorum omnium domicilia, siue templa. Idoneum decernit, si tantum inerit in eo splendoris ac dignitatis, vt virtutis ibi sedes (pietatis nimirùm, quæ non modò vna de summis virtutibus, verùm etiam ceterarum omnium domina

a. Lib. 7. de Repub.

Templa in quo loco constituenda.

 mina

mina & regina est) iustè collocetur. Deinde si erit editior & munitior, vt non facilè turbulenti, & nouarum rerum studiosi ciues, qui in vicinijs degunt, expolitationem sacris illis ædibus inferre queant.

II. Sic ergò *Christianorum* templorum maxima medias vrbes commodiùs, loca silentia, & à concursibus ac multitudine hominum vacua honestiùs, sublimia digniùs, plana stabiliùs, & contra concussum terræ tutiùs occupabunt. Denique eo loco molienda sunt vnde illis maior veneratio, & maiestas. Quidquid sordidum, indecens, impurum, ludicrum, & precatum venientibus aut ad aspectum ingratum, aut ad cogitationum sanctimoniã inutile, seu noxium potiùs, circumcirca remouendũ longiùs. Area honestissima ijs attribuenda est, quęq; à foro non longè distet, aut à vicinitatibus: vt oppidani citra molestiam in dies singulos, pueri item feminæque sacrorum obeundorum caussâ eò concurrant. Quæ tutelari Diuo excitatur, & est plerumque primaria ædes, reliquarumque princeps, præ quibus Basilica jure dicitur, locum vrbis sublimiorem, vnde oculi in omnem propemodum eius partem prospectum ferunt, meritò poscit.

Primaria ædes vbi collocanda.

III. Nunc de positu, siue situ. Veteres igitur, nisi impedirentur, sic templa sua ponebant, vt eorum frontes ad cælum vespertinum vergerent: quò qui susceptum vota, immolatum, sacrificatumque accederent, ad simulacrum, orientem spectarent: ipsaque idola velut cum sole surgentia, supplicantes, & sacra deferentes contueri viderentur. Si natura loci hanc constituendæ ædi libertatem negaret, sic condebant, vt ex eâ plerumque vrbis aspectus vsurparetur. Si secundùm flumina, secundùm mare, secundùm vias publicas, tum frontes ripis, littoribus, vijs objiciebantur: vt qui aduenirent, quique prætergrederentur, aras conspicere, statuasque salutare quirent.

Situs templorum.

IV. Apostoli, quique ab ijs profecti, & eorum institutionibus eruditi, *Christianæ* Reipub. temperandæ potestatem acceperunt, scitum fecerunt, vt quamquam *Hebræi*, diuinitùs ita moniti, ad occidentem conuerso corpore Deum precibus, & hostijs venerarentur (quò scilicet nihil sibi cum ritu ethnicorum, soli emergenti sup-

Apostoli instituerunt, vt versus Orientem solẽ oraremus.

ti supplicantium, & dum sacra illa sua procurarent, ad orientem sese conuertentium commune vmquam futurum declararent) nos tamen *Christiani* morem istum dimitteremus; seu potiùs non assumeremus: immo verò vt circumcisionem cum baptismo, sabbatum cum dominico; sic ad occidentem adorandi modum cum adoratione ad orientem mutaremus: cùm timor abesset omnis, ne gentiles dæmonas suos hoc modo adorantes, imitari videremur.

V. Patet ergò, Ecclesias *Christianorum*, vt plurimum ad orientem conuersas fuisse, & quatuor latera habuisse, quibus quatuor mundi partes aspicerent, (exceptis quibusdam, quæ propter loci commoditatem aliter constitutæ sunt) id partim experientiâ constat, partim etiam testimonijs veterum. Nam *Tertullianus b* dicit Ecclesias *Christianorum* Orientem amare solitas. *Walafridus Strabo c.* dicit, maiorem partem Ecclesiarum ita fabricari, vt qui in eis orant, Orientem respiciant. Idem testantur *Paulinus, d. Iustinus, e. Epiphanius, f. Origenes, g. Basilius, h. Gregorius Nyssenus, i. Augustinus, k. Germanus, l. Ioannes Damascenus, m.* & omnes illi veteres qui scribunt Apostolicam esse traditionem, vt oremus conuersi ad Orientem, id enim præcipuè seruari par est in solemnibus precibus, quæ funduntur in templis.

b. Lib. cont. Valent. c. De reb. Eccles. c. 4. d. Epist. 12. e. Quæst 118. f. Hær. 19. g. Hom. 5. in Num. h. De Spir. S. cap. 27. i. Orat. 5. de orat. Dom. k. Lib. 2. c. 5. de ser. Dom. in monte. l. De Theor. rer. sac. m. Lib. 4. cap. 13. de fide. orthod.

VI. 1. Rationes autem huius cæremoniæ sunt quinque. Prima, quia ad Orientem erat Paradisus. *n. Oramus igitur conuersi ad orientem, quia profitemur nos peregrinos, & ad patriam nostram, vnde eiecti sumus, suspiramus. Ita Gregorius Nyssenus.*

n. Gen. 3.

Rationes cur Ecclesiæ versus orientem, conuersæ essent.

2. Secunda ratio est, quia ab Oriente cælum surgere, & moueri incipit, estque propterà pars illa totius mundi corporalis excellentissima. Ideò autem orantes conuertimus faciem incorporalem ad corpus excellentissimum, *tum quia Deo sunt danda semper meliora, tum etiam vt admoneamur conuertere faciem spiritualem animæ ad spiritum excellentissimum, qui est Deus.* Ita B. *Augustinus.*

3. Tertia ratio est, quia *Christus*, quem oramus, est *lux mundi. o. Et vir oriens nomen eius. p.* Vt igitur significemus, nos in oratione illustrari à *Christo* sole iustitiæ, sicut illustrantur à sole corporeo

o. Ioan. 8. p. Zach. 6.

poreo qui ad Orientem respiciunt; ideò hac cæremoniâ vtimur. Ita *Walfridus*.

4. Quarta ratio est: quia Dominus ipse moriens in cruce, occidentem respiciebat, nos ad orientem oramus, vt quasi in faciem crucifixi intueamur: & quia ipse *ascendit in cælum cælorum ad orientem*, *q.* nos ad orientem conuertimur, vt quasi eum ascendentem votis ac precibus deducamus: ac demum quia ipse ab oriente venturus creditur ad iudicium. *r.* *Sicut fulgur exit ab oriente, & paret vsq; in occidentem, ita erit aduentus filij hominis*: nos ad Orientem precamur, quasi venturum iudicem exspectantes. Ita *Damascenus*.

q. Psal. 67.
r. Matth. 24

5. Possumus addere quintam rationem, quia *Iudæi* orabant, & orant ad Occidentem, vt patet Exodi 26. vbi dicitur ostium Tabernaculi ad orientem versum fuisse; Et Ezechielis 8. vbi dicitur: *Ecce in ostio templi Domini inter vestibulum & altare, quasi viginti quinq; viri, dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem, adorabant ad ortum solis*. Reprehendit enim Scriptura quosdam, qui contra ritum eius temporis adorabant ad orientem.

Gentiles Solem Orientem adorabant.
s. Cap. 31. v. 26.
t. Lib. 2. Elect. c. 6.
u. Lib. 12. Aeneid.

Gentiles enim adorabant solem orientem, teste *Trismegisto* in fine *Asclepij*, & S. *Iobo*, qui dicit: *s.* *Si vidi* (vt adorarem more aliorum Gentilium) *solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè: & osculatus sum manum meam ore meo*. Hoc enim osculum, erat ritus salutandi & adorandi, vti ex S. *Hieronymo*, *Plinio*, *Apuleio*, & alijs, docet *Lipsius*. *t.* Quin & *Virgilius* *u.* docet veteres orienti soli sacrificâsse. ait enim:

Illi ad surgentem conuersi lumina solem,
Dant fruges manibus salsas & tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisq; altaria libant.

Sol enim à priscis dictus est mundi oculus. Taceo somnium *Xenophanis*, qui putauit eum in occasu perire, sed exortu nouum fieri solem. Hinc manarunt matutinæ illæ deorum salutationes, quibus dicebantur primam diei horam dijs suis nuntiare, quasi dormientes deos primâ luce excitarent, vti docet *Arnobius* *x.* & *Seneca*. *y.* Sic *Socratem* salutare solitum solem orientem tradit *Plato*. Ita Q. *Catulus*.

x. Lib. 7. cont. Gent.
y. Epist. 66.

Consti-

Constiteram solem exorientem fortè salutans,
Cùm subitò à læuâ Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, cælestes, dicere vestrâ,
Mortalis visus pulchrior esse Deo.

Hunc morem adorandi solem vt DEVM, videntur *Hebræi* acceperunt à vicinis *Ægyptijs*, inter quos sub tempora *Moysis* diu commorati, eorum religionem & mores imbiberunt. *Ægyptij* enim coluerunt solem, adeò vt vrbem eius cultui dicarint, & ex eius nomine nuncuparint *Heliopolim*, id est, Solis vrbem. Quin & *Osirim* ipsorum numen præcipuum non aliud fuisse quàm solem, docet *Macrobius*, cùm ait: z. *Osirim Ægyptij vt solem esse asserant, quoties hieroglyphicis litteris suis exprimere volunt, insculpunt sceptrum, in eoq; speciem oculi exprimunt, & hoc signo Osirim monstrant: quia solem, Iouis oculum appellauit antiquitas.* Idem a. docet omnes deos ad solem referri. Sic solem nomine *Mithræ* coluerunt *Persæ*, *Græci* nomine *Apollinis*. Hinc prouerbium apud *Athenæum*: b. *Iupiter qui iuuenis est, regnat*; Et, *Plures adorant solem orientem, quàm occidentem.* Quod *Pompeius* juuenis efflorescens dixit *Cinnæ* seni; & postea *Cæsar* idipsum fuit *Pompeio*.

VII. Item Hebræi.

z. Saturn. lib. 1. c. 21.

a. Ibid. c. 17.

b. Lib. 3.

Huius idololatriæ declinandæ caussâ, iusserat DEVS sanctum Sanctorum erigi ad Occidentem. Quocirca *Iudæi* conuersi ad sanctum Sanctorum, orabant conuersi ad occidentem. Insuper templum, teste *Iosepho*, c. habebat ostium versus orientem, ita vt sol inde exoriens, subitò per templi & oraculi ostia radios dirigens, arcam & propitiatorium collustraret, ac velut primus adoraret DEVM in eo super *Cherubim* residentem; vt *Iudæi* à sole discerent, DEVM in templo adorare, non solem. Porrò cùm idololatria hæc euanuit, *Christiani* adorarunt & adorant DEVM conuersi ad orientem, propter caussas iam suprà enarratas; Quibus addit S. *Thomas*, d. *propter diuinæ maiestatis indicium, quod nobis manifestatur in motu cæli, qui est ab oriente.* Denique, vt suprà etiam insinuauimus, quia sicut *Christus* ascendit ad cælum in monte *Oliueti*, qui est ad orientem *Hierosolymæ*; ita ibidem descendet vt iudicium peragat in valle *Iosaphat*, quæ monti *Oliueti* adiacet.

VIII. Sanctum Sanctorum cur versus Occidentē.

c. Lib. 8. Antiq.

d. 2. 2. q. 84. a. 2. ad 3.

Nos igitur ad Orientem respicimus, dum *Iudæi* respiciunt

ad Occidentem, vt significemus, eorum esse litteram occidentem, nostrum autem spiritum viuificantem; velamen adhuc manere super cor eorum, nos autem conuersos ad Dominum deposuisse velamen.

IX. Cur Ecclesiæ nostræ habeant tres partes.

Deinde animaduertendum, ad similitudinem templi *Salomonis*, in quo erat atrium, sancta, & sancta Sanctorum, Ecclesias ferè omnes habuisse tres partes. Primò erat porticus ante ingressum in templo, quem locum Græci προναον, nostri vestibulum dicunt: vbi manebant pœnitentes. Deinde erat ναὸς, id est, templum, siue nauis. Vltimò Βῆμα, siue ἱεράτειον, hoc est, sacrarium, siue sanctuarium, siue adyta, quæ erat pars interior templi, vbi erat altare, quæque diuersa erat à reliquo templo, & diuisa gradibus, cancellis, & velis, siue aulæis: neque eò penetrabant alij quàm Sacerdotes cum suis ministris clericis.

X.

Præter has templi partes erat etiam domuncula annexa templo quæ dicebatur ædicula salutatoria, vbi sedebat Episcopus cùm se pararet ad sacra facienda. Vide *Eusebium*, e. vbi describit templum quod *Hierosolymis* ad sanctum sepulchrum *Constantinus* exstruxit. Item *Theodoretum*, f. vbi meminit sacrarij aulæis separati à reliquo templo, quò introduxit *Basilius Valentem* Imperatorem: Rursùs, g. vbi meminit tam sacrarij, quàm ædiculæ salutatoriæ. Vide *Hieronymum*, h. *Augustinum*, i. & *Walfridum Strabonem*. k.

e. Lib. 3. de vit. Const. f. Lib. 4. hist. c. 20. g. Lib. 5. cap. 17. h. Epist. de obitu Nepotiani. i. Lib. 22. de ciuit. Dei. cap. 8. k. De reb. Eccles. cap. 4. & 6.

XI.

Præterea *Pastophoria* in eisdem exstrui consueuisse, apud *Clementem* legimus, quæ à *Paulino* vocantur, *Secretaria*, hinc inde apud absidem posita; quorum vsum duo hæc disticha, ab eodem desuper ipsa inscripta declarant. A dexterâ absidis:

Hinc locus est, veneranda penus quà conditur, & quà
Promitur alma sacri pompa ministerij.

A sinistrâ eiusdem.

Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas,
Hic poterit residens sacris intendere libris.

X. Altaria in Ecclesiâ.

Erant insuper in eadem Ecclesiâ pulchra altaria, nam cùm ea essent sepulchra Martyrum, vbicumque erat tumulatus martyr, illic

illic erigi consueuit altare, & quidem *Gregorius* meminit de XIII. altaribus in vnâ Ecclesiâ excitatis. Et hæc forma in ijs Ecclesijs se ostentat, quæ à religiosissimo Imperatore *Constantino* fuerunt à fundamentis exstructæ. In antiquioribus enim non ita licet, quandoquidem omnes quotquot erant in orbe *Romano Christianæ* religionis Ecclesiæ, *Diocletiani*, & *Maximiani* Imperatorum edicto fuerint ad solum prostratæ.

Quid verò ea forma & structura nobis significandum proponat, inuestigandum est. Inprimis pleræque Ecclesiæ construuntur in formam crucis: immò priusquam fundamentum ponatur, solet Episcopus locum crucis formatione designare; *ad significandum*, inquit *Durandus*, *nos mundo crucifixos, crucifixum sequi debere, ac crucis meritis inniti oportere preces nostras.* Vnde etiam loco editiori, quem ORALE vocant, & figuram gerit vel montis *Caluariæ*, vel gloriosi ascensus Dominici; quò ingredientibus statim oculis subijciatur, crucis imago ponitur. Oportet enim *Christianos*, exemplo *Pauli*, *gloriari in cruce Domini nostri* IESV CHRISTI, *in quo est vita, salus & resurrectio nostra*. XIII. **Cur Ecclesiæ in formam crucis constructæ.**

Fulcitur etiam ordinariè Ecclesia columnis, per quas denotantur Ecclesiæ doctores, qui thronum Dei sustinent; quomodo olim *Moyses* in ingressu tabernaculi fecisse legitur columnas. Eoque loquendi ritu dicit *S. Paulus* de *Iacobo, Petro* & *Ioanne*, quòd *videbantur columnæ esse*. Et in *Apocalypsi S. Ioannes*: *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei.* XIV. **Quid per columnas significetur?**

Per fenestras adumbratur Sanctorum cum Deo regnantium exemplum & imitatio, vt quorum *lux coram hominibus*, ijsque omnibus *qui in domo Dei erant*, illuxit. Aut significant diuinarum Scripturarum splendorem, quo omnes errorum tenebræ propelluntur, & illuminantur qui ad Ecclesiam venerint. XV. **Quid per fenestras?**

Ostium principale est *Christus*, per quem qui non intrauerit, instar furis habendus est. Quia verò Templa velut asyla sunt, & refugia *Christianorum*, ideò vt ab omnibus videantur faciliùs, & excitentur, vt quandoque terrenis occupationibus sepositis huc mentem collecturi, & spiritualibus seu verbi, seu Sacramentorum epulis reficiendi aduolent. XVI. **Quid per ostium?**

XVII. Quid Turris denotet? Gallus in turri.

Turris superponitur alijs ædificijs eminentior, per quam Pastorum conuersatio omnibus exposita, & vigilantia, cuius symbolum est specula; denotatur. Hinc etiam *Gallus Gallinaceus* supra turrim positus, Prædicatorum sedulitatem indicat. Gallus namque profundæ noctis peruigil, horas cantu suo diuidit, dormientes excitat, diem præcinit venientem: at priùs seipsum alarum remigio, & verbere suscitat. singula mysterium suũ habent. Nox est sæculum præsens: dormientes sunt, qui peccati sopore immerguntur. Hos prædicatores à peccati somno excitare oportet, vt *abijciant opera tenebrarum, & induant arma lucis* At necessarium est, vt primùm mores suos castigent, vitamque componant, priusquam docendi munus assumant. Verùm quemadmodum Gallus omni ventorum turbini caput opponit, seque vertit in omnem plagam: sic illi nunc increpando, nunc arguendo, opportunè, importunè, fortiter resistant venientibus in vestimentis ouium, & pro animarum sibi creditarum salute animam ponant, tamquam rationem de ijs reddituri.

XVIII. Campanæ.

Campanæ verò voces sunt Prædicantium in omnem terram sonitum emittentium: significatæ olim per tubas argenteas, quibus in veteri lege populus ad sacrificium conuocabatur: siue per tintinnabula, quæ fimbriæ vestimenti Pontificis, vt in Sancta Sanctorum ingressurus audiretur, jussa sunt apponi; siquidem ad modum campanæ debent Pastores commissum populum vocare ad fidem, immò adducere exemplo *Christi* eos qui non sunt ex suo ouili, vt fiat *vnum ouile, & vnus Pastor.*


XIX.

Plura forent examinanda circa hanc materiam, vt introitus varij, per quos beneficij nouæ legis amplitudo & refugij libertas designatur; ac promptitudo diuini consilij. Item cancelli, gradus, ac locorum distinctio: denique alia nonnulla. Verùm cùm tam obuia non sint quàm priora, neque tam claram sui demonstrent significationem, eadem ex proposito, quia breues esse laboramus, præteriuimus: remittentes lectorem ad Rationale *Guilielmi Durandi* suprà allegatum.

CAPVT

CAPVT IV.

ALTARIVM ERIGENDORVM VSVS ET RELIGIO IN NOVO TESTAMENTO.

LTARE mensa Domini, mensa mystica, *a.* & regalis, *b*, diuina prorsus, ac cælestis mensa est, terrena accipiens, atque in cælum transmittens; cælestia rursùm suscipiens, ac terræ subministrans: in terrâ fixum; at cælesti throno hærens Altare, τῦ θεῦ θυσιαςήριον *Dionysio, c.* ipsis quoque mentibus æthereis venerabile. Fuisse semper à *Christi* & Apostolorum temporibus vsum altarium sacrorum, conuincitur primùm ex Apostolo *Paulo; d. Habemus Altare, &c.* quod vocat ad *Corinthios e. Mensam Domini.* I. Altare qd? S. Paul. 1. Cor. 10. a. D. Chrysost. hom. de Euchar. in Encęnijs. b. Hom. 6. ad pop.

c. Cap. 3. Hier. Eccl. d. Hebr. 13. e. 1. Epist. 9.

De Altari, cuius fragmentum exhibetur *Pisis* in *Hetruriâ*, in quo *S. Petrus* Missam celebrâsse traditur, testatur *Martinus Peresius Guidixiensium* Episcopus. *f.* Etiam *S. Andreas* Apostolus se quotidie in altari offerre Agnum immaculatum, testatus est *Ægeæ* Proconsuli. *g.* Inter Canones Apostolorum, est Canon 3. & 4. qui apertis verbis meminerunt altaris ad Eucharistiam offerendam erecti. Pœnitentes inter alia signa humilitatis & conuersionis olim, non tantùm presbyteris se aduoluebant, sed & sacris Dei aris adgeniculabantur; vt est testis *Tertullianus. h.* II. f. De diu Apost. & Eccles. tradit. p. 3. consid. 1. g. Epistol. Presbyt. Achaiæ. h. Lib. de Pœn.

De *S. Cypriano* legimus, quòd vetuerit offerri sacrificium pro quodam defuncto, qui presbyterum constituerat rerum temporalium procuratorem; Caussamque hanc reddiderit: non esse dignum pro quo sacrificetur, qui sacerdotem Dei ab altari obstraxisset. *i.* III. i. Lib. 1. epist. 9.

Donatistas reprehendit *Optatus Mileuitanus, k.* quòd altaria in quibus & ipsi aliquando obtulerant, violarent, & diruerent; atque eodem loco vocat altare sedem Corporis *Christi.* k. Lib. 6. cont. Parm.

D. Ambrosius: l. Ego, ait, *Domine memor venerandæ passionis tuæ, accedo ad altare tuum, licet peccator, vt offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti. S. Antonium* refert *B. Athanasius, m.* præui- IV. l. Orat Pręp. ad Missam. m. In vita.

 disse

diſſe futuram *Arianorum* perſecutionem: atque hac viſione permotum, quòd in ſomnis ſibi repræſentaretur imago multorum ferocientium, qui calcibus euertebant *Chriſti* altaria.

V. *Gorgoniam* ſororem laudat à religione & zelo *Gregorius Nazianzenus n.* quòd ſolita ſit ad altare ſe prouoluere, & ante illud inuocare eum, qui ſuper illud coli & adorari conſueuit.

n. Orat. in Gorgon.

VI. Quin tempore *Iuliani* Apoſtatæ, *Iulianus* militiæ Præfectus, (dictu fœdum!) aram ſacram in omnium conſpectu micturâ fœdauit, & graues impietatis ſuæ pœnas dedit, vt paulò pòſt dicetur.

VII. S. verò *Tharaſius* Archiepiſcopus *Conſtantinopolitanus*, qui vixit anno DCC. XCIV. vt commemorat in eius vitâ *Ignatius Nicænus*, his verbis Imperatorem compellauit: *Notum facimus coram Deo honorandæ tuæ purpuræ, quòd intra cancellos incruentæ Menſæ, in quâ ſacrificium magnæ hoſtiæ Chriſti venerabiliter peragitur, non ſinemus ampliùs nobiſcum veſtram ingredi potentiam. o.*

o. Bar. tom. 9.

VIII. *S. Germanus* etiam in eadem vrbe Epiſcopus, anno CIↃ. CCC XLIII. hortatur his verbis Sacerdotes: *Agnoſcite,* inquit, *qui ſacro altari aſſidetis, & incruentam victimam ſacrificatis, quòd viuas Chriſti paſſiones annuntietis. p.*

p. 1. Hæret. claſſe 1.

IX. Concilium *Nicænum* I. *q.* meminit expreſſis verbis Altaris, vocans illud ſacram menſam, in quâ ſitus eſt Agnus DEI, qui tollit peccata mundi. Et vt Veteres omnes prætereamus, quorum tamen teſtimonia magnum hac in re momentum habent: nulla vmquam *Chriſtianorum* templa ab *Iconoclaſtis*, ſiue veteris, ſiue proximè elapſi ſæculi, diruta vel euerſa conſtat, quin in iiſdem Altaria, ſiue menſas ſacras conſtructas fuiſſe pro comperto habeamus. Vſus autem ſiue ritus Altarium arguit celebrationem ſacrificij in nouâ lege: immò illud aptâ relatione inducit. neque enim alium ob finem altaria erecta, quàm vt in ijs ſacrificetur.

q. Can. 14. al. 18.

X. Beatus *Silueſter* in conſecratione altaris Principis Apoſtolorum decreuit, vt deinceps niſi ex lapide altaria non ædificarentur: attamen Baſilicæ *Lateranenſis* à *Conſtantino* etiam *Saluatori* conſecratæ, altare fuit è ligno erectum. Quod mirum non eſt: nam cùm à S. *Petro* vſque ad *Silueſtrum*, propter perſecutiones, Pontifices certo loco conſiſtere non poſſent; quocumque eos neceſſitas

Materia altarium.

tas conpulisset, siue in cryptas, siue in cœmeteria, siue in ædes piorum, super illo altari ligneo ad arcæ similitudinem concauo sacra faciebant. Quo altari *S. Siluester* redditâ Ecclesiæ pace, honoris causâ Principis Apostolorum, qui in illo sacrificasse dicitur, & reliquorum Pontificum, qui vsque ad id tempus ad mysteria conficienda eo vsi fuerant, in *Lateranensi* primâ Ecclesiâ collocato sanciuit, ne quisquam in eo præter *Romanum* Pontificem missam deinceps celebraret. *r.* r. Pontif. Rom. Breuiar. 9. Nou.

XI. Consecratio.

In vitâ S. *Philastrij*, Episcopi quondam *Brixiensis*, refertur, quòd in altari eius nomini consecrato, & super caput eiusdem posito, preces Missarum celebrauerint Episcopi successores, & diem transitus eius venerantes, ab omni terreno opere *Brixiensem* populum abstinere iubentes, reuerenter honorauerint. *s.* s. In vita. cap. 1.

XII.

Scribit *Sophronius*, sacri altaris lapidei consecrationem magnis ritibus fieri, ijsque peractis angelos ceu loci custodes diuinâ potestate adhiberi: ita enim habet in prato spirituali. *Abbas Barnabas iuxta Iordanem eximiæ sanctitatis vitam degebat, altareq́ue erexerat ad consecrationem in speluncâ suâ. Cùm igitur ipse inde aliò migrasset, Anachoreta quidam speluncam ingressus vidit Angelum DEI stantem super altare; aitq́ue ad Angelum Anachoreta: Quid hîc agis? Cui Angelus: ex quo sanctificata sunt ista, à DEO ipso mihi credita sunt.* *t.* t. Io. Moschus Euir. c. 10. Prat. spirit.

XIII. Ornatus.

Gregorius Papa III. Oratorium in Patriarchio in nomine Beati *Petri Apostoli*, diuersis ornatum metallis à nouo refecit, & circumquaque altaris parietes deargentauit, ac distinxit duodecim Apostolos pensantes libras centum octoginta. Fecit & calicem aureum præcipuum diuersis ornatum lapidibus pretiosis, pensantem libras triginta: similiter & patenam auream pensantem libras viginti octo & semis. *u.* u. Ex Anastas. Baron. tom. 9.

XIV.

Hîc antequam aliò discedamus, memorare lubet, quare supra aras statuæ diuorum locentur, pictæque tabulæ, quarum artificium ac pretium tum ipsa altaria, tum vniuersam ædem mirificè excolit.

Imaginum vsus quid conferat?

Statuis & imaginibus ita tanguntur afficiunturque rudiores inprimis ac simpliciores animi, vt ad viuentes diuos diuasque precaturi

caturi accedere, & eos quodammodo secum loquentes audire videantur: nec falsò dictum, *imagines templorum, esse libros rusticorum.* Est & tertia vtilitas: vt intuendis huiuscemodi Sanctorum simulacris, eorum veniamus in memoriam, qui partim laboribus durissimis, partim supplicijs immanissimis sublime & aureum illud templum petiuerunt: atque ita de imitatione cogitemus. Summum igitur studium pictores, statuarij, sculptoresq; adhibebunt, vt mores eorum, & virtutes in subiectâ materiâ quàm maximè connixi artificio exprimant: id quod in tabulis consequi procliuius est. Sentiebant sibi aspectu imaginum, quas in bibliothecis reponebant, animos ad virtutem accendi *Romani* veteres: sensit hoc ipsum vehementer *Iulius Cæsar* intuendâ *Alexandri* effigie in delubro *Gaditano*: vt illachrymaret etiam, ac sibi eius viri comparatione mirum in modum displiceret.

XV. Quis autem nostrûm ita ferreo pectore, vt si super aram, ante quam procumbit, luctuosissimè vel pictum vel sculptum Saluatorem in cruce morientem videat, ipse queat siccis oculis, & inauditæ charitatis eius, & suorum scelerum, quibus expiandis DEI filius se vltrò dilaniandum obtulit, recordari? Quoties dum *Laurentij* picturam intuerer, fieri me optaui *Laurentium*? quoties *Franciscum*? Etiam virginum mulierumque sacrarum contemplandis statuis, imaginibus & sigillis intellexi quid possim ab illis sumere ad imitandum, quæ exempla, quæ facinora. Quid enim in IESV diligendo feruentius *Magdalenâ*? cuius amor nullum sibi modum præscribere nouerat. Quid intentius *Catharinâ*? quid constantius *Cæciliâ*? Ipsam verò Domini Matrem, florem Virginum, & spem alteram orbis terrarum, quotiescumque intueor, ad omne genus sanctitatis suauissimo quodam incendio exardesco. Quod quidam monent, in cellis per latera non plures tribus aut statuis, aut iconibus immortaliũ, super altaribus collocandas, nec seueriores marium cum mollioribus feminarum permiscendas, non absurdè monent: vt illud quoque prudenter & Christianè, ne sit vlla ædes, in quâ non statim ingredientibus *Christi* patibulo suffixi imitamen in oculos incurrat; nihil quippe religiosius hoc signo, nihil salutarius aspicitur,

Non

Non desunt etiam, qui in materiâ signorum istorum eminentiæ personarum, prærogatiuæ, præcellentiæ rationem ducendam suadent, tametsi id parum hodie seruetur. Ex margaritis, lapillis, auro CHRISTVM, MARIAM, Apostolos fabricemus: alios ex argento: quosdam ex ebore, è crystallo, è ligno è marmore, ex orichalco. Verumtamen quemcumque DEVS cælo dignatus est, is meo judicio apud homines auro gemmisque dignandus est. XVI.

Subit hîc mentem alia pietatis & reuerentiæ imago, quam sacratis Aris *Brachmannorum* quispiam, cuius nomen immeritò apud auctores reticetur, impendit. Nam cùm in vrbe *Meliaparensi* Sacerdos Ecclesiam ingressus, litteras perantiquas saxo cum cruce insculptas intueretur; *Indum* interpretem accersit, qui cùm vix ob altitudinem attingeret; Aram conscendere iussus, in quâ DEO ter Maximo iuge sacrificium offerebatur quotidie, renuit, Nefarium facinus dicens, altare in quo res diuina fieret, humanis pedibus conculcari. O sit vel modica huius pietatis scintilla in nostri æui Nouatoribus! non tot Ecclesiarum ruinas exhiberet *Belgium*, totaque nostra *Germania*, neque adeò *sancta tua Domine conculcata essent & contaminata. x.* XVII. Reuerentia

x. Osor, l. 2. hist. Emman.

Emmanuel Lusitaniæ Rex lustrabat forte de viâ, quâ erat pietate, cœnobium *Hieronymianorum* sodalium, quod à longâ rupe nomen habet. Cùm de more preces in templo fudisset, Religiosorum Præfectum egrediens officij gratiâ interrogauit: Satin saluæ res? & valent Patres? Intulit ille, ægrotare quosdam: ad quos visitandos Rex ingreditur, & in nosocomio chirothecas puero tradidit: qui rebus aliijs occupatus eos altari in quo missæ officium pro infirmis fieri solebat, imposuit. Rex visis in altari chirothecis, grauiter offensus, ad eum conuersus: Quomodo audes, inquit, has altari imponere? Quibus apprehensis eas deiecit, & piè genibus in terram positis, supplex orauit. Eo nimirùm exemplo docens, quanta sacris altaribus reuerentia debeatur. *y.* XVIII.

y. Hector. Pintus 1. p. Dial. c. 19.

Cùm *Leo* Papa III. *Padeburnæ* apud *Carolum Magnum* esset, religiosum eius & salutare *Christianitatis* dilatandæ studiū nobiliter inchoatum Apostolicâ auctoritate firmauit, atque in Ecclesiâ XIX. SS. Reliquias in Altaribus recondi.

tunc

tunc ibi nouiter constitutâ, quoddam altare consecrans, adorandas in eo reliquias protomartyris *Stephani*, quas secum *Româ* detulerat, collocauit, fiducialiter id Principi promittens, quòd oratorium illud, tanti Martyris patrocinio munitum, non vlteriùs passurum foret iniuriam, quam ipso referente, priùs ei contigisse cognouit, vt videlicet ob incolarum loci perfidiam, & odium in *Christianam* religionem aliquoties igni traderetur. Et ob hanc maximè caussam easdem reliquias ibi rogatu Imperatoris recondidit, non sine effectu congruæ fiduciæ, sponsionisque suæ, cùm nihil tale postmodum illic perpetratum esse certissimum sit. Ex quo tempore *Padeburnensis* Ecclesiæ sedes tam Imperatoris sanctione, quàm Apostolicæ benedictionis auctoritate fuit primitùs constituta. z.

z. Sur. 23. Iul. Bar. t. 9.

CAPVT V.

ALTARIVM EVERSIO, ET EORVMDEM IRREVERENTIA DIVINITVS VINDICATA.

I. VM sub *Iuliano* Apostatâ juberentur vasa Ecclesiastica sacra fisci ærario deputari, sublatis januis Ecclesiæ maioris, quam *Constantinus* ædificauerat, fit cunctis accessibile sanctuarium. Ingrediente siquidem *Iuliano* Præfecto Orientis Ecclesiam, *Felix* Præpositus regalium thesaurorum pariter introiuit, & simul *Elpidius* Comes rerum priuatarum. Aiunt enim & *Felicem* & *Elipidium* priùs *Christianos*, tunc à pietate recessisse, impio principi parêre cupientes. *Iulianus* itaq; præfectus impudenter contra sacrum altare minxit. Quem cùm *Euzoius* prohibere tentaret, eum ille percussit in capite: Fertur autem duxisse, *Christianorū inuentiones cœlestium curâ non vacare*. Porrò, *Felix* videns vasorum ornamenta, quæ *Constantinus* & *Constantius* frequenter obtulerunt: *Ecce*, inquit, *in quibus vasis, MARIÆ filius ministratur?* Sed pro his impietatibus vesanisque præsumptionibus non post multum pœnas exacti sunt. Nam repentè *Iulianus* sæuo morbo correptus, visceribus putrefactis interijt, & excrementa non per meatus egestiuos emittebat, sed scelestum os, quod blasphemijs mini-

Iulianus Præfectus, & Felix puniti.

ministrauerat, organum huius excretionis est factum. Aiunt autem illius vxorem fide fuisse clarissimam, eamque dixisse: Decet te, marite, laudare Saluatorem *Christum*, quoniam tibi per hanc correptionem magnitudinem propriæ virtutis ostendit. Non enim agnoueras contra quem pugnare voluisti, nisi consuetâ longanimitate hæc tibi flagella diuinitùs intulisset. His ergò verbis & passioinibus imminentis caussam languoris cognoscens rogabat Imperatorem, vt ecclesiæ, quibus fuerant ablatæ, redderentur. Sed nec illum flexit, & ipse terminum vitæ suscepit. Porrò, *Felix* & ipse flagellum virtute diuinâ suscipiens, sanguine toto die simul & nocte ex ore fuso, & venis corporis vndique vacuatis, omnique virtute simul expensâ, & ipse celeriter est extinctus, æternæque morti contraditus. *a.*

a. Hist. Eccles. Tripart, l. 6. cap. 23. ex Theodoreto.

II. Item Paulus Constantinopolitanus.

Quàm impiè verò se gesserit erga altaria *Paulus Constantinopolitanus*, id testatur sanctissimus Papa *Martinus* exordio concionis ad Patres habitæ in Synodo *Lateranensi*: *Paulus*, inquit, *prædecessores suos in his superare contendens, non solùm Scripto prauitatem suam defendens contra recta sanctæ Ecclesiæ dogmata audacter præsumpsit; propter quod iustâ ab Apostolicâ Sede & ipse depositionis vltione percussus est. Insuper ad proprij erroris cooperimentum, (quod numquam à prioribus hæreticis præsumptum est) & illud illicitè ipse præsumere studuit. Altare enim sanctæ nostræ Sedis in domo Placidiæ sacratum (Placidiæ* palatium erat *Romani* Pontificis, in quo Apocrisarij habitare solebant) *in venerabili oraculo subuertens diripuit: prohibens, ne adorandam & immaculatam hostiam, id est, sacram celebrationem Apocrisarij nostri ibidem Deo offerre valeant, & viuificæ diuinæ communionis sacramenta percipiant. Quos videlicet Apocrisarios, quia ex præceptione Apostolicæ auctoritatis commonuerunt eum, vt de tali hæretico intentu recederet, nec non contristari visi sunt, persecutionibus diuersis cum alijs Orthodoxis viris & venerabilibus sacerdotibus insecutus est eos, quosdam eorum custodiæ retrudens, alios in exilium deportans, alios autem verberibus submittens*, &c. *b.*

b. Ex Anast. Bibl. Bar. tom. 8.

III.

A. C. DCCCC. LXXIV. cùm magnus ex *Africâ* exercitus *Saracenorum Salernum* ciuitatem sub *Gnarferio Principe* vallasset, diuque eadem obsidio perdurasset, cumque eorum Princeps no-

Abdila Arabs ſubitò extinctus.

mine *Abdila* Eccleſiam ſanctorum Martyrum *Fortunati*, *Caij* & *Anthes* ſibi in habitaculum delegiſſet, & magno eorumdem ſanctorum Martyrum improperio omne genus impudicitiæ ſuper altare eiuſdem Eccleſiæ, vbi ſtratum parârat, exercere ſoleret; accidit, vt dum illic reluctantem opprimere virginem conaretur, repentè ſacrilegum vltio diuina perculerit, trabe è tecto delapsâ ſuper eum, quâ (illæsâ penitùs Virgine) ſceleſtiſſimus & impuriſſimus Arabs extinctus eſt, in cuius locum *Saraceni* alium ſubrogarunt Regem *Abimelech* eunuchum. Ad miraculi euidentiam declarandam acceſſit, quòd trabs illa procul ab altaris perpendiculo diſtans, non niſi diuinâ potentiâ potuit in ſacrilegum *Saracenum*, altare profanantem, immitti. Hæc in rebus geſtis *Longobardorum* Principum *Beneuentanorum* apud *Herempertum*. c.

c. Baron. tom. 10.

IV.

Teſtatur quoque *Paulinus*, d. quòd cùm milites ab *Stilicone* comite miſſi *Creſconium*, qui ad altare confugerat, abſtraxiſſent (quod quidem factum S. *Ambroſius* ante altare proſtratus diu fleuit) dimiſſi *Leopardi* ſaltu celeri milites grauiter laniatos reliquerunt. *Si quis ignem ſumens*, inquit S. *Chryſoſtomus*, e. & *foſſorium*, *hanc deſtruxiſſet domum*, & *incendiſſet*, & *hoc ſuffodiſſet altare*, *nonnè quilibet lapidibus eum obrueret*, *tamquam profanum*, & *impium?* Optatus Mileuitanus: f. *Quid enim eſt tam ſacrilegum, quàm altaria DEI, in quibus & vos aliquando obtuliſtis, frangere, radere, remouere?* Et poſteà: *Hoc modo Iudæos eſtis imitati. Illi iniecerunt manus Chriſto in cruce. A vobis percuſſus eſt in altari. Sufficeret inſania veſtra, quòd membra laniaſtis Eccleſiæ, inter hæc omnia, vt altaribus parceretis, & deſideria hominum, cum ipſis altaribus confregiſtis*, & *complura alia, quæ grauitatem huius ſceleris manifeſtant.* Vbi obiter obſeruanda ſunt verba illa: *Vota & Deſideria hominum;* quaſi altaria ſint gradus, quibus vnà cum ſacrificio *Chriſtianorum* preces in cælum aſcendunt.

d. In vit. S. Ambroſ. Milites à Leopardis laniati.
e. Hom. 53. ad pop.
f. Lib. 6.



CAPVT

CAPVT VI.

DE ORNATV TEMPLORVM.

SI Imperatores & Reges antiqui dijs inanibus, ijſdemque furibus, adulteris, ſcortis, tantarum molitionum ædes impensâ & ornatu incredibili condiderunt, & eâ re pietatis laudem etiam apud poſtera ſæcula promeruerunt, nonnè *Chriſtiani* Principes Deo viuo & vnico, tùm deinde amicis eius, æternùm cum eo regnaturis, ſi quàm ſumptuoſiſſimè, & decentiſſimè ſacraria conſtituant, commendationem haud vulgarem apud omne nomen *Chriſtianum* merebuntur? I. Cur Templa ornanda?

Porrò ornanda eſſe templa conſtat ex eo quòd Deus in veteri teſtamento juſſit illud templum tam ſplendidè ornari, donarijſq; & vaſis pretioſiſſimis ditari, vt nihil ſupra; & *Chriſtiani* ſua ſimiliter mirabiliter decorabant ab initio. Sic enim *Lucianus, a.* qui *Paulum* Apoſtolum vidit, &, vt ex ipſo colligitur, eſt allocutus, de *Critiâ* quodam, qui in locum vbi *Chriſtiani* ad res ſacras conueniebant eſt deductus: *Pertranſiuimus,* inquit, *ferreas portas, & ærea limina, multisq; jam ſuperatis ſcalis in domum aurato faſtigio inſignem aſcendimus, qualem Homerus Menelai fingit eſſe: atque ipſe quidem omnia illa contemplabar, quæ inſularis ille adoleſcens. Video autem non Helenam, ſed me herclè viros in faciem inclinatos, & palleſcentes.* Hæc ille, è quibus apertiſſimè liquet, à primis illis *Chriſtianis*, maximis eccleſias ornamentis illuſtratas. Sed ne id omninò facerent, vbi primùm ſe Imperatores impij aduerſus eos & eorum templa armarunt, prohibiti ſunt: opibus namque illis magis animos flagitioſorum incitaſſent. Si quando igitur ab ornandis eccleſijs deſtiterunt, inuiti id fecerunt, ſapienter tamen, & tamen haud omninò deſtiterunt. Ex *Auguſtino b.* namque, & *Optato c.* conſtat, imperante *Diocletiano* eccleſias abundaſſe vaſis ex auro & argento conflatis. Vbi verò pax *Chriſtianis* ſolida eſt per *Conſtantinum* reſtituta, quis ignorat quantum aureorum, argenteorum, decorumque aliorum contulerit ille eccleſijs? quàm mirabiliter illas ac ſplendidè excitârit toto orbe terrarum? Audi *Euſebium d.* Aderat II.

a. In Philo.

b. Epiſt. 165. cont. Creſ. l. 3. c. 29.

c. Lib. 1. cont Parm.

d. Lib. 9. cap. 10.

rat cunctis velut diuino munere infusâ lætitia, maximè videntibus ea loca, quæ paulò antè impijs Tyrannorum machinis fuerant destructa, rediuiuâ constructione clariora, & celsiora consurgere, templaq́ue excelsa pro humilibus conuenticulis eleuari. Audi *Cyrillum Hierosolymitanum* eadem dicentem: *e. Isti qui nunc sunt Reges, pietatis ergò argento induentes & auro sanctam hanc Ecclesiam Resurrectionis, in quâ nunc sumus, exstruxerunt, & argenteis monumentis splendidam effecerunt. Athanasius f.* indicat ab ipso *Constantio* exstructam *Alexandriæ* tam ingentem Basilicam, vt ea sola capere posset populum, quem aliæ capere non poterant, laudans simul hanc eius magnificentiam.

e. Catech. 14.

f. Apol. ad Const.

III. *Gregorius Nazianzenus, g.* cùm dixisset à *Gallo* & *Iuliano* exstrui cœpisse maximis sumptibus Basilicam S. Martyri *Mamæ*, subiungit munus *Galli* Deo acceptissimum fuisse, vt quondam fuit sacrificium *Abel. Gregorius Nyssenus h.* dicit templum *S. Theodori* magnificentissimum, & ornatissimum picturis & sculpturis fuisse; & hoc ad gloriam sancti maximè pertinere, vbi apertè laudat vsum erigendi talia templa. *Ioannes Chrysostomus: i. Seruorum,* inquit, *crucifixi sepulchra regijs aulis sunt clariora, non magnitudine & pulchritudine ædificiorum (nam & in hoc superant) sed quod multò maius est, conuenientium studio.* Idem: *k. Nec prohibeo,* inquit, *magnifica templa condere, &c.* Iam ex *Latinis, Optatus* testatur, *l.* suo tempore habuisse Ecclesiam pretiosa vasa Sacramentorum, quæ *Donatistæ* diripientes conflârunt & vendiderunt. *Ambrosius: m. Et maximè Sacerdoti,* ait, *hoc conuenit, ornare Dei templum decore congruo, vt etiam hoc cultu aula Domini resplendeat.* S. Hieronymus *n.* postquam dixerat: *Alij ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, &c.* subiungit: *Non reprehendo, non abnuo; sed tibi aliud propositum est, &c.* Rursum *o.* alibi refert in gloriam Ecclesiæ, & laudem Principum, quòd (cùm aliquot Imperatores Ethnici Ecclesias euerterint,) rursum alij Basilicas exstruxerint, & exaltauerint, summa fastigia, & laquearia, ac tecta auro decorauerint, & parietes diuersi marmoris crustis vestierint. *Prosper p.* dicit templum amplissimum Deo vero consecratum suo tempore, cuius tanta erat magnitudo & excellentia, vt etiam plateam haberet, quæ ad ipsum ducebat, duorum millium passuum longitudinis,

g. Orat. 1. in Iulia.

h. Orat. in Theod.

i. Hom. 66. ad pop. Antioch.

k. Hom. 51. in Matth.

l. Lib. 6.

m. Lib. 2. de Offic. c. 21.

n. Epist. ad Demetriad.

o. In cap. 8. Zach.

p. De promiss. & prædict. p. 3. cap. 38.

dinis, totam pretioso pauimento, & columnis ac muris ornatam. Idem testantur, ac laudant *Augustinus, q. Cyrillus, r. Paulinus, s. Prudentius, t.* ita vt per annos mille quingentos Ecclesiam Catholicam toto orbe disseminatam, sanctissimorum virorum genitricem, moris huius studiosam fuisse nemo possit negare. Sed hæretici vnà cum scelestis Imperatoribus vel nulla esse Dei templa volunt, vel vilia, & despecta. Sed si nostra volumus magnifica, & illustrissima, quid ni diuina? si laudamus, & admiramur vrbes, atque ædificationes alias huiusmodi, cur *Christo* eadem negemus? si per ea videmus homines inuitari, rapi in admirationem cælestium, & superorum, vt sciant talia, ac multò maiora esse illa; quid ni curemus exstare huiusmodi opera? Ita verò comparatum naturâ videmus, vt plerique omnes ab ijs quæ feriunt sensum, deducantur ad intima, effugientiaque humanos obtutus. Si Deus ipse ita voluit ornari illud vetustum templum, quanto magis nostra, quando illa instar vmbræ, inquit *Paulus ad Hebræos*, præ nostris fuêre? Asserimus tamen, nemini adeò ecclesiarum decus esse tuendum, vt animi sui ornamenta negligat: nam si alterum tenendum esset, alterum repudiandum, magis illud esset negligendum, quàm hoc; quod alibi *Hieronymus* ad *Nepotianum* scribens innuebat. Eodem modo neque cura pauperum dimittenda ob huiusmodi ornamenta templorum: illis namque in primis quò ad necessaria consulendum, mox istis, vt vult *Ambrosius*, & alij; quod nemo inficiatur: sicuti neque ea, quæ quouis modo sunt maioris momenti, ob hæc minoris facienda. Sed omittamus hæreticos, qui vt se prodant hæreticos, hæc impugnant, cùm Deus ipse Ecclesiæ prædixerit, futurum, vt ad eam confluerent è remotis locis plurimi cum argento, auro, & pretiosis quibusuis, ad eius diuinorumque omnium tuitionem & splendorem.

q. Psal. 113.
r. De rect. fide ad Reg.
s. Nata. 3. S. Fel.
t. In S. Lau.



CAPVT VII.

ORNATVS TEMPLORVM IN GENERE COMMODA. ITEM QVANDO, ET QVOMODO REPREHENSIBILIS.

I. Vtilitates Templi splendidè ornati.



EMPLVM magnificè ornatum plures habet vtilitates. Primùm enim attrahit homines faciliùs ad res pias, quæ in templis geruntur. Nec enim obscura & sordida loca libenter frequentantur. Deindè conseruat maiestatem Sacramentorum, & reuerentiam, quæ rebus diuinis debetur. Nam quando
1. videmus altare splendidum & ornatum, facilè erigimus mentem,
2. & cogitamus magnum esse DEVM, cui talia exhibentur: & è contrario facilè contemnitur, quod sine apparatu proponitur. Ter-
3. tiò, juuatur pietas & deuotio, maximè simplicium, quorum maximus est numerus.
4. Accedit etiam corporalis vtilitas, quòd magnifica templa diutiùs conseruantur; & magno splendori sint ciuitatibus; multitudo quoque aureorum atque argenteorum vasorum, sæpe fuit saluti toti Reipublicæ, dum in communi captiuitate, fame, aut peste, Ecclesiæ thesaurus multis millibus miserorum opem tulit, vt quasi in id tempus diuinitus datus, & seruatus videretur.

II. Ornatus templorũ quando reprehensibilis.

Porrò quatuor sunt circumstantiæ, ex quarum defectu malum erit ornare templa, nimirum *tempus*, *locus*, *modus*, & *persona*.

1. Circumstantia temporis.

Nam in primis, quando quis tenetur juuare proximum, ac præsentes parentes, aut filios, & non potest simul prouidere proximo, & donare templo: tum non rectè facit, si neglectis parentibus, vel proximis ædificet templa. Ait enim Dominus: *a*. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Et in Euangelio *b*. reprehenduntur *Pharisæi*, qui docebant filios familias offerre templo donaria, cum detrimento parentum. Patet id etiam ex *Paulo* *c*. qui docet, non esse facienda mala, vt eueniant bona.

a. Oseæ. 6. b. Marc. 7. c. Rom. 3.

III.

Denique ex praxi Sanctorum, qui tempore magnæ necessitatis pauperum, conflarunt calices, & vendiderunt, vt patet ex *Ambrosio*; *d*. Si enim tempore necessitatis rectè Pastores detrahunt

d. Lib. 3. of. cap. 28.

hunt Ecclesiæ ornamenta; certè multò rectiùs non dantur Ecclesiæ, quæ essent auferenda, si data fuissent. Neque obstat factum Viduæ, quæ tribuit in donaria DEI omnem victum suum; nam patris, aut filiorum victum non tribuit, sed suum; & suum non multorum dierum, sed vnius tantùm: neque enim duobus minutis poterat diu sustentari.

IV. Deinde quantum ad *locum*, certum est, non omnia loca æqualem ornatum requirere; nam in magnis vrbibus, ad quas multi confluunt, splendida templa esse debent; at in locis desertis, vel paruis pagis, non videtur conuenire, vt tot sumptus fiant in ædificijs templorum. Præterea reprehendit S. *Bernardus*, quòd nonnulli in pauimento sculperent, vel pingerent Sanctorum imagines, & cogerentur, qui in illis Ecclesijs spuere necesse haberent, in faciem Angelorum, vel aliorum sanctorum humi depictorum spuere.

2. Loci.

3. Modi.

V. Quantum ad *personam*, peccatur, quando quis supra suum statum & conditionem vult ornare templa. Nam si, qui paupertatem profitentur, & victum ab alijs emendicant, vellent ædificare templum marmoreum, & auro, sumptuosis picturis, gemmis, lapidibusque ac columnis magno ære expetitis ornare, etiamsi fortè possent eleemosynis hinc inde corrasis, aut importunè à populo conquisitis id facere, tamen non deceret eorum professionem & statum; magnificentia enim non est Monachorum, sed Principum. Vide censuram Card. *Bellarmini*. *e*.

4. Personæ.

e. Tom. 2. lib. 3. cap. 6. contrauers.

VI. In Reuelationibus factis S. *Brigittæ* legimus inter alias. *Numquid reprehendendi sunt illi Fratres* (loquitur ad B. Virginē MARIAM de Prædicatoribus) *qui filio tuo ædificant Ecclesias altas, & sumptuosas? Aut vituperandi & dijudicandi si ad tales structuras ædificandas plura mendicant? Respondit Mater. Quando Ecclesia in tantum lata est vt capiat ingredientes, quando muri tantum excreuerunt in altum quòd non coarctant introëuntes &c. sufficit eis ædificasse.* Nam placet *DEO magis cor humile in humili Ecclesiâ, quàm alti muri in quibus corpora sunt intra, & corda ab extra. Propterea non habent arcas auro & argento implere propter ædificia, quia non profuit Salomoni ædificâsse tam sumptuosa ædificia, ex quo neglexit eum diligere propter quem ædificabantur.* Ita ibi. *f.*

f. Lib. 3. cap. 18.

Eadem

VII. Eadem super templorum & ædificiorum splendore & ornatu quem Regulares plerique affectant, & solicitè conquirunt, censura fuit Patrum Concilij *Viennensis*, relata *in Clementina Exiuit l. 5.* cuius tenorem quia plurimum ad argumenti præsentis confirmationem facit, prudentissimæ *Bellarminianæ* censuræ, quæ illi indubiè innititur, subijciemus. Ita enim loquitur Pontifex: *Volumus quòd vbiq; in suo ordine, deinceps temperatis & humilibus ædificijs sint contenti, ne huic tantæ paupertati promissæ, quod patet oculis, contrariũ foris clamet. Quamuis enim paramenta & vasa Ecclesiastica ad honorem diuini nominis ordinentur, propter quem omnia fecit ipse Deus: tamen qui absconditorum est cognitor, ad animum sibi ministrantium respicit principaliter, non ad manum: nec per illa vult sibi seruiri, quæ suorum seruitorum condicioni & statui dissonarent. Superfluitas autem, vel nimia pretiositas, vel quæcumque curiositas his vel alijs quibuscumque, non potest ipsorum professioni vel statui conuenire. Cùm enim hæc sapiant thesaurizationem vel copiam, paupertati tantæ quoad humanum judicium derogant manifestè.* Ita Pontifex.

VIII. Dicent qui hoc tempore omnem cogitationem ad splendorẽ & pompam Ecclesiarum & Ædificiorum dirigunt, vtque omnia marmore & regio ornatu, artificique cælaturâ intus & foris reluceant occupantur, hîc dumtaxat Pontificem loqui de *Fratribus Minoribus*: verùm attendant, ad omnes paupertatem professos, illam inquam, quæ mendicitatem adiunctam habet & piorum eleemosynas exigit, quibus taliter professi ex usu ordinis sustententur, sermonem dirigi, in quantum requirit ædificia & ornamenta statui eorum conuenientia, hoc est, qualia habere decet cœtum pauperum, & quidem Religiosorum. Votum enim paupertatis importat tantùm vsum rerum necessariarum secundùm decentiam status, vt benè asserit *Thomas à IESV, g.* qui multa in hanc rem tradit, quæ vtinam ab omnibus legantur, & in praxim redigantur.

g. Tract. de statu Monach. p. 4. cap. 7.

IX. Neque est quòd tabernaculum vetus, templumque à *Salomone* ædificatum, in quo omnia aurea erant, pompositati huic velut fulcimentum substernatur. Erat namque templum illud, & tabernaculum vnicum dumtaxat, ad quod vndique confluebant:

cùm nunc Templa ſint innumera, ac ſuffecerit Templa Patriarchalia, Metropolitana, Cathedralia, quorum ampliſſimi ſunt reditus, & maior dignitas, veterem ſplendorem imitari. Deinde *Salomon* erat Regum ditiſſimus, cùm iſti de quibus hîc loquimur, & profeſſione, & vſu & functione ſint pauperes; quorum etiam templa non niſi ex ſingulari indulto à ſæcularibus adeuntur ad diuina officia percipienda, quibus Eccleſiaſtico de ijſdem frequentandis præcepto ſatisfaciant. Et Concilij *Tridentini* decreto cautum eſt, teneri vnumquemque audire verbum Dei, vbi commodè poteſt, Dominicis & alijs feſtiuitatibus, in Parochiali ſuâ Eccleſia, &c. Addam coronidis loco, quæ habet *S. Bonauentura* de hoc exceſſu ædificiorum & paramentorum: vt qui quinque grauiſſima incommoda enumerat, quæ ex hinc in Religione conſequuntur. Sic igitur habet *D. Bonauentura*, *h*.

h. In expoſ. Reg. S. Fran. cap. 6.

X. Incommoda.

Quintuplicis peccati rei ſunt, qui ſuperflua (vocantur hîc illa quæ limites paupertatis excedunt: ſiue quæ neque ad ſuſtentationem, neque ad ſtatûs illius decentiam exiguntur, vt bene *Thomas à Ieſu* ſuprà citatus) in ædificijs, & alijs quibus vtimur, procurant, & acquirunt. Primò propter tranſgreſſionem profeſſionis, quia pompis renuntiantes in ſæculi paupertate & humilitate verâ promiſerunt Domino famulari. 1. Secundò, propter malum exemplum quo alij diſcunt ab eis ſimilia facere, vel ſcandalizantur, 2. quando vident eos qui huiuſmodi pro *Chriſto* ſpernere deberent, quærere vel ſectari. Tertiò, propter inquietudinem fratrum vel 3. ſociorum propter huiuſmodi ædificia & procurationes, quia & deuotio extinguitur, & diſciplina religionis plurimùm diſſipatur. Sicut ſcriptum eſt: *Venerunt ſtructores tui deſtruentes te, & diſſipatores à te exibunt.* Quartò, propter ſpoliationem aliorum pauperum, 4. quibus ſæpè eleemoſynæ præripiuntur, & huiuſmodi ſtructuræ fiunt, ex quibus illi deberent veſtiri, & paſci, dum quod iſtis datur, eis negatur, quia ad dandum vtriſque ſæpe deficit dantium largitas & facultas. Quintò, quia quando nimis vrgemus homi- 5. nes ad dandum, perdunt deuotionem priùs ad nos habitam, quòd nec de prædicatione, neque exemplis, nec alijs quæ facimus ædificantur, vnde cùm vident nos accedere, terrentur & timent quòd

velimus aliquid ab eis expetere, quod graue ſit eis dare, & erubeſcunt negare, & ſi dederint non libenter, minus merentur; ſic & rebus & deuotionibus priuantur.

XL. Quibus etiam adiungi poſſunt non contemnenda alia inconuenientia, qualia ſunt manifeſta pericula, in quibus Religioſi extra monaſterium vagantes, maximè juuenes, verſantur. Præterea mores religioſi in deſuetudinem veniunt, ac demum foris diſcurrentes varia carnis commoda venantur, familiaritates contrahere compelluntur; à pœnitentibus munera quærere, ædificationem animarum aliquando pro quæſtu vendere, diuitibus adulari, ſcandala non curare, Dei & religionis honorem ſæpe conculcare non verentur. Quare *Calixtus III.* P. M. cùm ad eius aures aliqui circa paramenta Eccleſiaſtica Fratrum *Minorum* exceſſus perueniſſent, *i* ſuſpirans imperaſſe fertur, vt in his rebus ſimilibus exceſſibus ſedulò obuiaretur.

i. Coll. Priuil. v. Ornamen. Eccleſ.

B. *Dominicus* *k.* ita in vita paupertatem etiam in diuino cultu amauit, & veneratus fuit, vt numquam permiſerit ornamenta, ſiue paramenta ſerica, neque vaſa aurea aut argentea in ſuo Ordine fieri. Quod etiamnum hodie obſeruant PP. *Cappuccini.*

k. Ferd. Caſtil. l. 1. c. 51. & 54.

CAPVT VIII.

CONSTANTINI MAGNI IN TEMPLIS CONSTRVENDIS ET EXORNANDIS MAGNIFICENTIA.

I. S. Petri in Vaticano.



ONSTANTINVS MAGNVS, Eccleſias duas, vnam *S. Petri* Apoſtoli, alteram *S. Pauli*, ſibi inſtaurandas atque augendas ſuſcepit: quarum illa erat in *Vaticano*, quòd ibi *Petrus* ſub *Nerone* actus in crucem eſſet: hæc viâ *Oſtienſi*, quòd eo in loco, *Paulo*, eodem die amputatum caput fuiſſet. Singulas verò baſilicas auratis trabibus, ac multiplici columnarum ordine, vt omnem ſuperarent templorum veterum opulentiam, exornauit, ac patrimonijs toto Occidente diſperſis ad Eccleſiarum vſum ac magnificentiam auxit. Quibus mox *Silueſter* Papa dignitatem etiam ac venerationem adiunxit, ſacris ipſorum Apoſtolorum corporibus illuc ex propinquâ, vbi hærebant, ſede tranſlatis, vnde procedente

S. Pauli viâ Oſtienſi.

tempore

tempore limina ipsa Apostolorum pio ciuium aduenarumque concursu, certatim vota donaque ferentium, supra omnia templa sunt celebrata. Basilicæ quidem *Vaticanæ* splendoris illud est argumento, quòd *Ammonius* Monachus, teste *Socrate*, cùm *Romæ* vnà cum *S. Athanasio*, *Iulio* Pontificatum post *Siluestrum* administrante, diuersaretur, ex admirandis tam multis vrbis operibus, nullum nisi hoc, sibi visendum existimarit: venerationis verò, quòd quemadmodùm *D. Ioannes Chrysostomus* scripsit, cùm ceteros vel remotissimos homines, tum præcipuè Imperatores ipsos eò venientes pio quodam horrore ac religione perfuderit. *a.*

a. Sigon. l. 3. de Imp. occid.

II. Vaticani descriptio.

Porrò ad idem *S. Petri* in *Vaticano* templum *Romæ* à *Constantino*, vt diximus ædificatum, ascenditur per gradus XXXV. quos collapsos *Pius II.* Papa restituit. Portas habet æneas, vnam antiquam, alteram recentem cum varijs historijs, opus artificis *Veneti*, qui metas, obeliscos, moles, porticus, arma *Romanorum* vetera in ijs expressit: & *Eugenius IV.* Orientalium populorum, qui ad se legatos miserant, facies, vestitus, & numerum curauit effingenda. Columnæ *Ægyptiacæ* per totum templum X. sed non in vno loco, quæ sunt cum alijs è mole *Hadriani* eò translatæ. Sunt autem ordines duo, in singulis prioribus decem, ceteris maiores, in posterioribus verò vndecim. Ædificari cœptum est aliud, omnium, quæ habitura esset *Roma*, altissimum & maximum, cuius fundamenta jecit *Iulius II.* *b.* nostris primùm temporibus perfecit *Paulus V.* dedicauit *Vrbanus VIII.*

b. Georg. Fabric. in Rom. Antiq.

III.

Cuius magnficentiam hisce descripsit *Thomas Bozius*: *c.* *Quid autem de templo S. Petri, quod nunc perfectum conspicimus, & admiramur, dicemus? Ac ne quis antiquitatum stupidus laudator temerè nos loqui putet, afferamus quæ de Pantheo scribit, quasi spectaculo tanti operis attonitus Ammianus*: *d.* Pantheon veluti regionem teretem speciosâ celsitudine fornicatam, elatosque vertice scansili suggestus Consulum, & priorum Principum imitamenta portantes. *Hucusque Ammianus. Atqui tholus solummodò templi S. Petri est altitudinis cum Pantheo eiusdem supra fastigium quatuor ædium, quibus insidet medius, latitudinis verò paululò minoris, specie porrò longè excellentiori ob multiplices fenestras, capitula, bases, columnas, epistylia, &*

c. De sig. Eccles. l. 11. c. 3.

d. Lib. 16. Pantheon quale?

 coronas,

coronas. Adde illud longè præstantissimum, quòd tholus est duplici fornice contectus, & inter vtrumque fornicem quasi ædiculæ innumeræ suis & ipsæ cameris distinctæ. Sed cùm quatuor, vt diximus, infra tholum sint templa, illorum quodlibet, mole, artificio, excellentiâq; materiæ, nobilius Pantheo. Præter hæc quatuor templa inter se cohærentia & peruia, quibus insidet excelsissimè tholus, est spatium medium tholo respondens, quod est à pauimento vsque ad summum verticem altitudine duplum ad Pantheon. Adde aditum anteriorem, & fornicem posteriorem, vt omittamus porticum, quòd nondum perfecta sit. Hæc omnia sanè si perpendas, rationemq; discriminis ducas, videbis templum S. Petri reuera septuplo admirabilius admirabili isto Pantheo. Hoc altitudine est pedum centum nonaginta octo, tantùmdem latitudine. Atqui quodlibet ex ijs quatuor, quibus incumbit tholus supremus nostri templi, est celsitudinis maioris, eiusdemq; propè latitudinis. Superest deinde spatium medium cum tholo, & pars anterior, & posterior, supersunt intercurrentia ab imo ad supremum fastigium tum molis totius, cùm cuiuslibet templi spatia parietibus inclusa, lato interstitio suas domunculas cum suis cameris aptè dispositas habentia: ita vt reuera hoc templum dignitate & artificio superet omnia, in quibus jactat se cum suis fabulis ostentatrix antiquitas. Est autem celsitas tantæ molis stadij dimidij plus minus, pedum scilicet tercentum, longitudo quadringentorum. Quocirca placet comparare idem templum cum Dianæ Ephesiæ fano impio, quod inter septem miracula vetustas adnumerabat. De illo sic Plinius: e. Magnificentiæ vera admiratio exstat templum *Ephesiæ Dianæ*, ducentis viginti annis factum à totâ *Asiâ*. In solo id palustri fecêre, ne terræ motus sentiret, aut hiatus timeret. Rursus ne in lubrico atque instabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea substrauêre carbonibus, dein velleribus lanæ. Vniuerso templo longitudo est CD. XXV. pedum, latitudo ducentorum viginti, columnæ centum viginti septem à singulis Regibus factæ, sexaginta pedum altitudine, ex ijs triginta sex celatæ, vna à *Scopâ*; operi præfuit *Ctesiphon* architectus. Sum̄a miracula, epystilia tantæ molis attolli potuisse. *Hæc Plinius. Atqui templū S. Petri perfectū propè jam videmus, cùm tamen anni octuaginta nondū sint elapsi ab eius inchoatione, neq; vel Asia tota, vel centum viginti septem Reges coierint ad eius absolutionem; in reliquis multò nobilius S. Petri templum.*

e. Lib. 36. cap. 14. Dianæ Ephesiæ nihil ad Vaticanum.

S. PAVLI

S. PAVLI in via *Ostiensi* omnium templorum maximum, extructum ab eodem Imper. *Constantino*: in prædio nobilis matronæ *Lucinæ*, longum cub. CCXL. lat. CXX. Habet ingentium columnarum ordines quatuor, in vnoquouis XX. Vnus ordo ab altero distat ped. XXXIV. columna vna ab altera ped. XIX. In pauimento tantum fragmentorum ex antiquis epitaphijs, quantum in alio nullo templo Romano. Sunt & aliæ columnæ circa altare XIV. porpyreticæ, & sex alterius lapidis. Habet in vniuersum CXIV. columnas. *f.* Idem *Romæ Lateranensem* Basilicam condidit, de quâ suprà. IV. Item S. Pauli. f. Georg. Fab. in Roman. Anti.

Idem Basilicam nobilem *Nicomediæ Christo* instituit; & cùm apud quercum *Mambre* in *Palæstinâ Abrahamum* olim consedisse audisset, indignatus, locum tam venerabilem simulacris esse fœdatum, ipsum purgari, ac templo ornari, litteris ad *Macarium Hierosolymorum*, & *Eusebium Cæsareæ* Episcopos datis mandauit. *g.* V. Lateranensis, Nicomediæ, Ad quercum Mambre, Ecclesiæ à Constantino conditæ. g. Idem. lib. 4.

Idem cùm cognouisset, eos olim, qui idolorum errore tamquam furoris intemperijs acti fuerant, salutiferum monumentum defodisse, aggere multo molem altissimam excitâsse, *Caluariæ* & Resurrectionis vicinum circumcirca locum occupasse, & lapidibus ingentibus solū eius constrauisse, vt obliuioni monumenta memoriæ sempiternæ mandarent, & templum præterea impudicæ deæ *Veneris*, statuamque eiusdem ibi colocâsse, virgineo partui illudentes: vt qui eò loco debitum *Christo* honorem sibi præstandum statuissent, simulacro eum exhibere viderentur, processuq; temporis obliuio veram premeret atque occultaret caussam; quòd nemini liberè eò commeare, aut alijs rem indicare fas futurum esset; funditus templum ipsum eruere, aggeremque egestum quàm longissimè à ciuitate proijcere, vt qui sceleratis sacrificijs contaminatus esset, jussit, ac templum illud pulchritudine præcipuâ amplissimum, magnificentissimumque extruere præcepit. Cuius ædificationis institutionē *Macario* eius templi Antistiti per litteras commisit. *h.* VI. Item in monte Caluariæ loca Resurrectionis. h. Niceph. l. 8. c. 28.

Eiudem Imperatoris mater *Helena*, amplissimo templo in Resurrectionis & *Caluariæ* monumento ita constructo, vt nullis prorsus, quæcumque vel pulchritudine, vel magnitudine eximia VII. Item eius mater Helena.

 sunt

sunt, cederet, nouæ *Hierusalem* nomen indidit, exemplari scilicet illius veteris & jam soluti tabernaculi. Ipsa verò domesticis propriisq; impensis alias duas magnificè sacras construxit ædes: alteram in *Bethlehem*, ad eam, in quâ natus est *Christus* speluncam, sexies mille passibus ab vrbe distantem: in cuius sanctiore sacrario humi & præsepe, & speluncam sacram est complexa: alteram verò in *Oliuarum* monte, ad verticem ipsum, vbi relictis discipulis *Christus* in cælos est assumptus. Excitauit quoque mirificum aliud templũ in *Gethsemani* prædio, Genitrici DEI, atque in sacrario ipso viuificum eius sepulchrum firmiter inclusit. Quum verò decliuis is sit locus, gradus marmoreos fieri curauit, viatores ex sanctâ vrbe Orientem plagam versus ferentes. Sanctis itidem infantibus, & vbi Angelus pastoribus lætum attulit nuntium, & Verbi puerperæ, in eis ipsis locis sacras extruxit ædes, nec non aliam quoque *Iosepho* sponso. Inde *Bethaniam* progressa *Lazaro Christi* amico insigne ædificauit delubrum. Abest id *Hierosolymis* passuum millibus duobus. Deinde ad sacrum *Iordanem* conuersa, circa speluncam vbi olim domicilium *Ioannes Baptista* habuit, perpulchram illi ædem erexit, &c. *i.*

In Bethlehem.

In monte Oliuarum.

In Gethsemani prædio.

SS. Innocẽtum.

Vbi Angelus pastoribus nuntiauit Christi natiuitatẽ.

S. Iosepho.

S. Lazaro;

S. Io. Bapt.

i. Id. Ibid. cap. 30.

VIII. Constantinus templa mirificè exornauit: præcipuè fontẽ sanctum vbi baptizatus est.

Ceterùm munificentissimus idem Imp. *Constantinus Augustus* non solùm à fundamentis extruxit templa, vti diximus, verùm etiam intrinsecus eadem mirificè exornauit. Sic Fontem sanctum, vbi baptizatus est *Augustus* idem Imp. ex lapide porphyretico, & ex omni parte coopertum intrinsecus & foris & desuper, & quantum aqua continet, ex argento purissimo, libras tria millia octo: In medio fontis columna porphyretica, quæ portat phialam ex auro purissimo, pensantem libras quinquaginta, vbi ardent balsami libræ ducentæ, annexum ex stipâ amianti. In labro fontis agnum ex auro purissimo fundentem aquam, pensantem libras triginta. Ad dextram agni, *Saluatorem* ex argento purissimo, in pedibus quinque pensantem libras centum septuaginta. In læuâ agni, beatum *Ioannem Baptistam* ex argento in pedibus quinque tenentem titulum scriptum, qui hòc habet: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, pensantem libras centum. Ceruos ex argento septem fundentes aquam, pensantes singulos libras octingentas

gentas. Thymiamaterium ex auro puriſſimo, penſans libras decem, cum gemmis praſinis & hyacinthinis vndique, numero gemmæ quadraginta duæ. *k.* k. Bar. anno 324.

IX. A.D. CCCXXIV. fecit *Conſtantinus Auguſtus* Baſilicam in Palatio *Seſſoriano*, vbi de ligno *S. Crucis* poſuit, & in auro & gemmis concluſit, vbi & nomen Eccleſiæ dedicauit, quod nominatur vſque in hodiernum diem *Hieruſalem*. In quo loco conſtituit dona iſta: candelabra ante lignum ſanctum lucentia argentea quatuor, ſecundùm numerum quatuor Euangeliorum, penſantia ſingula libras octoginta: Pharos cantharos argenteos quinquaginta, penſantes ſingulos libras quindecim: Scyphum aureum puriſſimum, penſantem libras decem: calices miniſteriales quinque, penſantes ſingulos libras ſingulas: Scyphos argenteos tres, penſantes ſingulos libras octo: Calices miniſteriales argenteos decem, penſantes ſingulos libras duas: patenam argenteam auro incluſam, cum gemmis penſantem libras ducentas quinquaginta: Altare argenteum penſans libras ducentas quinquaginta: Amas argenteas tres, penſantes ſingulas libras viginti, & omnes agros circa palatium Eccleſiæ dono dedit. *l.*

Baſilica S. Crucis in Hieruſalē.

l. Anaſt. Biblioth. Bar. loc. cit.

CAPVT IX.

DE ORNATV TEMPLORVM ANTERIORI.

I. TEMPLORVM legis Euangelicæ ornatum interiorem plura exempla tùm paulò antè adducta, cùm pòſt adducenda adſtruunt, ſic vt nihil inter *Catholicos* hodie ſit magis familiare, quàm ornare templa, & in illorum cultum omni contentione deſudare, idque tanto zelo, vt videas nonnullos, omnes animi neruos, & fortunarũ bonam partem in hac pietate collocare. II.

a. In Pſal. 113.

De ſuo tempore ita *S. Auguſtinus*: *a. Sed & nos*, inquit, *pleraq; inſtrumenta & vaſa ex auro & argento habemus in vſum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipſo miniſterio conſecrata, ſancta dicuntur.* *Prudentius* in hymno de *S. Laurentio* inducit ſic loquentem Tyrannum:

Aurea & argentea vaſa tempore S. Auguſtini, & antè.

Hunc.

Hunc esse vestris orgijs
Moremq́ & artem proditum est,
Hanc disciplinam fœderis,
Libent vt auro Antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroq́ nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.

b. Natal. 3. S. Felicis. Paulinus: *b.*

Aurea nunc niueis ornantur limina velis.

Naturâ enim ita comparatum videmus, vt mens nostra nihil omninò percipere possit, nisi à sensibus illud expiscetur. Quocirca rerum diuinarũ splendorem, magnificentiamq́;, quanta sit illa, non addiscet absque externis istis. Sic enim DEVS etiam cælestia voluit esse perquàm fulgentissima, pulcherrima, nobilitatisque cuiuslibet plenissima, vt ex admiratione illorum raperemur in admirationẽ simul cultumq́; exhibendum rebus à sensu seiunctis; & nos, quàm fieri posset, imitaremur ipsum non intimo dumtaxat virtutum decore, qui præ cunctis à nobis est expetendus, sed externâ etiam dignitate, ac maiestate rerum ad ipsius cultum & obsequium pertinentium. Paucissimi namque sunt, qui contemplari arcana mysteria, abditumque illorum decorem sensus humanos effugientem possint absque aliquo huiusmodi rerum adminiculo externo.

III.

c. Lib. 1. Offic. c. 21. can. pulchra. d. 86. d. Orat. 11. in laud. ipsius. e. Epist. 3. ad Heliod. f. Epist. 2. ad Nepot. g. Lib. 8. de Græc. affect. curat.

Ornare DEI templum decore congruo maximè sacerdoti conuenit, vt etiam hoc cultu aula Domini resplendeat, inquit, D. *Ambrosius*, *c.* Laudat *Gorgoniam S. Gregorius Nazianz.* d. *quòd sumptuosis donarijs templa exornabat.* Laudat B. *Hieronymus Nepotianum*, *e.* quòd esset solicitus; *si niteret altare, si parietes templi absque fuligine, si pauimenta tersa; deinde quòd Basilicas & martyrum conciliabula, diuersis floribus & arborum comis, vitiumq́ pampinis adumbrabat.* Idem D. *Hieronymus*: *f. Multi*, inquit, *ædificant parietes & columnas Ecclesiæ, substruunt marmora, nitent auro laquearia, gemmis altare distinguitur. Martyrum templa*, ait Theodoretus, *g. conspicua cernuntur, magnitudineq́ præstantia, omni præterea ornatus genere variata,*

riata, splendoremq́; quodammodò pulchritudinis suæ latè fundentia. *Leo magnus* h. testatur, suo sæculo *Christianos* solitos fuisse propensiore & ampliore cultu, orationis domum, diebus festis adornare. *Aurelianus* in vitâ *S. Martialis* prodidit, *S. Martialem*, altare in honorem *S. Stephani* consecrasse, ipsumque altare clauis affixisse aureis, ac coronas sex aureas posuisse in circuitu, cum totidem lampadibus aureis. Ecclesiarum, *Maxentij* tempore, in Africâ fuisse quàm plurima ornamenta ex auro & argento, *Optatus* i. commemorat. Idem, k. laudat *Constantem* Imperatorem, qui cùm in *Africam* mitteret eleemosynas pauperibus, miserit domibus DEI ornamenta.

h. Ser. 3. de Quadr.

i. Lib. 1. ad Parmen.

k. Lib. 3.

l. In cap. 8. Zach.

His adendus est S. *Hieronymus*, l. qui ita scribit: *Quis eo tempore crederet rursum Ecclesias construendas ab his ipsis qui antè destruxerant? Non quòd ijdem homines fuerint, sed quòd eadem Regalis potestas, quæ priùs sedebat in insidijs cum diuitibus, & quasi ex Senatusconsulto Christi nomen conabatur exstinguere, nunc expensis Reipublicæ Ecclesiarum Basilicas exstruat, & exaltet summa fastigia, vt non solùm laquearia & tecta fulgentia auro decoret, sed parietes diuersi marmoris vestiat crustis*, &c.

Theodoretus m. scriptum reliquit, Imperatorem *Constantium* complura vasa pretiosa ad ornatum Ecclesiæ *Antiochenæ* donasse, quæ impius *Iuliani* quæstor rapiens, & in fiscum redigens, insultans exclamauit: *En quibus vasis ministratur filio MARIÆ!*

m. Lib. 3. cap. 12.

IV.

Ornantur item templa picturis. S. *Gregorius Nyssenus* n. ornatum templi S. *Theodori* describit his verbis: *Dum adem, vt templum DEI magnitudine structuræ, & adiecti ornatus decore, splendidè elaboratum intuetur, vbi & faber in animalium figuram lignum formauit, & latomus ad argenti leuitatem crustas lapideas expoliuit, induxit etiam pictos flores artis in imagine depictos, fortia facta martyris, repugnantias, cruciatus.* Et paulò pòst: *Omnia nobis tamquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiosè depingens certamina, atque labores martyris nobis expressit, ac tamquã amœnum pratum & floridum, templum exornauit.* *Paulinus Nolanus* Episc. o. de ornatu Ecclesiæ S. *Felicis*:

n. Orat. de laud. S. Theod.

Picturæ in templis iam olim vsitatæ.

o. Natal. 10.

Q Et

Et paribus variæ & speciosæ cultibus exstant
Marmore picturæ laquearibus atq; columnis, &c.

p. Lib. 9. Epist. 9. S. Gregorius: *p. In locis*, inquit, *venerabilibus Sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit.* Quibus verbis apertè *Gregorius* indicat, jam tunc consuetum venerabiles Ecclesias, Sanctorum nomine exstructas, picturis ornare.

V. Item Imagines. q. Act. 1. r. Epist. 49. ad Olymp.

Ornantur & templa imaginibus: *Templi nulla ratio, quod non ornatur imagine*, inquit Synodus 2. *Nicena q. ex Isidoro Pelutiotâ.* S. Gregorius Nazianzenus: *r. Sed post imperium tuum, in ferarum lustrum conuertatur templum illud, quod exstruximus, omneq; nostrum in exornando studium. Neque enim si statuæ deijciantur, hoc graue & acerbum est, etiamsi alioqui acerbum.* Ecce *Gregorij* sæculo templa imaginibus & statuis exornata. Sed passim extant exempla cùm apud sacros tùm profanos.

CAPVT X.

EXEMPLA PONTIFICVM ROMANORVM, QVI OPERAM SVAM TEMPLIS EXORNANDIS IMPENDERVNT.

I.



IN extruendis templis *Romani* Pontifices supra modum liberales, & munifici fuerunt, vti videre est apud *Anastasium Bibliothecarium*, *Platinam*, *Ciaconium*, & alios; nouissimmè apud *Baronium*, & *Bzouium*, &c. Quibus proinde enarrandis supersedemus: paucis exempli gratiâ, contenti qui studium suum in exornandis ecclesijs collocarunt. Non multò pòst ab apparitione factâ S. *Michaëlis* in monte *Gargano* sub *Gelasio* Papâ *Romæ*, venerabilis *Bonifacius* etiam Pontifex summus Ecclesiam eiusdem Sancti *Michaëlis* nomine constructam dedicauit, in summitate Circi cryptatim miro opere altissimè porrectam. Vnde & idem locus in summitate suâ continens Ecclesiam, inter nubes situs vocatur.

S. Michaelis Romæ à PP. Bonifacio.

II. Pantheon à Bonifacio IV.

Sacrauit *Pantheon Bonifacius* IV. MARIÆ Deiparæ Virgini *Romæ* opus cùm suâ mole, tùm quòd vnâ sit testudine complexum, inter pauca memorabile. *a.* dictum MARIA *Rotunda*, olim

a. Sab. l. 10. cap. 14.

olim *Iouis Vltoris*, omnium totâ vrbe pulcherrimum & magnificentissimum ex antiquis relictum. Habet porticum ingentem, valuas & trabes æneas: altare summum januæ respondet: omnia intus marmorea sunt, pauimentum, altaria, statuæ. Tectum est circulare. Testudo, per quam ad tectum, quod est plumbeum, ascenditur, gradus habet cxx. & antequam ad eam perueniatur testudinem, sunt alij gr. xxx. Ad foramen tecti, quod lucem templo præbet, per plumbeos gradus XL. duobus in locis ascensus est in ipso tecto, deque eo tota *Roma* est conspicua. *b*.

b. Fabricius.

III. Hilarius I. Plurima restituit spoliata.

Hilarius I. Papa sacris basilicis pretiosa ornamenta à *Genserico*, vrbe captâ detracta, ex ære, auro atque argento, quod ad vsum & decus necessarium esset, in toto suo pontificatu restituit: atque oratoria multa, pluresque basilicarum Confessiones laminis argenteis strauit, inque eâ re prioris sæculi magnificentiam superauit. Adeò breui *Roma*, dato paulisper ad respirandum spatio, ex tenebris captiuitatis ac deprædationis, pristinæ fortunæ apparatu magnâ ex parte recepto, emersit. *c*

c. Sigon. lib. 14. Imp. occid.

IV. Leo III. quot exornârit templa, & quâtis?

Leo III. fecit in basilicâ *S. Petri* cortinas albas holosericas rosatas habentes in medio crucem cum chrysoclauo: Et in basilicâ Beatæ DEI Genitricis, quæ appellatur ad Præsepe, fecit cortinam maiorem sericam albam habentem periclysin, & Crucem de fundatâ: Et in sacratissimo altari maiore fecit vestem de crysoclauo, habentem historiam Natiuitatis, & *S. Simeonis* (Præsentationis Christi in templo) & chæretismon: (Annuntiationem diuæ Virginis) Et in basilicâ *S. Laurentij* in sacro altari vestem sericam chrysoclauam habentem historiam Dominicæ passionis & resurrectionis: Et in ecclesiâ *S. Pauli* fecit vela holoserica sigillata habentia periclysin, & crucem de Bathin seu fundato, numero quindecim: Et velum alithino rotatu, &c. & in medio Crucem cum gemmis. In titulo *Eudoxiæ* fecit vestem super altare *Tyriam*, &c. cum Cruce. Et in basilicâ *Saluatoris* vestẽ habentẽ historiã Crucifixi: & in titulo *S. Susannæ* fecit vestem de blathin habentem in medio Crucem de chrysoclauo. Et in templo *S. Priscæ* vestem albam holosericam habentem in fronte Crucem de chrysoclauo. *d*.

d. Anast. Bibliot. ap. Gretf. l. 5. de Cruce.

V. Leo IV. Va-

Saraceni basilicam D D. *Petri & Pauli Romæ* fœdè diripuerant.

ticanum muniuit. rant. Partâ de ijs victoriâ nauali, *Leo* IV. Papa an. DCCCL. eam nouo ad vsum rei diuinæ, eoque magnifico campanario exornauit: &, ne eiusmodi in posterum obnoxia impressionibus ac direptionibus esset, *Vaticanum* ipsum munire, & lapideis muris, qui ad diem illum nulli fuerant, sepire instituit. *e.*

e. Sigon. l. 5. reg. Ital.

CAPVT XI.

IMPERATORVM ALIQVOT IN TEMPLIS EXSTRVENDIS ET ORNANDIS MAGNIFICENTIA.

I. Valentinianus III. plura Romæ templa exornauit.



Alentinianus III. Saluatoris Apostolorum imagines aureas supra Confessionem *S. Petri* locauit, & fastigium argenteum in basilicâ *Constantinianâ*, quod à barbaris fuerat ereptum, restituit, & Confessionem *B. Pauli* laminis argenteis incrustauit, & basilicam *S. Laurentij à Xysto* Papa conditam pretiosâ sacrorum vasorum supellectile instruxit. *a.*

a. Fabric. lib. 12.

II. Iustinianus præter plura magnificentisimũ Sophiæ templum extruxit.

Miratur hodie *Byzantium* augustissimum SOPHIÆ templum, quo nullum fuit olim in terris sanctius: quia CHRISTO sit sacrum, qui vera est Patris æterni Sapientia: *b.* Illud verò anno DXXXIIX. *Constantinopoli Iustinianus* Imp. S. SOPHIÆ dedicauit, quod olim à *Constantino Maximo* ædificatum, & nuper conflato in seditione incendio consumptum, ipse tantâ operis magnificentiâ restituerat, vt se vicisse in eo officio vel ipsam *Salomonis* gloriam prædicaret. *c.* Ipse enim Dei placandi caussâ templum illud splendidissimum & amplissimum *Constantinopoli* condidit, litteris in omnes orbis terrarum partes dimissis, quibus significabat eò deportandum esse, quidquid exstaret vbique gentium, vel lapidum, vel columnarum, vel aliarum rerum splendidarum. Materia totos septem annos congerebatur, & *Cyzico* maiori ex parte aduehebatur. Templum verò istud vniuersum annis XVII. absolutum est, *cælum terrestre, quod ipsos etiam Seraphos,* inquit Manasses, *cum veneratione admirari arbitror. Nam si Deus commorari dignatur in ijs, quæ hominum manus perpolierunt, omnino hîc, nec vsquam alibi habitat.* Theodora quoque eius vxor, ijsdem addicta cum marito studijs, & eisdem prædita moribus, nimirum magnificentiâ, templum à fundamentis

b. Sabel. l. 10 cap. 14.

c. Fabric. lib. 18.

mentis, *Christi* Discipulis condidit, post primum illud facilè principem sibi locum vendicans. Appellare quis illud non ineptè possit inter alia templa *cæruleo splendentem lumine lunam*: quòd secundùm solem pulchritudine sua secundas ferat. *d.*

d. Annal. Glyc. p. 4. Const. Manas. in Annalib.

III. Post ingentem terræ motum, qui anno DLVII. *Constantinopolim* quassauit, idem *Iustinianus* inter alia præcipuè trullam templi S. SOPHIÆ restituit: eamque viginti ampliùs pedibus supra templi tectum, quàm antè fuerat, extulit: aliasque ædis partes debilitatas, magnificentiore quàm erant, opere instaurauit. *e.*

e. Sigon. lib. 20. Imp. occid.

IV. Sed placet originem magnificentissimi huius templi altiùs repetere. Magnam Ecclesiam, videlicet *S. Sophiam, Constantinopoli* simulacris gentilium priùs consecratam *Magnus Constantinus* extruxit. Structura autem illa vsque ad imperium *Theodosij Magni* durauit. Illius verò tempore, cùm secunda Synodus *Constantinopoli* haberetur, *Ariani* ad seditionem excitati tectum illius Ecclesiæ exusserunt, sub Patriarchatu sanctissimi *Nectarij*. Sedecim autem exacti sunt anni, quibus *S. Sophia* tecto caruit. Imperator verò *Theodosius Rufinum* magistrum operi præficiens, tectum fornicibus ad cylindri formam factis renouauit; & ita permansit vsque ad imperium *Iustiniani*. Quinto autem anno eius imperij post illam stragẽ, in quâ triginta hominum millia in hippodromo interficiebantur, huic Imperatori Deus mentem dedit, vt templum quale ab *Adamo* non fuit, neque fiet, ædificaret. Iubet itaque Imperator ex omnibus regionibus orbis coaceruari materias septem annis cum dimidio. Anno verò XII. *Iustiniani*, templum à fundamentis euersum est, & omnem materiam seorsim deposuit, nullo enim modo eâ opus habebat, quia multò meliorem coaceruauerat. Incepit igitur emere domos contiguas: ac primùm cuiusdam viduæ *Annæ* nuncupatæ; quæ cùm recusaret Imperatori vendere, dixit: Etiamsi quingentas libras numinûm mihi attuleris, eam tamen non tibi tradam. Imperator verò cùm multos ex proceribus suis misisset, vt blanditijs mulierem demulcerent, nihil impetrauit. Ipse autem mulierem accedens obnixè rogabat, vt suam domum venderet. Illa cùm vidisset Imperatorem, accidit supplex ad pedes eius, dicens: Domine Imperator, nihil quidem oportet me pro

Ex Greg. Cod. de reb. Constantin. Ant. Daur. t. 2. Cath. hist.

 ædium

ædium pretio à te capere: volo enim in partem ſumptuum huius templi venire, vt & ego in die judicij habeam mercedem, & poſt mortem meam ſepeliar propè ædes meas. Sed antequam inciperet, *Eutychio* Patriarchâ accerſito pro ſtructurâ Eccleſiæ precatus eſt. Imperator proprijs manibus calcem cum tegulâ accipiens, fundamenti initium poſuit. Erant operariorum magiſtri numero centum, centum mercenarios ad manum habentes: ſimul decem millia operariorum: quorum quinque millia, à dextrâ, quinque à ſiniſtrâ parte inceperunt. Magno autem ſtudio contendebant, vt quàm celerrimè opus abſoluerent. Templi verò formam Angelus per ſomnum Imperatori ob oculos poſuit. Cùm autem inter operandum opifices aliquando ad prandium iuiſſent, vnus ex magiſtris *Ignatius* nomine, reliquit ibi filium ſuum, vt omnia inſtrumenta opificum obſeruaret. Erat puer annorum circiter quatuordecim. Puerum verò ſedentem quidam candidâ veſte indutus compellauit, tamquam Eunuchus è palatio miſſus, dicens: Quâ de cauſſâ fabricatores opus Dei celerrimè non perfecerunt; ſed eo relicto omnes ad comedendum abierunt? Dicit puer; Primo quoque tempore, mi domine, aderunt. Iterùm ille ait; Abi citò, voca eos. Puero metuente ne aliqua inſtrumenta perirent, Angelus apparens cum jureiurando adoleſcenti dixit: Abi, loquere cum illis: nam ego hinc non recedam, donec redieris. Teſtor, *S. Sophiam,* quæ eſt ſermo Dei, nunc ædificari cœptam. Tale igitur juramentum puer audiens deſcendit, & inuenit patrem ſuum *Ignatium,* cui hæc omnia explicauit. Pater autem eum ad Imperatorem duxit, qui tunc prandebat. Qui, his auditis, omnes Eunuchos ad ſe vocauit. Cumque neminem ex ijs puer agnoſceret, intellexit Imperator Angelum Domini fuiſſe. Ceterùm juramentum, quod puer retulerat, obſeruabat, & quòd albatus eſſet, qui cum adoleſcente loquebatur, & maxillæ eius ignem emitterent, quodque mirabilis eſſet aſpectus eius. Imperator verò valdè lætatus, Deum quòd ſuo opere oblectaretur, celebrauit. Et ex eo tempore nominatum fuit templum S. SOPHIÆ, tametſi Imp. diſpiceret, quomodo templum nominaret. Cùm verò Imp. à multis juſtis & virtute præditis conſilium petijſſet, dicebant; non oportere puerum eò reuerti.

Angelus Domini apparet puero.

reuerti. Si enim reuertatur, Angelus custos ex loco abibit. Horum ergò consilio paruit. Cùm enim puerum ditasset, misit illum, vt in Insulis vitam traduceret. Angelus itaque juxta suum juramentum vsque in hodiernum diem locum tuetur: Sacerdos autem pro structurâ Ecclesiæ precatus est, ac ibidem reliquias Sanctorum imposuit. Tutor loci.

V. Plura alia. Idem *Iustinianus* Imp. in bello *Wandalico*, Sanctorum ope annixus, SS. Matyribus diuersis in locis templa construxit, aliaque erigenda proposuit, eademque reditibus annuis locupletauit, nec non militiæ cælestis summo Principi *Michaëli* pluribus etiam in locis Ecclesias erexit, probè sciens, si talem tantumque Ducem sibi conciliaret, qui rebelles Angelos cientes in cælo prœlium superasset, certam securamque posse de vincendis *Wandalis* habere fiduciam. Sed & præter omnia maximam omnium ex eo spem concepit & aluit, quòd sanctissimæ DEI genitricis MARIÆ studiosissimus cultor, eamdem summis frequentauit honoribus, obsequijsque demeruit, cùm vbique locorum apud barbaras etiam nationes in memoriam eius basilicas summâ impensâ construxit. Est de his omnibus locuples testis ipse *Procopius*.

VI. De duobus illis templis *S. Michaëlis* à *Constantino* Imperatore apud *Constantinopolim* erectis, & à *Iustiniano* Imp. reparatis, sic scribit *Procopius Cæsariensis*: *Littus vtrumque ad Constantinopolim singulari pulchritudine exornauit Iustinianus. Templa duo Archangelo Michëli, alterum ex aduersum altari, ad fretum constructa fuêre. Alterum in regione, quæ dicitur* ἀνάπλυς, *hoc est, transitus, siue traiectus, in parte dextrâ Euxinum pontum nauigare incipienti. Alterum autem in littore huic opposito. Quem locum veteres* πρόχθυς, *hoc est, promontorium, propterea oppinor, quòd longiùs à littore in fretum procurrerit, appellarunt. Hæc ipsa templa Imperator Iustinianus vi temporis deformata, denuò ex ipsis fundamentis restituit, structurâ admirandâ.* Ceterùm innumera ferè præclarissima Templorum ædificia litteris commendauit *Procopius*.

VII. Carolus M. præter celeberrimum *Carolus Magnus* primus videtur fuisse, qui splendididissimum templum in *Germanico solo* excitauit *Aquisgrani*, in quâ vrbe Regiam sedem constituerat, ac plerumque morari solebat, quod scribit

Aquisgranense plurima diuersis locis cōdidit.

bit *Eginardus* in eius vitâ. Sed quid his immoror? Innumera sunt templa, quæ vel à fundamentis noua construxit, vel ab alijs constructa amplissimis donarijs cumulauit.

VIII. Henricus II Bambergæ plura condidit.

Henricus II. Imperator, *Boleslao Slauorum* rege deleto, anno cIↃ.VII. voti compos, *Bambergæ* episcopium cum basilicâ condidit, eamque eximijs prædijs honestatam *D. Georgij* nomini dedicauit. In eadem etiam vrbe cœnobia duo magnifica extruxit: quorum vnum *S. Stephano* dicatum Canonicis Regularibus attribuit: alterum sub nomine *S. Michaëlis*, monachis *Benedictinis* indulsit. Eam Basilicam XIII. post anno consecrare cupiens, *Benedictum* Pontificem ob id in *Germaniam* aduocauit. Cuius perspectâ voluntate *Benedictus* trans Alpes contendit, atque *Henrici* petitioni morem gessit. Ob id *Henricus* se in singulos annos equum album & centenas marchas argenti *S. Petro* & successoribus eius daturum spopondit. *f.*

f. Idem l. 8. reg. Ital.

IX. Item Basileæ.

Idem *Basileæ* templi primarij structuram, siue per se ruinosam, siue terræ motibus concussam, aut *Rheni* eluuione periclitantem, anno cIↃ.X. passibus aliquot à flumine remouens, nouo opere instaurauit, binis turribus conspicuam fecit atque ditauit. *g.*

g. Vrstisius in Epit. hist. Basil.

X. Carolus IV. Pragæ.

Carolus IV. Imp. veteri *Pragensi* templo, cui & decor & amplitudo deesse videbatur, noua fundamenta circumposuit, decimamque argenti partem ex montibus *Cuthnensibus* prouenientem, pro ædificio futuro assignauit. Intereaque viginti quatuor ministros templo assiduos, quos ideò *Mansionarios* vocabat, constituit: illisque largos sumptus destinauit, vt die noctuque DEO hymnos & laudes psallerent: cùm paulò antè opibus adhuc priuatis, sacellum elegantissimum, in eadem arce *Pragensi*, permissu patris, sub titulo *Omnium Sanctorum* ædificâsset, lecto in id descriptoque cœtu sacerdotum honestissimo. *h.*

h. Dubr. lib. 22.



CAPVT

CAPVT XII.

REGVM NONNVLLORVM IN SACRA LOCA MVNIFICENTIA EXEMPLIS ILLVSTRATVR.



HIc quis *Francorum* Regum dona in Ecclesiam collata enumerare possit? quis monasteria & templa ab ijs ædificata, & immensas opes eis attributas? Quâ in re cùm multi ex illis præstiterint, cunctos *Dagobertus* è *Merouingis* videtur superâsse, vt è *Bruschio* & *Nauclero* liquet; *Carolus* ceteros è Pipini stirpe, *S. Ludouicus* alios ex *Hugonis* genere. Ausim dicere cunctas ferè totius Germaniæ terras à *Francorum* Regibus monachorum cœtibus & clericorum concessas. Id ex illo constat, quòd omnes ferè *Germaniæ* ciuitates prope monasteria conditæ sunt, & innumera erant antiquitùs in *Germaniâ* Ecclesiæ feuda. Exempli caussâ hoc afferimus. I. Gallorum Reges olim munifici in Ecclesias.

Dagobertus Rex *Francorum*, voti non immemor, quo diuis martyribus *Dionysio* eiusque collegis obnoxium se fecerat, *Catulicum* vicum petit: & sacrosancta corpora inde exhumari iubet. Inscripti erant tituli cuique mausolæo, quibus alter ab altero sine controuersiâ erat designatus. Ea in conditorio, quod fabrefieri rex mandauerat, reponi ad tempus imperat. Tandem magno sumptu cùm templum ædificasset (quod & solido argento tectum erat) eò transferri corpora instituit, condito ad eum vsum aureo feretro, additisque ad decorem multis varijsque gemmis. Annuis insuper prouentibus ad sacerdotum & ministrorum templi alimoniam designatis, & ne minus ornamenti interiùs locus haberet: tapetes quoque vnionibus & gemmis varijs intextos, quibus interior paries tegeretur, attribuit. Adeò gratissimus diuis martyribus patronis suis *Dagobertus* fuit. Inopum prætereà curam non omittens, reconditorium proximè aram maiorem templi argenteum apponit, vbiq; diuis donaria martyribus offerentur, reposita sacerdotes egenis impertirent. *a.* Alia nunc studio prætermus. II. Dagobertus S. Dionysij templum quâ splendidè exornarit.

a. Gaguin. lib. 3. Bar. anno. 647.

III. Item Longobardi. Sed quid miramur hæc à *Francis* Regibus præstita, quando de *Longobardis* sic *Paulus* diaconus reliquerit scriptum? *Per Reginam Theodolindam multum vtilitatis Ecclesia Dei consequuta est. Nam penè omnium Ecclesiarum sublimitates Longobardi, cùm adhuc gentilitatis errore detinerentur, inuaserant. Sed eius salubri supplicatione Rex permotus, & Catholicam fidem tenuit, & multas possessiones Ecclesiæ largitus est, atque Episcopos qui in dispersione atque abiectione erant, ad dignitatem & honorem reduxit.* Hæc *Paulus*.

IV. Luitprandus, b. Lib. 3. Reg. Ital. Quid verò à *Luitprando* Rege hac in re præstitum fuerit, describit *Sigonius*: *b.* *Luitprandus Longobardorum rex, vt inquit Paulus, multa in Christi honorem per singula loca, vbi degere solebat, templa construxit. Monasterium S. Petri ad Cælum aureum extra Papiæ mœnia, & alterum Bardonis in monte Bercetum dictum ædificauit. In Olonnâ verò miro opere in honorem S. Anastasij martyris Christo domicilium statuit, in quo & monasterium excitauit. In suo palatio oratorium S. Saluatoris condidit, & quod nulli alij reges habuerant, sacerdotes & clericos instituit, qui ei quotidie diuina officia celebrarent.*

V. Pertharitus. *Pertharitus Longobardorum* rex, regno accepto, ab eâ *Ticini* parte, quâ olim *Grimoaldi* regis manus euaserat, monasterium nouum S. Martyri *Agathæ* condidit, idque multis virginibus aggregatis, & possessionibus attributis cohonestauit. Cuius exemplum vxor *Rodælinda* sequuta ædem S. Dei genitrici extra mœnia ædificauit, quæ ad *Perticas* dicta. *c.* Ceterùm *Luitprandi* præclara facta testantur carmina hæc sepulchro ipsius inscripta:

c. Idem.

Rege sub hoc fulsit, quod mirum est, sancta, frequensq́;
Relligio, vt recolunt Alpes, Ecclesia quarum
Hunc habuit viuente ipso; & prægrandia templa,
Quæ viuens struxit, quibus & famosus in orbe
Semper, & æternus lustrabit sæcula cuncta,
Præcipuè Petro cælesti hac sede locato
Clauigero, statuit cælo quàm prouidus aureo.

VI. Desiderius. Quamobrem neque *Desiderius* alioquin haud satis pius, abfuit ab hac laude. Ipse enim & eius vxor *Ansa* nobilissimum monasterium *Saluatori*, & *Iuliæ* martyri construxerunt, & fundis amplissimis, muneribusque ditissimis illustrarunt, quæ recenset in historiâ monasticâ *Petrus Ricordatus*,

Sed

Sed neque *Francis* aut *Longobardis Hispanici* Reges videntur inferiores, è quibus *Alfonsus I. d* maximis ornatur laudibus, quòd plurima templa construxerit, magnificè ornârit, libris vndique conquisitis instruxerit, & collocupletârit. *Alfonso Casto* laudi datur, quòd innumeras ædes sacras condiderit, & in his *Oueti S. Saluatoris* templum pulcherrimum. *Ranimirus* certos fructus quotannis *S. Iacobi* templo præstandos, ac partem spoliorum, quæ ab hostibus caperentur, vouit, votumque *Paschalis* Pontifex confirmauit. VII. Hispani R. d. Rod. Tol. & Sanct. Alphons. I. Alphons. Castus. Ranimirus.

Alphonsus Magnus thesaurum totum paternum in templa & pauperes erogauit, ædem *S. Iacobi* lapide quadrato construxit, ac plurimis redditibus, & ornamentis amplificauit. *Ranimirus* Secundus inter alia ædificauit templa quatuor nobilissima, primum in *Legione*, secundum ad fluuium *Ceam SS. Michaëli & Christophoro* sacrum, tertium in *Durij* ripâ sanctissimæ Virgini, quartum in valle *Ornæ*, quæ nunc dicitur *Dustriana*, *S. Michaëli*. *Alphonsus* Sextus *Toletanam, Burgensemq;* Basilicam ditissimis donis ornauit. *Alphonsus Raimundi Berengarij* filius, *Aragoniæ* Rex, præter multa alia monasterium nobilissimum Populeti ædificauit. Imò eius pater, cùm esset *Barcinonæ* Comes, confectis nuptijs cum *Petronilla Ramiri* monachi, regis *Aragonum* filiâ, etiam Princeps factus, trecentas ædificauit Ecclesias. *e*. VIII. Alphonsus Magnus. Ranimirus Secundus. Alphonsus VI. Alius Alphonsus. e. Mari. l. 10. rer. Hispan.

Ferdinandus & *Isabella Hispaniæ* Reges in *Abilâ* ciuitate templum *D. Thomæ, Toleti S. Ioan. Euang. Segouiæ* Monasterium S. Crucis, *Granatæ* templum Deiparæ, & *D. Francisci, D. Hieronymi* monasteria, & *Carthusianorum*, & *Prædicatorum*. *Compostellæ D. Iacobo* templum cum hospitali: *Romæ* templum *D. Francisco* exstruxerunt, f. IX. Ferdinandus & Isabella. f. Idem l. 19.

Philippus II. Hispaniarum Rex augustum illud S. Laurentij templum ædificauit ob victoriam, quam *S. Laurentij* die festo, & ipsius patrocinio consequutus fuerat. Cuius magnificentia tanta est, vt non possit paucis describi & angustijs huius tractatus includi. Si plura alia vellemus recensere, nullus vmquam dicendi esset finis. Illud satis sit; commune esse omnibus *Hispaniarum* locis, X. Philippus II. Escuriale.

vt ex illis decimæ præstentur diuinis rebus ritè procurandis, & vix ferè vllibi Ecclesiasticæ vniuersitates ditiores.

XI. Lusitani RR. Alfonsus Henricus.

Quod diximus de *Hispaniæ* Regibus, de *Portugallensibus* idem prorsùs intelligendum.

Primus *Lusitaniæ* rex *Alphonsus Henricus*, qui totam ferè *Portugalliam* à *Saracenorum* tyrannide in pristinam libertatem asseruit, ea quæ bello comparabat, magnâ ex parte in sacras Religiosorum familias conferebat, ex ijsque plurima templa instaurauit, aliaque sanè magnifica à fundamentis erexit, maximaque & celeberrima Monasteria exædificauit.

XII. Emmanuel & Henricus III.

Quæ *Alphonsi* pietas ad reliquos consequentes reges cum regno ipso quasi hereditario jure peruenit. Nam, vt alios *Lusitaniæ* reges mittamus, duo illa clarissima *Lusitaniæ* lumina, *Emmanuel* & *Ioannes* hoc nomine III. non minùs fidei suæ, & pietatis splendore, quasi duo fulgentissimi Soles, prodigioso, ac diuino planè, exorta in occidente exorientes ipsas orientis oras collustrarunt, quàm inuictis armis, ad suam ditionem, & imperium adiunxerunt. Verùm enimuerò *Emmanuel* omnis memoriæ Princeps, qui primus Orientem, non minùs admirando ausu, quàm felici successu aperuit, plurima templa, non in *Lusitaniâ* modò, sed in *Asiæ* etiam, & *Africæ* sibi subiectis prouincijs excitauit, locupletauitque amplissimis muneribus. In his *Bethleemiticum* Cœnobium per Leucam *Vlyssipone* distans, & operis magnitudine & magnificentiâ in præcipuis totius *Europæ* numerandum, *D. Hieronymi* Patribus attributum. Quod opus *Ioannes* hoc nomine tertius *Emmanuelis* filius posteà amplificauit, vt attestantur carmina, in ipsius templi fronte incisa, quæ *Andreas Resendius Eborensis* antiquitatis inuestigator excellens atque in eo genere doctissimus composuit, ita autem se habent:

Vastâ mole sacrum diuinæ in littore Matri
Rex posuit regum maximus Emmanuel.
Auxit opus heres regni, & pietatis. Vterque.
Structurâ certant, relligione pares.

Exstruxit quoque *Emmanuel Misericordiæ Vlyssiponensis* ædem, & ibidem Xenodochîum, Regium sanè, atque magnificum.

Quod

Quòd si his relictis in *Hungariam* te conferas, vix poteris animo complecti quot ac quanta Reges eius Ecclesiæ donarint, in quibus valdè eluxerunt *Stephanus*, & *Ladislaus*, *Bonfinio* teste; à quo & illud memoriæ proditum, à *Ludouico* Rege innumera templa constructa, & locupletata, ita vt exemplo atque operâ illius tertia regni pars pertineat ad sacerdotes.

XIII. Hungariæ R. S. Stephanus. S. Ladislaus Ludouicus.

Misceslaus, primus è *Polonis* principibus *Christianus*, plurima templa plurimis in locis ædificauit, prædijs donauit, omnibus rebus ornauit, decimas omnium frugum sacerdotibus ritè dari mandauit, Episcopos & Arichiepiscopos suis locis assignauit. *Boleslaus* deinde primus passim monasteria excitauit. Idem fecit *Cazimirus* sanctus. At *Cazimirus Magnus* templa magnifica duodecim, vt ait *Cromerus*, præter alia minutiora ædificauit, monasteria sex exstruxit, ornauit, collocupletauit. Idem peregit in *Lithuaniâ* *Vladislaus Iagello*.

XIV. Poloniæ D. & R. Misceslaus. Boleslaus. Cazimirus. Vladislaus Iagello.

Quid verò de Regibus *Anglicis* dicemus, qui amplissima templa & monasteria ædificauerunt, & innumeris diuitijs amplificarunt vnà cum totâ gente? Præcipuam verò in hisce laudem sibi vendicant Reges *Adelstanus*, *Eldredus* & *Guilelmus Rufus*. Dena millia in illâ insulâ templa, & mille monasteria numerabantur.

XV. In Angliæ Regno templa. 10000. & 1000. Monasteria.

Malcolmus II. Scotorum rex, victis ad *Murthlacum Danis*, ædem *D. Moloco* sacrã ingenti sumptu construxit: quam siue quòd voto ita sese adstrinxerat, siue quòd regionum, quas *Dea Speaq;* flumina claudunt, maiori quàm par esset, intercapedine eorum ab episcopio disiungerentur, episcopalem sedem factam, prædijs agrisque de *Murthlaco, Clouet* & *Dummeth* cum redditibus ad pontificios sumptus donauit. Estque sacra sedes ad *Dauidis* primi *Scotorum* regis tempora *Murthalacensis* appellata, qui eam *Abberdonam* transtulit. *g.*

XVI. Scotiæ R. Malcolmus II.

g. H. Boëth. lib. 11.

Neque verò vllis cedunt aut *Bohemi*, aut *Bohemorum* Reges. Testatur enim *Æneas Syluius*, nullibi ferè magnificentiora inueniri, quàm in *Bohemiâ*, quorum pulcherrima dicitur excitâsse *Carolus IV.* vt *Cochlæus* in historiâ *Hussitarum* tradit. Certè *Spitigneus II. Boëmorum* rex, festo die translationis *D. Wenceslai* videns ad sepulchrum tantam domesticorum aduenarumque frequentiam

XVII. Bohemiæ Reges. Carolus IV. Spitigneus II.

confluxisse, quantam locus ille propter sui angustiam capere non potuerat, religione tactus quòd laxiora ipse Palatia, quàm diui templa haberent, nouo operi excitando curam intendit, dirutoque sacello vtroque, quorum alterum *D. Vito*, alterum *D. Adalberto* consecratum fuerat, aream longè ampliorem mensus, omnibus tribus in illâ magnificum *Pragæ* extruxit templum. *h.*

h. Dubrau. lib. 8.

XVIII. Pulcheria V. Imperatrix.

Prædictis liberalitate & munificentiâ in templa nequaquam cessit virgo regia *Pulcheria* Imperatrix, *Theodosij* junioris soror, quæ quindecim annos nondum nata virginitatem suam DEO per omnem vitam consecrauit. Vt autem consilium, decretumque suum pignore aliquo stabiliendum esse putaret, DEO ipsi, sacro sacerdotum ordini, & subditis ciuibus, certum sententiæ suæ testimonium exhibuit. Nam admirandum quoddam incredibili pulchritudine ornamentum, ex auro & pretiosis lapillis confectum, in sacræ mensæ formam redactum, pro virginitate suâ, fratrisque imperio, *Catholicæ Constantinopolitanæ* ecclesiæ dedicauit, in coronâ quadrangulari eius, consilio caussâque consecrationis eiusmodi nouis quibusdam litteris insculptâ. *i.*

i Niceph. lib. 14. c. 2. hist. Eccles.

CAPVT XIII.

ALIORVM EXEMPLA, QVI IN TEMPLIS EXSTRVENDIS ET ORNANDIS SE MVNIFICOS DECLARARVNT.

I. D. Ambrosij Mediolani.

a. Sab. l. 10. cap. 14.

D. Marci Venetijs.



STATVERVNT *Mediolanenses* diuo *Ambrosio* magnificum; sed omnium opulentissimum *Veneti* diuo *Marco* templum, quo nullum est hodie in terris opulentiore, magisque visendo apparatu. *a.* Id enim non tam magnitudine & vastitate suâ, quàm ornatu insigne, & inprimis augustum, si primùm ingrediare, crucis figuram præferre videtur: cuius anguli in altissimas consurgunt testudines. Quorum fastigia, vt reliqua templi facies, plumbeis tegulis operta, ad centum viginti stadia ex alto ad vrbem nauigantibus inter eminentissima vrbis ædificia occurrant. Superbissimi ad id fornices mirâ inter se arte coëuntes, totam molem fulciunt. Quidquid operis est, à mediâ templi parte purif-

purissimo fulget auro, musiuo opere mirificè variatum. In ipso testudinum connexu *Græcanici* operis vetustissimæ imagines, mœstâ quadam venerabilique præsentiâ, horrorem cum religione mixtum spectantium animis inferunt. Marmoreæ vndique tabulæ, ad pauimentum vsque ipsum, varij marmoris occurrunt, tanto artificio sibi ad inuicem compositæ, vt eædem inter se similes videri possint. Sedilia circum ædem marmorea. Pauimentum vermiculato opere, marmoreis frustis distinctum. Columnæ complures *Parij* lapidis, vel *Tapsici* aut *Numidici*, cum duplici suggestu marmoreo. Cautum publico decreto fuerat, vt quidquid egregij operis *Veneti* ipsi nauigantes quocumque terrarum ambirent, idipsum *Venetias* deferrent. Vestibuli aurei fornices trecentis & ampliùs fulciuntur columnis, magnitudine & colorum varietate conspicuis: intercolumnia, & quidquid in areâ ipsâ operis est, cum ipso pauimento marmoreis tabulis pro tectorio renitet. Vestibuli partem superiorem equi quatuor ænei, diuerso statu varioque exornant. Templi supercilium senis sese pinnaculis explicat: quorum singula in tabernaculi speciem surrecta, singulas habent ex candido lapide statuas, nudi genij: aliaque splendidissimi aspectus simulacra, suo quæque statu operibus inserta, miro quodam modo, ipsam pinnarum exornant intercapedinem. Extructum fuit *Seb. Ziano* duce, ab architecto *Constantinopolitano*. *b.* b. Egnat. lib. 6. c. 5.

II. Argentinense.

Templum *Argentinense* magnificum anno salutis CIↃ. XV. ædificari cœptum, Turris verò An. CIↃ. CC. LXXVII. ab *Ebroino Steinbacense* fundamenta jacta. Anno CIↃ. CCC. V. *Ioannes Hilzius Coloniensis* turris educendæ prouinciam suscepit. In medio opere cóncidit. Tandem *Sueuus* quidam materiam jam paratam composuit, sic vt imperfecta licet DLXXIV. pedes altitudine excedat. *c.* c. Stumpf. *Argentinense templum,* ait Iacobus Wimpfelingius, *& turris in eo ædificata demonstrant* Theutonicos omnes gentes in architectaria superare. *Hac vnâ structurâ nihil in vniuerso orbe crediderim esse pretiosius, nihil excellentius. Quis satis mirari, satis laudare potest Argentinensem turrim, quæ cælaturâ, statuis, simulacris, variarumque effigie omnia Europæ ædificia facilè excedit? turris altitudo excedit numerum 50. & quindecim cubitorum: miraculum est tantam molem in tam* Epit. rer. Ger. c. 67.

altum

altum attolli potuisse, quid si isti à laudatis auctoribus laudati artifices reuiuiscerent, Scopa, Phidias, Ctesiphon, Archimedes? profectò in Architecturæ disciplinâ se victos esse à nostris vel palàm faterentur: atque hoc opus Dianæ Ephesiæ templo, & pyramidibus Ægyptiacis, atque his omnibus, quæ inter septem miracula numerantur, longè anteferrent. Hæc ille.

Eam sic alius Geographus describit: *Habet quoque ciuitas ista nobile & ingens quoddam opus, cuius simile nec in Germaniâ neque in Italiâ, aut Galliâ reperitur: nempe sumptuosissimam illam turrim, quæ anno Christi millesimo ducentesimo septuagesimo septimo inchoata est, atq; viginti octo annis ferè vsque ad fastigium est consummata. Hæc ab ipsis fundamentis vsque ad supremum culmen quadris & pulchrè figuratis lapidibus est erecta. Eruinus de Stainbach prima posuit fundamenta, ideam ipsam concepit, atque architectum ad consummationem eius egit. Vbique aëre, & vento est peruia, patetq; ascensus eius quatuor cochleis: Vbi verò crassities eius in fastigium incipit acuminari, ibi octo consurgunt cochleæ. Supremus nodus, qui inferiùs vix modij magnitudinem habere videtur, tantus est, vt capacitas eius recipiat quinque aut sex personatos homines: longitudo eius habet pedes geometricos quingentos septuaginta quatuor: artificium eius olim adnumeratum fuisset septem miraculis mundi.* Sic iste.

III. Nidrosiæ.

In Septemtrionali *Nidrosiâ*, extat etiamnum hodie Ecclesia cathedralis, argumentum veteris felicitatis: cui magnitudine & laborati lapidis artificio, par opus non est in orbe *Christiano*. Crepido circùm altare corrupta incendio VII. M. aureorum vix reparari potuit. Atque à tantulâ parte æstimatio præstantiæ fiat templi totius. *d.*

d. Ziegler. in Scondia.

IV. Petrus Duninus 77. templa & duo Monasteria condidit.

Petrus Duninus, genere *Danus*, in *Poloniâ* vixit A. CIↄ. CXXIV. de eo sic *Cromerus*: *Fertur hic Petrus septuaginta septem templa diuersis in locis in Poloniâ de secto lapide exstruxisse, ac dotasse, quorum pleraque adhuc exstant; itemq; duo Monasteria.*

V. Hilborch. fœmina

Hilborch, nobilis femina, sub Episcopatu *Mindensi*, quum maritum in peregrinatione terræ sanctæ absentem jam desperaret rediturum, ex omni patrimonio, nouem Ecclesias construxisse dicitur, cum Monasterio *Mœlenbecke*, anno DCCCXIIX. Quum autem

ille

ille insperatus rediret, placatura indignantem præuenit, dicens nouem se filias absenti peperisse, nondum in *Christo* regeneratas. Intellexit vir Deo deuotus quid loqueretur: & annuens per omnia, quæ facta sunt approbauit. *e.*

nobilis 9. Ecclesias cum Monasterio construxit.

e. Cranz. lib. 3. cap. 8. Metrop.

VI. Templa mirabilia Æthiopum regum.

Franciscus Aluaresius Sacerdos diu fuit in *Æthiopiâ* vnâ cum legato Regis *Emmanuelis* ad *Æthiopiæ* Regem misso, narratque se vidisse decem templa tota è solido vnicoque lapide constantia. Illa mirabiliter artifices exsculpserunt à montibus, & in ædes sacras inciderunt ex vnico saxo factas. *Prima ex illis est,* quam describit, *nomine Golgatha, longitudine palmorum centum viginti, latitudine septuaginta duorum, fornix incumbit quatuor columnis in crucem distinctis, parietes, fenestræ, ac portæ sculpturis elegantissimis sunt ornatæ. Subter hanc ædem est ædes altera latitudinis ac longitudinis eiusdem, sed altitudinis multò minoris. Templum totum à monte diuisum est vndique intercurrente viâ ipso monte incisâ latitudine palmorum septuaginta quinque. Secundum templum est sancti Saluatoris, longitudine palmorum ducentorum, latitudine centum viginti, in quinque peristylia est diuisum, quorum quodlibet habet columnas septem, ita vt omnes sint viginti octo, & sua cuique peristylio est fornix in longitudinem pertingens, medio fornix altior, reliquis depressior. E parietibus effigies rerum summo diligentiq; artificio elaboratæ existunt, reliquus mons à templo seiungitur excisus in profundum, latumq; est interstitium solidi continuiq; lapidis à fronte templi palmos centum, à reliquis lateribus palmos sexaginta.* Hæc *Aluaresius,* qui reliqua templa eodem loco depingit.

CAPVT XIV.

TEMPLORVM EXTRVENDORVM PIETAS MIRACVLIS CONFIRMATA.

I. S. Gregorius Thaumaturgus montem transtulit.

IN quodam loco ruris angusti, quùm res posceret ecclesiam construi, rupes quædam vicini montis ex parte Orientis obiecta, ex alia verò præterfluens fluuius, spatium quantum Ecclesiæ sufficeret, denegabat. Et cùm alius omninò non esset locus, omnesque mœstitiam gererent, quòd solum

vt locus Ecclesiæ construendæ sufficeret. ad construendam Ecclesiam non haberent, *Gregorius Neocæsariensis* Episcopus, fide plenus, pernoctasse in oratione dicitur, & Dominum IESVM promissionis suæ admonuisse fideliter, quâ dixit: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Tolle te, & mitte te in mare, & fiet vtique.* Cumque hæc plenâ fide atque deuotione deposceret, ad lucem coëuntibus populis, inuenta est rupes importuna secessisse tantum, quantum spatij ad condendam quærebatur Ecclesiam. *a.*

a. Euf. l. 7. cap. 1. Hist. Eccles.

II. Miraculum niuis Romæ in monte Exquilino. *Liberio* Summo Pontifice *Ioannes Patricius Romanus*, & vxor pari nobilitate, cùm liberos non suscepissent, quos bonorum heredes relinquerent, suam hereditatem sanctissimæ Virgini DEI matri vouerunt, ab eâ summis precibus assiduè petentes, vt in quod pium opus eam pecuniam potissimùm erogari vellet, aliquo modo significaret. Quorum preces & vota ex animo facta beata Virgo MARIA benignè audiens, miraculo comprobauit. Nonis igitur Augusti, quo tempore in Vrbe maximi calores esse solent, noctu nix partem collis *Exquilini* contexit. Quâ nocte DEI mater separatim *Ioannem* & coniugem in somnis admonuit, vt quem locum niue conspersum viderent, in eo ecclesiam ædificarent, quæ MARIÆ Virginis nomine dedicaretur: se enim ita velle ab ipsis heredem institui. Quod *Ioannes* ad *Liberium* Pontificem detulit, qui idem per somnium sibi contigisse affirmauit. Quare solemni sacerdotum & populi supplicatione ad collem venit niue coopertum, & in eo locum Ecclesiæ designauit, quæ *Ioannis* & vxoris pecuniâ extructa est, postea à *Xysto* tertio restituta. Varijs nominibus primùm est appellata, *Basilica Liberij*, S. MARIA *ad Præsepe.* Sed cùm multæ jam essent in vrbe Ecclesiæ sub nomine S. MARIÆ Virginis: vt quæ Basilica nouitate miraculi ac dignitate ceteris eiusdem nominis Basilicis præstaret, vocabuli etiam excellentia significaretur, Ecclesia *S. MARIÆ Virginis maioris* dicta est. *b.*

b. Breu. Rom. 5. August. Carol. Sigon. l. 7. Imp. Occid. an. 366.

III. S. Cornel. Centurio apparens jubet templū exstrui. Cuidam *Syluano*, viro pio, & qui virtutem amplectebatur, & erat Episcopus *Troadis*, cùm venisset aliquando in ciuitatem *Scepsæorum*, diuinus in somnis apparens *Cornelius* Centurio: *Longo*, dixit, *tempore hîc habito, & nullus me visitauit, præter eos solos, qui à me fuerunt baptizati.* Cùm itaque interdiu hæc mente considera-

ret

ret Episcopus, & quid sibi vellet somnium, non posset conijcere, nocte sequenti ad eum rursus veniens sanctus: *Ego sum*, inquit, *Cornelius Centurio: est autem mihi domus prope templum Iouis in rubo. Sed tu ædifica alterum oratorium prope locum Demetrij serui DEI. Vocatur autem locus Pandochium: quo in loco sita sunt multa corpora sanctorum fratrum jam consummatorum.* c.

c. Ex Sim. Metaphr. Sur. in vita Cornel. c.9. die 13. Sept.

IV. Miraculũ S. Mariæ Castiluedrensis.

Apud oppidum *Hispaniæ Olianam*, quod est in ripâ *Sicoris*, & distat ab *Ilerdâ* passuum millia circiter quadraginta, domus est, MARIÆ Virginis *Castiluedrensis* in alto loco posita, ad quam domum singulis annis Martio mense, diebus *Veneris*, ex insulâ fluminis tria lumina cærulei coloris ascendunt, & Ecclesiam per fenestras ingressa, lampades ascendunt & subinde descendunt ad eumdem locum vnde venerant, ibique ab inspicientium oculis euanescunt. *d.*

d. Marin. lib. 5. rer. Hispan.

V. Clodoueus R. templa vouet, & victoriam obtinet.

Sueui & *Boij* cum Regibus suis *Alarico* & *Adalogerione*, aduersus *Clodoueum Gallorũ* Regem acerrimè congressi prœlio, copias eius cædunt funduntque. *Clodoueus* Rex vbi nullam spem salutis, nec in armis, nec in fugâ esse videt, ad vota & cælum conuersus, ait: *Christe potens rerum, quem vxor mea colit, veneratur, prædicat, siste fœdam fugam, deme Francis metum: tu mihi solus posthac jam eris DEVS: ego tua sacra cum Francis recipiam, & tibi* Templa *dicabo. Quod erit perpetuum posteris monumentum, tuâ præsenti ope seruatos esse Francos.* Vix hæc fatus erat, *Franci* resistunt, redintegratur prœlium. Vterque Rex hostium occiditur, *Franci* superiores fiunt. *Sueui* ad *Theodoricum* Regem in *Italiam* confugiunt, eo deprecatore erga *Francos* vtuntur, & cum *Francis* fœdus societatemque perpetuò faciunt. *e.*

e. Lib. 3. Annal. Boior. Hincm. Ep. Rhem. Bar. an. 507.

VI. Miraculum Veronæ ad ædem S. Zenonis.

Anno Domini IↃ. LXXXIX. *Veronæ Athesis* amnis ita creuit, vt aqua ad ædem *D. Zenonis* peruenerit. Quod pro insigni miraculo *S. Gregorius* scripsit: *Authari* ipso Rege spectante, aqua apertis templi januis ingruens, templum tamen ipsum non inijt; & paulatim crescens vsque ad fenestras, quæ proximæ tecto erant, euasit. Qui verò in templo remanserant, cùm elabi inde non possent, aquam tamen ad januam templi venientes hauriebant; neque ab eius impetu aliquid noxiæ accipiebant. Ea ædes

fuit, quæ hodie in ripâ *Athesis* sita oratorium *S. Zenonis* vocatur. Templo ipso incolumi, tamen muri vrbis vi aquæ multis in partibus prociderunt. *f.*

f. Ex Greg. Sigon. l. 5. de Reg Ital.

VII. Miraculum circa ceruũ ad sacellum S. Dionysij.

Dagobertus Francorum Rex, ceruum insequebatur. Hic jam cursu lassus in vicum *Catuliacum* profugit: in eo vico sacellum erat, vbi lapide instrata corpora SS. *S. Dionysij*, *Rustici*, & *Eleutherij* martyrum, per annos triginta supra quingentos religiosè condebantur. Eò se ceruus proripuit, soloque recumbens quieti se mandauit: neque canibus aut venatoribus in sacellum irrumpendi facultas fuit. *Dagobertus* ergò martyribus templum vouit: ædificauit, & solido argento texit; eoque transferri corpora instituit, condito ad eum vsum aureo feretro, additisque ad decorem multis varijsque gemmis, annuis insuper prouentibus ad sacerdotum & ministrorum templi alimoniam designatis. Emporium item annuum mense Iunio in campo non procul à basilicâ sanctorum instituit, translatâ ministris Ecclesiæ ditione: id *Lenditum* vulgus, quasi Edictum appellat, propterea quòd ad eas nundinas mercatores suas vndique merces edicto regio tamquam ad communem regni mercatum conferre deberent. Templum à *Christo* dedicatum leprosus quidam in eo pernoctans, lepræ ablatæ & parieti affixæ argumento fidem fecit. *g.*

g. Guagn. lib. 3. cap. 1. Cranz. l. 1. c. 32. Saxon.

VIII. Ecclesia S. Martini miraculo facto ædificata.

Tribunus quidam, nomine *Domebenus*, gutturis præfocationem pauens, die quo sancta migrauit anima à carne, vidit in extasi reginam *Radegundem* ad se venientem, & eâdem horâ se de corpore exijsse nuntiantem, eumque admonentem; vt Ecclesiam *S. Martini* in loco sibi ostenso ædificaret: & sic sanitatem reciperet. Qui postquam hæc promisit, ad se redijt: seque sanatum reperiens, diem horamque notauit; & inuenit sanctam à sæculo tunc migrasse: vnde mox dimissis septuaginta tribus detentis in vinculis, Ecclesiam *S. Martini* in loco vbi nunc est, de proprio ædificauit. *h.*

h. Pet. de Nat. lib. 7. c. 55. & 60.

IX. S. Michael apparens D. Autberto Ep. sibi Ecclesiam erigi jubet.

A. C. IↃ. CC. IX. *Childeberto* Monarchiam regni *Francorum* tenente, Archangelus *Michaël* apparens *Autberto Abricatensi* Episcopo, monuit semel & iterùm, vt in loco maris, qui propter eminentiam sui Tumba vocatur, fundaret ecclesiam in memoriam sui, volentis talem venerationem exhiberi sibi in pelago, qualis exhibe-

exhibetur sibi in monte *Gargano*. Interim taurus à Leone furtim raptus in illo loco religatur. Vnde Episcopus tertiò admonitus vt in illo loco fundamentum jáceret, vbi taurum religatum inueniret, & sicut eum terram pedibus protriuisse videret, sic Ecclesiæ ambitum duceret, Ecclesiam in honorem *S. Michaëlis* constituit, & ex illo tempore sicut in monte *Gargano* ita etiam in loco illo, qui modò dicitur In periculo maris, veneratio Archangeli frequentari cœpit. *i.*

i. Sigebert. Chron. an. 709. Bar. tom. 8.

X. Rex Daniæ per visum iubetur D. VVenceslao Ecclesiã construere.

Cùm *S. Wenceslaus* oraret aliquando in templo, *Boleslaus* frater, à matre ad scelus vigilantiore excitatus, eum inuadit, ac primò ab ictu suo frustratur, ense sibi de manibus ob insperatum stuporem elapso: mox redeunte animo & furore, quem sceleris participes clientuli extingui non patiebantur, ictum repetit, ac facilè inermem fratrem patienterque plagam excipientem, interficit: dissimulataque nece manè statim filium lustrat, nomenque ei inter lustrandum *Strachyguas*, à terrore conuiuij mutuato vocabulo, quod ipse terribili parricidio effecerat, indit. Adeò gloriari in malitiâ etiam sua gestiebat, qui potens erat in iniquitate, nescius adesse Deum bonis omni tempore, tum in vitâ tum in morte, quemadmodum illustrissimo tunc patuit exemplo. Eádem quippe nocte Rex *Daniæ* per quietem se admonitum oraculo testatus est, vt martyris *Wenceslai* in *Boëmia* à fratre obtruncati memoriam sibi colendam susciperet: id quomodo ab ipso factum, cæremoniæ, sacerdotes, templum in *Daniâ D. Wenceslao* dedicatum declarant. *k.*

k. Dubrau. lib. 4. & 5. hist. Boem.

CAPVT XV.

TEMPLORVM REVERENTIA: QVI EAM IMPENDERINT ET QVIBVS?

I. Vaticanum præ ceteris semper honoratum.



X locis sacris, qui olim apud *Christianos* venerationem habuerunt, illa celeberrima & frequentissima fuerunt, in quibus condita Sanctorum corpora, vel aliquod Martyrum vestigium aut monumentum esset. In quorum numero SS. locorum inprimis semper fuit insignis ea Vaticani pars, quam

S. Petri confessionem appellabant. Nam eò *Christiani* ex omnibus orbis terræ partibus tamquam ad fidei petram, & Ecclesiæ fundamentum conuenientes, locum Principis Apostolorum sepulchro consecratum summâ religione ac pietate venerabantur. Illuc *Constantinus Magnus* Imp. octauo die post susceptum baptismum venit, depositoque diademate, & humi jacens, vim lacrymarum profudit; mox sumpto ligone ac bidente, terram eruit, indeque duodecim terræ cophinis, honoris caussâ duodecim Apostolorum ablatis, ac loco Basilicæ Principis Apostolorum designato, Ecclesiam ædificauit; quam *S. Siluester* Papa, XIV. Cal. Decemb. eo modo quo *Lateranensem* Ecclesiam V. Id. Nou. consecrauerat, dedicauit: & in eâ altare lapideum chrismate delibutum erexit, Atque ex eo tempore sanciuit, ne deinceps altaria nisi ex lapide fierent. Basilicam item *S. Pauli* Apostoli via *Ostiensi* ab eodem *Constantino* Imp. magnificentissimè ædificatam dedicauit. Basilicas Imp. multis prædijs attributis locupletauit, ac muneribus amplissimis exornauit. *a.*

a. Ex Breu. Rom. Bar. tom. 3.

II. Theodos. hostibus ad Ecclesiam confugientibus parcit.

Theodosius Imp. accepto prophetico de victoriâ contra *Eugenium* tyrannum responso, fide certus eum oppressit, contra cuius robustissimum exercitum, magis orando, quàm feriendo pugnauit. Victor autem sicut crediderat effectus, inimicorum suorum filios, quos non ipsius iussus, sed belli abstulerat impetus, etiam nondum *Christianos* ad Ecclesiam confugientes, *Christianos* hac occasione fieri voluit, & *Christianâ* charitate dilexit; nec priuauit rebus, sed auxit honoribus. In neminem post victoriam priuatas inimicitias valere permisit. *b.*

b. D. Aug. l. 5. c. 26. de ciu. Dei.

III. Alaricus Gothus reueretur Ecclesias.

Anno D. CD. X. *Alaricus Gothorum* Rex in vrbem *Romam* ingreditur. Cuius rem gestam sic persequitur *Orosius*: *c. Adest Alaricus, trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit: dato tamen præcepto priùs, vt si qui in sancta loca præcipueq; ad SS. Apostolorum Petri & Pauli basilicas confugissent, hos in primis inuiolatos securosq; esse sinerent: Tum deinde in quantum possent, prædæ inhiantes, à sanguine temperarent. Accidit quoque de quo magis illa vrbis irruptio indignatione Dei acta, quàm hostis fortitudine, probaretur: vt B. Innocentius Rom. Ecclesiæ Episcopus, tamquam iustus Lot subtractus fuerit à Sodomis,*

c. Lib. 7. c. 39. Rer. Roman.

occultâ

occultâ prouidentiâ Dei apud Rauennā tunc positus, vt peccatoris populi non videret excidium. Discurrentibus per vrbem barbaris, fortè vnus Gothorum idemq; potens, & Christianus, sacram Deo virginem jam ætate prouectam in quadam Ecclesiæ domo reperit: cumq; ab eâ aurum, argentumq; honestè exposceret, illa fideli constantiâ esse apud se plurimum, & mox proferendum spopondit ac protulit (erant hæc vasa sacra in custodiam accepta, quæ haud absque instinctu Spiritus sancti barbaro reuelanda putauit.) Dumq; expositis opibus, attonitum barbarum magnitudine & pondere ac pulchritudine, ignotâ etiam vasorum qualitate intelligeret; virgo Christi ad barbarum ait: Hæc Petri Apostoli sacra ministeria sunt. Præsume, si audes: de facto tu videris. Ego quia defendere non valeo, neque tenere audeo. Barbarus ad reuerentiam religionis, timore Dei, & fide Virginis motus, ad Alaricum hæc per nuntium retulit. Qui continuò reportari ad Apostoli basilicam vniuersa, vt erant vasa imperauit: virginem etiam, simulq; omnes qui se adiungerent Christianos, eòdem cum defensione deduci. Ea domus à sanctis sedibus longo (vt ferunt) & medio interiectu vrbis aberat. Itaque magno spectaculo omnium, disposita per singulos singula, & super capita elata palàm aurea atque argentea vasa portantur: exertis vndique ad defensionem gladijs pia pompa munitur: hymnus Deo Romanis barbarisq; concinentibus, publicè canitur: personat latè in excidio vrbis salutis tuba, omnesq; etiam in abditis latentes inuitat ac pulsat: concurrunt vndique ad vasa Petri vasa Christi. Plurimi etiam pagani Christiani professione, si non fide, admiscentur; & per hoc tamen ad tempus, quo magis confundantur, euadunt, *Christiani* videlicet. Quanto copiosiùs aggregantur *Romani* confugientes, tanto auidiùs circumfunduntur barbari defensores, &c, *d.*

d. Baron. tom. 5. Aug. l. 1. c. 1. & 2. de Ciuitate Dei.

IV. Templa venerantibus etiam paganis Deus victoriam concessit.

Recenset præterea *Procopius Cæsariensis* aliud quoque admiratione dignum, quod Deus fecit in hominibus, non illis quidem sacris nostris initiatis, sed qui tamen tum quæ sancta essent, facere delegissent. Scribit namque de *Cabaone* quodam *Maurorum* eorum qui circa *Tripolim* sunt, duce. *Cabaones* igitur iste postquam *Vandalos* bellum aduersùm se mouere audiuit, hæc fecit. Primùm ciuibus subditisque suis præcepit, vt ab inquitate omni & cibo, qui ad delicias faceret, abessent, omniumque maximè se à congressu

greſſu mulierum abſtinerent: & binis caſtris poſitis, in alteris quidem ipſe cum viris in armis fuit, in alteris autem mulieres incluſit, mortis ſupplicium minatus, ſi quis feminarum vallum ingreſſus eſſet. Sub hæc exploratoribus *Carthaginem* miſſis mandauit, vbi *Vandali* in expeditione militari in templum *Christianorum* aliquod per iniuriam contumelioſè quidquam facerent, vt ipſi quidem, ſi ea fierent, ſpectarent; poſtquam autem *Vandali* ex eo loco deceſſiſſent, diuerſa & contraria omnium in delubrum id, vnde illi abiſſent, facerent. Illud etiam eum dixiſſe ferunt, ſe quidem Deum, quem *Christiani* colerent, ignorare: conſentaneum verò & par eſſe, ſiquidem, quod diceretur, fortis potenſque eſſet, vt quum contemptores numinis ſui vlciſceretur, tum cultores tueretur. Itaque ſpeculatores, poſtquam *Carthaginem* venerunt, per otium ibi quieuêre, *Vandalorum* apparatum belli ſpectantes. Vbi verò exercitus eorum *Tripolim* verſus iret, viliori habitu ſumpto, ſubſequuti ſunt. Porrò *Vandali* die primo in *Christianorum* templis manſerunt, & inductis in ea equis & jumentis alijs, nihil de iniuriâ contumeliaq; aliqua reliqui quidquam fecêre. Et laſciuia libidineq; ſua vſi, ſacerdotibus, quos arripuiſſent, colaphos impegerunt, & plagis multis in tergo affecerunt, ſubſeruireque eos ſibi coëgerunt. Poſtquam verò celerrimè inde diſceſſerunt, *Cabaonis* exploratores, quæ ipſis mandata erant, fecêre. Templa namque confeſtim repurgarunt, & purgamentis alijſque rebus, quæ ibi minùs ſanctè poſitæ erant, cum cura & diligentiâ eiectis, ritè omnia diſpoſuêre, lucernas omnes incendêre, ſacerdotes veneratione ingenti coluêre: & humanitate alia omni perſecuti ſunt. *e.*

e. Niceph. l. 17. c. 11.

V. Theodoſius Iunior mirâ reuerentiâ Eccleſias proſecutus.

His præferendum erat illud de *Theodoſio* Minore, qui propenſo admodum fuit in Eccleſias ſtudio, eaſq; magna eſt reuerentia proſecutus: nam præter publicam legem, quâ ſanciuit, vt omnes imperij ſubditi templa reuererentur, de ſeipſo ita loquitur: *Nos qui legitimi imperij armis numquam non circumdamur, quoſq; ſine armatis ſtipatoribus eſſe non conuenit, Dei templum ingreſſuri foris arma relinquimus, & ipſum etiam diadema, regiæ maieſtatis inſigne, humiliter deponimus, & ſacra altaria munerũ tantùm offerendorũ cauſâ accedimus, quibus quoq; oblatis, ad extimũ communeq; atriũ nos recipimus, nec quidquã ex propinquâ diuinitate nobis arrogamus. f.*

f. Conc. Eph. adit. pen. 2. c. 21. Bar. tom. 3.

CA-

CAPVT XVI.

TEMPLORVM DEDICATIO, ET CONSECRATIO.



EMPLORVM dedicatio & consecratio nihil est aliud, quàm sollemnis quædam, & cum summâ exultatione facta DEO gratiarum actio, quòd domus illa ad optatum finem perducta sit: cui fausta apprecatio certis sacrisque cæremonijs adiungitur, quarum quasdam ipsa natura docuit, alias lex Ecclesiastica præscripsit. Earum finis est, ad significandum, templum quod dedicatur & consecratur DEO eiusque cultui, ac sacris actionibus deputatum, neque esse domum profanam, sed sacram; prout ampliùs in progressu dicetur. I. Templorũ dedicatio quid sit?

II. Cur fiat? Meritò namque Ecclesiæ Præsides templa varijs ritibus & cæremonijs dedicant & consecrant, tamquam quæ deinceps habenda sint tamquam sacra, adeoque summâ veneratione digna: vt quæ ordinem habeant ad DEVM ipsum, cuius ministerio & cultui dedicantur. *Quidquid semel fuerit consecratum Domino*, ait Scriptura, *a. Sanctum sanctorum erit*; vnde DEO gratias agunt, quòd locum illum sibi elegerit, & cum publicâ lætitiâ illius vsum auspicantur, addito voto, vt *quisquis eadem, beneficia petiturus, ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur.* a. Leuit. vlt.

III. Et quamuis eiusmodi ritûs Scriptura Apostolica in particulari non meminerit, præsertim cùm primis illis temporibus non nisi in priuatis oratorijs & domibus *Christiani* sua sacra peragerent, idque clàm metu imminentis persecutionis: Simul ac tamen affulsit spes aliqua quietis, vt templa passim erigi cœperunt, etiam dedicationis & consecrationis ritus adhiberi cœpit.

IV. Quando adhiberi cœpta? Hoc interim notandum, quòd quamuis initio statûs Euangelici non habeamus tam expressa testimonia Scripturæ, interim tamen ex eo quòd *Paulus b. Corinthios* arguit tamquam Ecclesiæ contemptores, quia in Ecclesiâ comedebant, satis innuitur, tunc etiam Ecclesiam aliquo modo sacratam fuisse. Cur enim Ecclesiam contemnere dicitur, qui in eâ actionem alibi licitam exercet, nisi propter aliquam eius loci consecrationem; & ex eâ reuerentiam? b. 1. Cor. 10.

tiam? Probaturque ex *Dionysio Areopagitâ*, qui tempore Apostolorum vixit, & *c.* apertè docet, altaria sacro oleo inungi, & consecrari ab Episcopo debere.

c. De Hier. Eccles. c. 5. p. 1.

V. Concilium quoque *Carthaginense* V. *d.* sic habet: *Similiter & de Ecclesijs, quoties super earum consecratione* hæsitatur, agendum est, id est, vt sine vllâ trepidatione *consecrentur*. *Agathense* Concilium: *e.* *Altaria placuit non solùm vnctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari.* Item patet ex Concilio II. *Bracarensi. f.* Item ex decretis Pontificum *Gelasij* & *Felicis IV.* & *Ioannis I. g.* Alia etiam decreta vidè apud *Gratianum*. *h.* vbi etiam adfertur canon *Nicæni* Concilij; & alius Concilij *Hipponensis*: quod plenarium totius *Africæ* fuisse testatur *S. Augustinus*. *i.* quamquam isti canones modò non exstant, nisi apud *Gratianum*.

d. Can. 6.
e. Can. 14.
f. Can. 6.
g. Epist. ad Episc. Ital.
h. De consec. dist. 1.
i. Lib. 1 Retract. c. 17.

VI. Meminit quoque huius solennitatis & ritus *Eusebius*, *k.* *Festiuitates*, inquit, *à nostris frequentissimè gerebantur, cum omni lætitia & exultatione, per vrbes & loca singula Ecclesiarum dedicationibus celebratis. Congregabantur in vnum Sacerdotes, nec pigebat etiam longè positos conuenire, quia nullum longum videbatur spatium charitatis.* Idem *l.* scribit, *Constantinum* ad consecrationem & dedicationem ædis, quam *Hierosolymis* Maryribus exstruxerat anno Imperij sui xx. conuocasse vniuersam Synodum, quæ *Tyri* conuenerat, &c. *Illud*, inquit Athanasius, *m.* *& à beatæ memoriæ Alexandro alijsq; Patribus actum est, qui populi conuentus habuêre, & absoluto opere agendis Deo gratijs dedicationem celebrauerunt. Huius ergò dedicationis te, Imperator, auctorem esse oportet. Locus enim ille exædificatus præsentiam tuæ pietatis requirit; hoc enim ei solum deest ad plenum ornatum. Hoc igitur vt adimpleas, & vt vota tua Domino, cui hanc domum construxisti, reddas, omnium vota optant & suspirant, &c.* Ibidem pro dedicatione Ecclesiæ adfert exemplum *Esdræ* ex Testamento veteri.

k. Lib. 9. hist. c. 10.
l. Lib. 4. de vit. Constant.
m. Apol. ad Const.

VII. *Basilius* *n.* reddens caussam, cur seriùs venerit ad Ecclesiam dedicandam, vbi populus à mediâ nocte vsque ad meridiem exspectauerat: *Si verò*, inquit, *oportet, etiam nos pro nobis ipsis rationẽ reddere longioris moræ ac longioris nostræ absentiæ, caussam adferimus, quòd alteram huic æqualem DEI Ecclesiam, non modico interuallo à*

n. In Psal. 114.

vobis distantem; ministerio nostro curantes, tempus hoc diei consumpsimus. Hunc locum fatentur *Magdeburgenses* o. de templi dedicatione intelligendum.

o. Cent. 4. cap. 6.

VIII.

De Encænijs honorandis lex vetus est, eaq; preclarè constituta, inquit *Gregorius Nazianzenus*, p. *Chrysostomus* quoque sermonem habuit in Encænijs. q. *Sozomenus* r. scribit *Basilium Ancyranum* ad templi dedicationem plurimos Episcopos inuitâsse. *Ambrosius* s. dicit se, & ipsum *Felicem* ad Basilicæ dedicationem à Bassiano inuitatum. Rursum: t. *Cùm*, inquit, *Basilicam dedicassem, multi tamquam vno ore interpellare cœperant, dicentes: Sic in Romanâ Basilicâ dedices. Respondi, faciam, si Martyrum reliquias inuenero.* &c.

p. Orat. in nouam Dominicã. q. Tom. 3. r. Lib. 4. cap. 13. s. Lib. 1. epist. 5. t. Epist. ad soror. n. 92. inter ser.

IX.

Gaudentius u. dicit conuenisse multos Episcopos ad celebritatem dedicationis Ecclesiæ, quæ *Brixiæ* erecta fuerat in honorem reliquiarum *Ioannis Baptistæ, Andreæ, Thomæ, Lucæ, Geruasij, Prothasij, Celsi, & quadraginta Martyrum. Augustinus* quinque sermones ad populum habuit in celebritate dedicationis templi, qui sunt inter sermones de tempore. *Gelasius* Papa: x. *Basilicas*, inquit, *nouiter institutas, non petitis ex more præceptionibus, dedicare non audeat.* Et post aliqua alia quædam constituit in dedicatione Ecclesiarum seruanda. *Felix IV.* qui etiam ante mille annos sedit, in epistolâ sua decretali prolixè de hac re disserit, ac inter alia sic ait: *Solennitates verò dedicationum Ecclesiarum per singulos annos celebrandæ sunt, &c.*

u. Tract. de dedic. x. Epist. 1. ad Episc. Lucan. & Aprutij. c. 6. & 27.

X.

Prosper y. testatur se interfuisse cùm apud *Carthaginem* dedicaretur insigne quoddam templum, quod olim Gentilium fuerat; in cuius frontispicio diuinitùs inscriptum inuenerunt magnis atque æneis litteris: AVRELIVS PONTIFEX DEDICAVIT. Quod præsagium omnes mirabantur, cùm viderent ab *Aurelio* Episcopo *Carthaginensi* fieri, quod tanto tempore antè prædictum fuerat.

y. p. 3. c. 38. de promiss. Dei.

XI.

Bernardus sex sermones habuit de dedicatione templi. *Rupertus* z. probat rectè fieri festiuas dedicationes. *Hugo* de S. *Victore*, a. *Isidorus*, b. *Rabanus*, c. *Amalarius*, d. *B. Iuo*, e. & *Walfridus*. f. qui omnes de dedicatione Ecclesiæ tractant, tam-

z. In c. 28. Gen. a. Lib. 2. de Sacra. p. 5. cap. 2. & 3.

b. Lib. 4. de offic. c. Lib. 2. c. 45. de instit. Cleric. d. De ord. Antiph. e. Ser. de consec. templi. f. De reb. Eccles. c. 9.

quam de re antiquissima, cùm tamen etiam ipsi sint auctores antiqui.

XII. Ritus quos in consecrandis ecclesijs & altaribus *Romana* seruat Ecclesia, beatus *Siluester* Papa primus instituit: nam etsi ab Apostolorum tempore loca fuerunt Deo dicata, quæ à quibusdàm oratoria, ab alijs Ecclesiæ dicebantur, vbi collectæ fiebant per vnam Sabbati, & *Christianus* populus orare, Dei verbum audire, & Eucharistiam sumere solitus erat; non tamen illa adeò solenni ritu consecrabantur; nec in eis adhuc in titulum erectum erat altare, quod Chrismate delibutum, Domini nostri IESV Christi, qui altare, hostia & sacerdos noster est, figuram exprimeret. Sed vbi *Constantinus* Imperator per baptismi sacramentum sanitatem salutemque consecutus est, tum primùm lege ab eo lata concessum est toto orbe terrarum, *Christianis*, vt Ecclesias ædificarent: quos ille non solùm edicto, sed etiam exemplo, ad sacram ædificationem est cohortatus: Nam & in suo *Lateranensi* palatio Ecclesiam *Saluatori* consecrauit, & ei continentem Basilicam nomine *S. Ioannis Baptistæ* condidit, eo loco quo ipse baptizatus à *S. Siluestro*, à lepra mundatus est. Quam idem Pontifex consecrauit quinto Idus Nouembris: Cuius consecrationis memoria eô die celebratur, quo primum *Romæ* publicè Ecclesia consecrata est, & imago Saluatoris in pariete depicta populo Romano apparuit. *g.*

g. Breuiar. 9. Nou. Cōcil. Trid.

XIII. Quantâ celebritate peragi solita?

Trigesimo Imperij *Constantini* anno templum *Hierosolymis* in *Caluariæ* loco magnificè absolutum fuerat, quod magnum Martyrium dicitur. *Marianus* quidam amplâ dignitate vir, ab Imperatore cum litteris ad Synodum *Tyri Phœniciæ* congregatam venit, quibus quàm celerrimè *Hierosolymam* adire, propter sacri eius templi dedicationem jubebatur. Atque illi protinus vt potuêre, *Hierosolyma* contenderunt, dissidio atque discordia omni sepositâ, templumque ipsum dedicarunt, donaria simul & ornamenta ab Imperatore missa maximi prorsus pretij consecrantes: Quæ longo sanè post tempore ibi fuêre, stuporem & consternationem planè spectantibus conciliantes; tanta erat illorum magnitudo, tantum pretium. Erat is XIV. mensis Septembris dies, qui ab eo tempore in Ecclesia *Hierosolymitanâ* quotannis publicè ab omnibus

festus & celebris agitatus est, octo ex ordine diebus conuentibus celebrandis. Quibus diebus ex omni terrarum orbe homines eò conueniunt, & ad festos conuentus concurrunt, arcana sacra peracturi, & loca sancta cognituri. *h.* h. Niceph. l. 8. cap. 50. Guil. Tyr. lib. 23. c. 21.

XIV. S. Hubertus Ecclesiam dedicat.

Sanctus *Hubertus*, licet vocationis suæ haud nescius, rogatu tamen quorumdam illustrium virorum *Brabantium* perrexit, Basilicam nouo opere constructam Domino dedicaturus: Cumque quò rogabatur, vtpote nomen laudemque Domini propagaturus, lætabundus aduenisset, & domum illam, sicuti petebatur, sanctificaturus esset, discipulorum quidam officio præpositus, eius voluntatem atque possibilitatem requirere studuit, dicendo: Visné Pater, longè protrahi officij moras, anné succingi? At ille, cuius cor perfectionem semper desideraret: Nil, inquit, remaneat imperfectionis: quin prout vales, & morosè, & cum integritate cuncta compleantur. Cœpto ergò officio insistens, adiunctis presbyteris, & diaconibus, nec non omni Ecclesiæ gradu, cum magno illud honore & reuerentiâ, sicuti & reuerâ idem officium postulabat, ad finem vsque perduxit, domumque illam tam in hostiarum oblatione, quàm & sacerdotali benedictione, nec non incensi super aram thurificatione acceptabilem Domino prorsus reddidit. Sciebat autem illud potissimum charum esse Domino templum, quod non latomorum diligentiâ compactum, nec cæmentariorum arte litum, sed virtutum exercitijs est conspicuum. *i.* i. In vita. cap. 12. ap. Sur. 3. Nou.

CAPVT XVII.

FINIS ET SIGNIFICATIO RITVVM ET CÆREMONIARVM DEDICATIONIS ET CONSECRATIONIS TEMPLORVM.

I.



FINIS harum cæremoniarum præcipuus est ad significandum, templum illud DEO, & sacris actionibus dedicari, neque esse domum profanam sed sacram; nam etiamsi ista dedicatio essentialiter consistit in voluntate, & intentione dedicatoris; tamen necesse est vt hæc intentio, & voluntas signis externis proda-

prodatur alijs hominibus ; quomodo etiam humani contractus consistunt in intentione, & voluntate contrahentium : tamen vt innotescat voluntas, & vt firma & rata sint, non solùm proferuntur verba, sed etiam multæ adhibentur cæremoniæ, vt patet in nuptijs, in coronatione Regum, in militiâ, &c.

II. Quid per 12. Cruces.

Quoniam ergò templum dedicatur *Christo*, ideò ad hoc significandum, pingitur signum eius: id est, CRVX. Pinguntur autem cruces numero XII. ita inter se distantes, vt totum templum occupent; & ad singulas lampades singulæ accenduntur, ad significandum, quòd Apostoli XII. hoc vexillum *Christi* per totum orbem terrarum portauerunt, & suâ prædicatione mundum illustrarunt.

III. Cur templum inungatur.

Et quia templum non debet esse profana & communis domus, sed sacra; ideò ad hoc significandum inungitur; oleum enim est communissimum, & euidentissimum symbolum consecrationis. Quia enim est liquor nobilissimus, quippe qui omnibus supereminet, & maximè omnium penetrat, & sanat, ac roborat; & demùm res illustres facit: ideò placuit omnibus Gentibus, & ipsi etiam DEO, illo vti ad consecrationem significandam.

IV. Cur aspergatur aqua, thus & cerei accendantur.

Quia rursus templum destinatur diuinis sacrificijs, & orationibus, alijsque sanctis, & puris actionibus, non autem sordibus & tenebris negotiorum sæcularium, ideò ad hanc munditiem & claritatem significandam adspergitur aqua, thus adoletur, cerei accenduntur.

V. Alphabetũ græcum & Latinum quid denotet?

Quia verò sacratur etiam templum ad concionandum, & docendam fidem, quæ est fundamentum totius iustitiæ; ideò describitur *alphabetum* in pauimento. Describitur autem *Græcè* & *Latinè*, quia illis linguis prædicata est fides, & illis linguis vtebatur tota ferè Ecclesia eo tempore, quo hæ cæremoniæ sunt institutæ. Et quia in templo non solùm docentur homines, sed etiam mouentur & inflammantur ad virtutem, & vitæ nouitatem; idcircò fit illa mixtio aquæ, cineris, salis, & vini.

VI. Cur pulsetur ostium?

Quia denique ex templo Diabolus eijcitur, neque ibi habitare sinitur, sed è contrario oratur DEVS, aduocantur Angeli, alijque Sancti, vt in eo loco habitare dignentur, ideò pulsatur ostium, & ju-

& jubetur Diabolus recedere; & reliquiæ Sanctorum introducuntur.

Est prætereà alius finis cæremoniarum quas in Templorum consecratione adhibent Ecclesiæ Prælati, videlicet ad significandum *Christum* & Ecclesiam. Ecclesia enim materialis, Ecclesiam spiritualem designat: altare verò significat *Christum*; hinc igitur altare fit ex lapide, & inungitur, & summo loco ponitur, & sub ipso absconduntur reliquiæ; quia *Christus* dicitur petra; *a.* & vnctus fuit spiritu sancto, præ consortibus suis. *b.* Et caput est totius Ecclesiæ. *c.* Et in ipso abscondita est vita & gloria Sanctorum. *d.* Vnde etiam in cælo vidit *Ioannes* animas Sanctorum sub altari. *e.*

VII. Aliæ significationes.

a. 1. Cor. 10.
b. Psal. 44.
c. Coloss. 1.
d. Ibid. 3.
e. Apoc. 6.

VIII. Ordo Cæremoniarũ in dedicatione.

Porrò cæremoniæ, quæ fiunt in ipsâ consecratione, totum progressum fidelium demonstrant. Nam primo loco pulsatur, & aperitur templum baculo Pastorali ab Episcopo, quia Prædicatores potestate à *Christo* accepta corda infidelium pulsant, & ad fidem suscipiendam aperiunt. 1.

Secundò, ingressus Episcopus eodem baculo describit in pauimento cinere consperso Alphabetum, quia Prædicatores eâdem potestate in cordibus pœnitentium inscribunt rudimenta fidei, eosque Catechumenos faciunt. 2.

Tertiò, aspergitur templum aquâ, & cerei accenduntur, quia post Catechismum sequitur Baptismus, quod est Sacramentum illuminationis. 3.

Quartò, in parietibus pinguntur & inunguntur cruces (nam etiamsi cruces ante initium consecrationis factæ sunt, tamen hoc tempore fieri debuissent: sed antè factæ sunt propter commoditatem, nimis enim diu exspectaretur, si in ipsâ consecratione pingerentur) ad significandam Confirmationem, quæ post Baptismum cruce & chrismate perficitur. 4.

Quintò, fit mixtio quædam aquæ, cineris, salis, & vini, quia tota vita fidelium consumi debet in mortificandis vitijs, & vitæ nouitate quærendâ & retinendâ. Nam aqua significat hominẽ, qualis est ex se post peccatum; est enim frigidus & insipidus. Cinis significat pœnitentiam, & mortificationem vitiorum, Sal saporem, & vinum lætitiam & feruorem nouæ vitæ. 5.

Sextò

6. Sextò agitur dies festus cum lætitiâ, finitâ consecratione; quia post finem huius vitæ fideles intrabunt in gaudium Domini, vbi perpetuò lætabuntur. Hæc & similia vide apud *Augustinum* & *Bernardum* in sermonibus de dedicatione; & apud *Hugonem*, *Iuonem* & *Rabanum*, qui singulatim explicant rationes harum cæremoniarum.

CAPVT XVIII.

DE NONNVLLIS MIRACVLOSIS ECCLESIARVM CONSECRATIONIBVS.

I. Miracula in dedicatione Ecclesiarum.



N veteri Testamento cùm *Machabæus* templum consecraret, & Altare dedicaret, consecrationem & dedicationem sibi gratam esse, nonnullis prodigijs comprobauit Dominus: sicut cùm *Salomon* templum dedicaret, *a. nebula cælestis templum impleuit. Neque hymnos canentibus, neque choreas ducentibus lassitudo oborta est*, vt docet Iosephus, *b. Ignis quoque descendit de cælo, & deuorauit holocausta, & victimas. c.* Deinde fores templi, accedente arcâ, diuinitus postmodum apertæ facilem præbuerunt aditum, vt tradunt Hebræi, & approbant *Lyranus*, & *Carthusianus* apud *Pinedam*, *d.* nempe vt eo prodigio adumbraretur, & approbaretur Ecclesiæ cæremonia, quâ templi consecrandi fores primùm occluduntur, & deinde postquam ter ab Episcopo sunt baculo pastorali percussæ, aperiuntur.

a. 2. Paral. 5. 3. Reg. 8.
b. Lib. 8. c. 2.
c. 2. Paral. 7.
d. Lib. 5. de reb. Salom. cap. 5.

II. Sed multò frequentiora, & mirabiliora in nouo Testamento prodigia, quibus Deus templorum consecrationes & dedicationes approbauit. Referam aliqua magis insignia. Primum est apud *D. Gregorium*, *e. Paulum* Diaconum, & *Surium* *f.* vbi postquã narrassent, Dæmonem porci immundi specie exijsse ab Ecclesiâ *Arianorum*, quam ritu Catholico dedicauerat *S. Gregorius* introductis in eam reliquijs *S. Sebastiani* & *S. Agathæ*, *Post paucos*, inquit, *dies in magnâ serenitate aëris super altare eiusdem Ecclesiæ nubes cælitus descendit, suoq́ illud velamine operuit, omnemq́ Ecclesiam tanto terrore, ac suauitate odoris impleuit, vt patentibus ianuis, nullus illuc præsumeret intrare: die verò aliâ in eâ lampades sine lumine accensæ sunt.*

e. 3. Dial. 3.
f. Lib. 2. vitæ S. Gregorij c. 32.

Post

Post paucos item dies, cùm expletis Missarum solemnijs, extinctis lampadibus custos ex eadem Ecclesiâ egressus esset, post paululum intrauit, & lampades, quas extinxerat, lucentes reperit; quas negligenter extinxisse se credidit, atque eas jam solicitiùs extinxit. Sed post trium horarum spatium regressus, lucentes lampades, quas extinxerat, inuenit; vt videlicet ex ipso lumine apertè claresceret, quia per B. Gregorium *locus ille de tenebris ad lucem venisset.*

Mirabilius est, quod narrat *Ealredus* grauissimus scriptor rerum gestarum *S. Eduardi* Regis *Anglorum*: de templo in memoriam *S. Petri* ædificato à *Seberto* nepote Regis *Ethelberti* à *S. Augustino* ad fidem conuersi, hæc refert: *a. Nocte*, inquit, *dedicationem eiusdem præcedente, piscatori cuidam Thanensis fluuij, qui idem monasterium præterfluit, vlteriori ripâ in habitu peregrino beatus Petrus apparens, promissâ mercede, transponi se ab eodem & petijt, & promeruit. Egressus autem de nauiculâ, Ecclesiam, piscatore cernente ingreditur: & ecce subitò lux cælestis emicuit, miroq́ʒ splendore illustrans omnia noctem conuertit in diem. Adfuit cum Apostolo multitudo ciuium supernorum ingredientium, melodiaq́ʒ cælestis insonuit.* Et paulò pòst subiungit: *Manè autem facto, Episcopo Mellito ad dedicandam Ecclesiam procedenti cum pisce piscator occurrit, & omnia quæ sibi mandata fuerant, prodit. Stupet Antistes, reseratisq́ʒ Ecclesiæ valuis, videt pauimentum vtriusq́ʒ Alphabeti inscriptione signatum, parietem bissenis in locis sanctificationis oleo linitum, totidem cereorum reliquias duodenis crucibus inhærere, & quasi recente aspersione adhuc cuncta madescere. Quod videns Episcopus vnà cum populo DEVM benedicebat. Creditum ergo consecrationis mysterium repetitum, quam perfectam monstrarent candelæ per totam Ecclesiam accensæ, cruces factæ, nec minùs aquæ aspersæ, & sacrati olei locis debitis non friuola vestigia.* III.

VVestmonasteriense templum S. Petri.

a. In uit. S. Eduard. Beda lib. 2. hist. Anglic. cap. 3. VVilhel. Malmes. l. 2. de Pont. Ang.

Tempore *Dagoberti* Regis *Francorum*, *b.* Episcopis apud diuum *Dionysium* dedicandæ Ecclesiæ gratiâ à *Dagoberto* conuocatis, dum sexto Kalend. Martij mysterium absoluere statuissent, pridie ipsarum Calendarum homo leprâ admodum deformis ab æditiuis impetrat in æde pernoctare. Vbi dum vigil in oratione perseuerat, videt perspicuè *Christũ* comitantibus eum *Petro Pauloq́ʒ* vnà cum diuis martyribus, *Dionysio*, *Rustico*, & *Eleutherio* per fenestram IV.

b. Robert. Guag. l. 3. Annal. Franc. & Fulgos. l. 1. cap. 6. S. Dionysij Parisijs.

ſtram in baſilicam aduentare. Qui candidâ veſte amictus dedicationis ſacrum munus abſoluit. Indeque ad leprâ contaminatum progreſſus *Chriſtus*: *Tu,* inquit *homo, dicito Pontificibus, cùm craſtinâ luce ad hanc ædem ſe conferent, eam à me conſecratam eſſe.* Cuius rei fidem fecit infirmi hominis cura. Nam contactâ hominis facie lepram omnem *Chriſtus* auferens, eam proximo lapidi glutinauit, qui ad hunc vſque diem per ſummam admirationem viſitur. Quo miraculo attoniti Præſules dedicatione abſtinuerunt. Hæc cauſſa eſt quamobrem frequens admodum populus ad Eccleſiam ipſam ſexto Kalend. Martij conueniat, firmiſſimè credens id à *Chriſto* DEO fuiſſe perpetratum.

V. In Gargano monte S. Michaelis.

Garganus quidam ciuis *Sipontinus*, cuius prægrande armentum in monte *Vrio Apuliæ*, qui hodie *Garganus* & *S. Angeli* dicitur, paſcebatur, quo tempore *Gothorum* armis *Italia* vexata eſt, armentalem taurum, qui à grege aberrabat, quæritans, inuentum tandem ad ſpeluncam natiuam, in viuo cauatam ſaxo, irâ percitus ſagittâ petijt. Ea vbi tergum tauri attigit, retro flexa è veſtigio in *Garganum* verſa eſt. Eâ re in religionem verſâ, *Garganus* *Laurentio* ſacerdoti rem aperuit. Is indicto trium dierum jeiunio noctu *Michaëlem* Archangelum in ſomnis vidit, affirmantem, ſuâ operâ taurum indicem baſilicæ extitiſſe, quam inhabitare vellet, & ab hominibus celebrari. Iam verò cùm *Sipontini Neapolitanos* vrbem obſidentes, oraculo Archangeli per *Laurentium* habito, ſtatâ horâ erumpentes fudiſſent, ſpelunca tamquam Archangeli excauata manibus religiosè coli cœpta, neque *Gelaſij* Pontificis Maximi dedicatio, quam parabat, ab Archangelo approbata, quòd locus cælitus conſecratus humanâ non egeret dedicatione. Sic igitur ſpecus conſecrata, cum templo auguſtiſſimo, quod plurimi mortales quotannis accedere ſolent. Eſt autem natiua ſpecus duriſſimo è ſaxo, in quam multis gradibus, ceterùm non lato admodum aditu deſcenditur, ſpecularibus quibuſdam lumen præbentibus. Veſtit eam parte ſuperiore, quâ natiua ipſa quidem ac petrinoſa teſtudo eſt, è quercu vaſtâ proceritate lucus, muris tamen circumdatus, pecori ne quà pateat ingreſſus. Antè verò quàm deſcendere in antrum incipias, ædificia extant manu facta elabora-

to è

to è lapide. Vbi verò antrum in imum descenderis, quà specus diffunditur, mira animum religio subit, loco ipso subobscuro & & horrido, solaque naturâ constituto. Admonent religionis tabellæ, votaque passim suspensa, titulos indicantia. Vbi verò aræ admotus, ad numinis procumbes statuam, loco solo, & ab hominum accessu semoto, repentè inhorrescit tacito metu animus, atq; in diuinarum tantùm rerum cogitationem versus, in preces & supplicia effunditur. Augent venerationem aliæ item aræ, nullo sumptu, nullo artificio factæ, quibus natura ipsa videtur locum statuisse. c. — c. Pont. l. 3. bel. Neap.

VI. Eremitarũ in Heluetiâ.

An. C. CMXLVIII. ineunte Septembri, ad *Cunradum* Episcopum *Constantiam* misit *Eberhardus* Abbas *Eremitarum in Heluetiâ*, quando in eius Episcopatûs terminis monasterium, templumq;, & Sacellum consisterent, eorum ad consecrationem venire ne grauaretur. Inuitatus etiam antiquam ob necessitudinem, & amicitiam, moremque ab Apostolicis temporibus receptum, *Vdalricus Augustæ Vindelicorum* Episcopus. Vtrumque comitati plures primæ nobilitatis totius propè Germaniæ superioris viri, magnus concursus vicinitatis factus, tantorum virorum reuerentiâ, simul & loci, cuius religionem & celebritatem, jam latè sparserat fama, inuisendi, colendique desiderio pertrahebantur. Haud paucos *Eberhardi* & monachorum inibi agitantium sanitatis opinio, alios etiam propinquitas sanguinis attraxerat. — d. Ex Anal. R. P. Chripoph. Hartmanni.

Adpulit ad Heremum *Cunradus* Idibus eiusdem mensis, nonoque in monasterio diuertit. Nocte, quæ secuta est, cùm, solito more, circa eius medium, orationis caussâ surrexisset, melodiam longè suauissimam auribus excepit, cumque magis, magisque animum, mentemque intenderet, certissimò animaduertit, angelos cantum eumdem, & ordinem, cæremoniasque in Sacelli DEIPARÆ, cuius caussâ aderat, consecratione habere, quæ, dedicationibus Ecclesiarum, Episcopis vsurpentur. Audiêre eadem, & percognouêre haud pauci monachi, alijque nonnulli, quos precum, & meditationum studium idem tempus intentos, & vigiles attinuerat. Ipse *Cunradus* cæremonias, his verbis, libro quem de Secretis secretorum inscripsit, posteritati prodidit, quæ inserere operæ pretium

 putaui,

putaui, rei miraculo, simul tanti viri fide, & quia illa sola ex eo volumine facti raritas, an potiùs DEI benignitas conseruauit, & posteris testimonium dicere voluit. *Descendit,* inquit, *Dominus de cælis, casulâ violaceâ ante altare ad sacrum officium celebrandum, cui quatuor Euangelistæ capiti eius infulam imponentes, &, more consueto, deponentes. Angeli aurea thuribula deferebant, alis suis, vt ramis arborum, flabant. Iuxta Dominum S. Gregorius flabellum in manu tenens, S. Petrus in manu tenens baculum pastoralem: Sanctus verò Augustinus & Ambrosius stabant ante Dominum. MARIA Virgo ante altare stabat splendida, sicuti fulgur. Sanctus Michaël præcantor erat. Sanctus Stephanus legit Epistolam, Beatus Laurentius Euangelium. Sanctus cantabatur sic: Sanctus DEVS in aulâ gloriosæ Virginis, miserere nobis. Benedictus MARIÆ filius in æternum regnaturus qui venit. Agnus Dei sic: Agnus DEI miserere viuorum in te credentium, misere nobis. Agnus DEI miserere mortuorum in te piè quiescentium, miserere nobis. Agnus DEVS da pacem viuis, & defunctis in te piè regnantibus. Dominus vobiscum. Respondebant Angeli: Qui sedet super Cherubim, & intuetur abyssos.* Hactenus *D. Cunradus* suprà memorato libro, de ijs, quæ eâdem nocte cognouit. Verùm cœptâ luce quam Exaltationis S. Crucis memoria, & honore illustrauit Ecclesia, ea in feriam V. inciderat, anno bissextili, paratis ad manum necessarijs, magna attentione, omnibus *Cunradum* præstolantibus, ipse solus cunctari, morasque nectere, neque interea Sacello pedem efferre, ibidem fixus, immobilis, attonitus inhærere, & obstupescere, donec ad meridiem jam tempus vergeret. Tum verò omnes vrgere, sollicitareque qui aderant Antistites, solennitatem tandem, & officia inchoaret, promoueretque, & cessandi finem faceret, neque vltrà tantum mortalium conuentum distineret. Ille adhuc caussas obtendere, an aliud signum exspectare. Denique quid audisset, quid perspectum haberet, paucis ostendit. Ibi verò tum omnes veluti vana, & tamquam cælestium ex meditatione nata somnia memorantem reprehendere, obiurgare, postremò ad sacrorum ministerium, & consecrationis opus, illis posthabitis, impellere, & cogere, donec cunctis re inopinata perculsis, & exhorrescentibus, cælestem delapsam vocem CESSA, CESSA, FRATER,

DIVINITVS CAPPELLA CONSECRATA EST, ter omnes audierunt. Ex eo certa fides & *Cunradum* vera cognouisse, & Sacellum DEIPARÆ cælitus dicatum, & consecratum esse, nemo postea dubitauit. Quæ tum tantorum virorum præsentiâ & testimonio comperta, & meritò credita, crebriora inde & huc vsque confirmarunt miracula. Igitur *Cunradus* Sacello, vbi initium consecrationis facere instituerat, egressus, comitantibus, qui præsentes erant, & DEVM DEIQVE Genitricem magnificantibus, basilicam porro Sacello circumiectam, solitis cæremonijs, in nomen & titulum S. *Mauritij* & Sociorum, ita *Eberhardo* postulante, consecrauit, dedicauit. Mox ad sua quisque alius aliò reuersi, rei gestæ notitiam longè, lateque diffudêre. Angelicæ consecrationis meminit etiam *Hermannus Contractus* hoc anno. *Cappella*, inquit, *in Cœnobio S. Meginradi cælitus consecrata est, XVIII. Kalen. Octobris.* Itemque *Martinus* pœnitentiarius: *Eodem tempore*, inquit, *Cappella S. Meginradi in prædicto Cœnobio Heremitarum Constantiensis Diœcesis cælitus est consecrata* XVIII. Kal. Octobris, sancto *Cunrado Constantiensi* Episcopo *hoc testante.* Cuius testimonium postea *Romani* Pontifices, suâ quoque auctoritate sæpius adprobauêre.

VII. Cap. 8.

De dedicatione templi, quod *D. Petrus Cælestinus* incolebat, ita scribitur in eius vita: *In aurorâ diei sedens* D. Petrus *librum legebat in cellâ, & ecce foris, iuxta cellæ fenestram, aliquot juuenes facie decoros videre visus est, sibi inuicem dicentes,* Dedicemus ædem hanc; *ac protinus eam circumeuntes, officium cecinêre dedicationis: existente & canente, vt sibi videbatur, cum illis Petro. Et hoc quidem ipse raptus spiritu faciens plurimùm admiratus est apud se dicens: Quid est hoc, inquit, dormio an vigilo? Adhuc enim ob rei nouitatem dormire subdubitabat. Aperto deinde libro, litteris manum admouebat: clara namq; dies illuxerat, nec poterat phantasma videri. Finito proinde officio dedicationis, se delicatissimo pretiosoq; vestimento vestitum animaduertit, quo tamen se priùs indui non senserat, atque hinc facilè percipimus quanta fuerit apud DEVM viri sanctitas. Et quoniam teste Poëta:* Tarda solet magnis rebus inesse fides: *ne dedicatio hæc tam miranda in dubium alijs veniret, sciendum est virum quemdam augustæ formæ & speciosæ, die Dominico cuidam apparuisse dicentem: Oratorium hoc no-*

Apparitio in templi dedicatione facta D. Petro.

Ouid.

Miraculum admirabile. *ueris esse à DEO dedicatum, & hoc tibi signum esto: Manè cùm ad illud introieris, lampas ante altare jugiter ardens huc & illuc mouebitur, nec quis eam mouerit, apparebit. Quod factum est videntibus & stupentibus admodum Fratribus. In quo signo & aliud mirum accessit, quòd abundans oleo lampas quamuis violento miraculo pulsaretur, quasi funditus euerti crederes, tamen ne guttula quidem olei ex eâ effusa est. His itaque prodigijs Spiritus sanctus complacere sibi in loco isto comprobauit. Vnde & meritò sacratus illi,* sanctus Spiritus de Magella nomen sortitus est.

S. Spiritus de Magella.

VIII. *Theodechilla* seu *Quindechilda* (vtrumque enim nomen ei indunt historici) *Clodouæi Francorum* Regis & *S. Chrotildæ* filia, vitam secundùm Regulam *D. Benedicti* professa est in Monasterio à se erecto, & *SS. Petro & Paulo* dedicato, quod vulgò *S. Petrum* viuum, vel *Petrum Senonensem* vocant. Cùm igitur Monasterio abundè prospectum esset, Templique ingens moles staret, *Erarium* Episcopum *Senonensem*, ac alios Præsules, ad dedicandum inuitauit. Mos autem vetus obtinuerat, sacras excubias in templis agere illis noctibus, quæ dedicationem anteirent, quod etiam hîc factum. Atque dum trahunt insomnes horas, dulcissima melodia attonitis allabitur auribus, cælestes voces fundentibus Angelis. Primâ luce fortè in altare maximum conuersi, in quatuor angulis totidem cruces expressas viderunt, omninò ex more ac ritu templa sacrandi. Episcopi intellecto quod res erat, non ausi sunt denuò admouere manus, ne cælum in se prouocarent. *Ex Chron. Bened.*

A Cælitibus dedicatur templum S. Petri Senonensis.

IX. Iosephum ab *Arimathæâ* in *Britannias* cum vndecim Socijs deuenisse, hæc vetustissima laminis æneis incisa ac *Glastoniensis* Ecclesiæ columnæ olim appensa refert inscriptio. *Anno post passionem Domini 30. duodecim Sancti (ex quibus* Iosephus *ab* Arimathæâ *primus erat) huc venerunt, qui Ecclesiam huius regni primam in hoc loco construxerunt: quam* Christus *in honorem suæ matris, & locum pro eorum sepulturâ, præsentialiter dedicauit.* Inde Carmen Chronici cœnobitici.

Glastoriensis in Anglia.

Intrat Auallonicam *duodena caterua virorum,*
Flos Arimathææ Ioseph *est primus eorum,*

AVRE-

AVRELIANENSEM Ecclesiam Cathedralem S. CRVCIS, Dominum de nube dignatum consecrare, narrat *Carolus Saussejus*: Cùm enim Basilica illa *B. Euurtij* Episcopi *Aurelianensis* operâ ex thesauris in illius fundamentis diuinitùs repertis, accedente magnificentiâ Imperatoris fuisset consummata, & die designato ab Episcopo, V. Nonas Maij, solemni ritu consecraretur, *ecce in horâ confectionis panis cœlestis, cùm ex more Sacerdotali hostiam eleuatis manibus DEO offerret, tamquam nubes splendida apparuit super caput eius, & manus porrectis digitis tertiò oblatam benedicens.* X. Annal. Ecclef. Aurel. l. 1. n. 7. Miraculum in dedicatione Eccles. Aurelianensis factum.

Credunt AVENIONENSES, & hoc habet Bulla *Sixti IV.* Papæ, & alia *Ioannis* XXII. Ecclesiam Cathedralem suam quæ S. MARIÆ de Donis nuncupatur, à *B. Marthâ* Domini nostri hospitâ fundatam, manu DEI consecratam fuisse. XI. Auenionēsis Ecclesia S. Mariæ de Donis diuinitùs concrata.

Scripserunt *Algerus* ex scholastico *Corbeiensis* monachus, *Hincmarus* Archiepiscopus *Remensis*, *Hilduinus* Abbas *S. Dionysij Parisiensis*: *Dum sacrum mysterium* B. Dionysius *celebraret in carcere, horâ quâ ab eo frangebatur panis sanctus, quo ipse & populus communicare deberent, resplenduisse lucem de cælo, in quâ Dominus IESVS Christus cum multitudine Angelorum panem sanctum ipse accipiens, dedit* Dionysio. XII.

Scripsit *Florentius* Abbas *S. Iudoci* in *Britanniâ*, & *Petrus* in Catalogo. *S. Iudocum* filium *Rothaëli* Regis *Anglorum*, cùm adstaret altari tertio idus Iulij, stolam ac casulam candidam indutus, ac diuina cum summa veneratione tractaret sacramenta, *manum Domini visibiliter apparuisse*, suumque sacerdotem consignasse & confirmasse benedictione perpetua, voce mirabili cælitus emissa: *Quia contempsisti diuitias & paternum regnum, & elegisti pauper esse, præparaui tibi coronam inter agmina Angelorum, eroque huius loci & populi illum in tui memoriam visitaturi perpetuus custos.* XIII. Sur. tom. 1.

Idemque refertur de *S. Firmino* martyre, & *S. Honorato* confessore, Episcopis *Ambianensibus*, item *S. Vdalrico* Episcopo *Augustano* ad altare sacrificantibus. XIV.



CAPVT

CAPVT XIX.

SANCTITAS TEMPLI CONSECRATI.



X quo templa certis cæremonijs & ritibus DEO dedicantur & consecrantur, sequitur sancta esse, & veneratione digna censeri ac æstimari. Siquidem olim DEVS præcipiens Moysi consecrationem tabernaculi, & vasorum eius, addit eo fine se illam præcipere, vt sanctificentur, *a.* *Christus* dicit: *b.* Væ vobis duces cæci, qui dicitis; *Quicumque jurauerit per templum, nihil est, qui autem jurauerit in auro templi, debet. Stulti, & cæci, quid enim maius est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum?* Vbi Dominus vult templum lapideum nobilius esse ipso auro, quòd videlicet auro communicet sanctitatem; nam licet lapides sint absolutè inferiores auro, tamen ratione relationis ad DEVM, lapides illi, qui templum efficiunt, sunt longè nobiliores & sanctiores auro. Vnde *D. Augustinus*: *c. DEO*, inquit, *omnipotenti parietes consecratos, Ecclesiam venerandam, quasi quadam obsessione credidit, retinendam.*

I. Templa cur sancta? a. Exod. 40. vers. 9. b. Matth. 23. c. Lib. 4. contra Crescon. c. 40.

II. Ceterùm cùm dicat Apostolus: *d. Nihil abijciendum est, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum DEI & orationem:* Si cibi sanctificantur per verbum DEI & orationem, cur non etiam templa sanctficabuntur, quæ per sacras personas publicas, precibus & benedictione consecrantur? Præterea sanctificante *Salomone* templum, DEVS etiam sanctificauit, vt ipse dicit: *e. Exaudiui orationem tuam, & sanctificaui domum hanc quam ædificasti.* At non minùs efficaces sunt preces Ecclesiæ quàm *Salomonis.*

d. 1. Tim. 4. e. 3. Reg. 9.

III. Iam verò in templo consecratæ sunt multæ res sanctæ. Primò Crux, & imagines *Christi* & Sanctorum. Secundò, Reliquiæ Sanctorum. Tertiò, præsentia corporis Domini in Eucharistiâ. Quartò præsentia Angelorum; credibile enim est, aut semper aut frequentissimè Angelos adesse. Quare *Iosephus f.* scribit, in templo *Salomonis* paulò antè quàm euerteretur, auditas voces: *Migremus hinc*, quas Angelorum fuisse, deserentium eum locum, communis

Res consecratæ in templo. 1. 2. 3. 4. f. Lib. 7. c. 12. de bel. Iudaico.

munis opinio est. Et B. *Chrysostomus* super illa verba *Isaiæ*: *Vidi Dominum sedentem, &c.* dicit, Angelorum multitudine vallari sacram mensam in Templis. Angeli enim templum oberrant, & singulorum habitum, gestus & vota explorant; audi quid hac de re *S. Chrysostomo* contigisse non semel sed sæpiùs, narret *S. Nilus S. Chrysostomi* discipulus epistolâ ad *Anastasium*: *Ioannes*, inquit, *Sacerdos admirandus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ & totius orbis splendor, vir animi perspicacis, omni ferè tempore videbat domum Domini refertam Angelorum cœtu, & tunc in primis cùm diuinum & incruentum sacrificium offerebatur, quo quidem tempore stupore & lætitiâ plenus, rem præcipuis amicis enarrauit*: *Cùm cœpisset*, inquit, *Sacerdos S. Sacrificium, plurimæ statim ex illis virtutibus descendentes, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altari magno cum silentio & reuerentiâ, quoad reuerendum illud mysterium expletum fuit, circumsteterunt. Deinde huc illuc singulæ diffusæ, per totam domum Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus distributionem corporis, & pretiosi sanguinis ministrantibus adhæserunt, satagentes & sedulò adiuuantes.*

Angeli sunt in templo & sacrificio Missæ.

Quâ reuerentiâ Angeli intersint Sacrificio Missæ.

Quintò, denique adest Deus ipse per singularem quamdam protectionem, & virtutem. In cuius rei signum, quando Tabernaculum à *Moyse* dedicatum est, *g.* nubes gloriæ Domini Tabernaculum texit, vt antè dixi: Similiter cùm templum à *Salomone* dedicatum fuit: *h. Nebula enim gloriæ impleuit domum Domini.* 5.

g. Exod. vlt.

h. 3. Reg. 8.

IV.

Idem etiam suo tempore accidisse Ecclesiæ consecratæ, scribit noster *S. Gregorius Magnus*: *i. In magnâ*, inquit, *serenitate aëris super altare Templi nubes cælitùs descendit, suoq; illud velamine operuit, omnemq; Ecclesiam tanto terrore, ac suauitatis odore repleuit, vt patentibus januis nullus ibi præsumeret intrare.* Hoc est quod legimus in Scripturâ dixisse *Heliodorum*: *k. In loco illo est verè Dei virtus quædam; nam ipse, qui habitat in cælis, visitator & adiutor est loci illius.*

i. Lib. 3. Dial. c. 30.

k. 2. Mach. 3.

V.

Denique sicut templa Gentilium polluta sunt & immunda, quia sunt domicilia dæmonum, teste *D. Gregorio*, *l.* ita è contrario, templa Dei sancta sunt, quia dæmonibus carent. Idem enim scribit *m.* post consecrationem templi, quod antea *Arianorum* fuerat, Diabolum inde egressum sensibiliter in specie suis, maximo stre-

l. Lib. 3. Dial. c. 7.

m. Ibid. cap. 30.

mo strepitu excitato, & sicut domus Principum asyla sunt, nec ibi lictores vlli manus inijcere audent; ita etiam in templo Dei, dæmones non sinuntur grassari eo modo, quo in alijs locis. Sed lubet ipsius *Gregorij* verba depromere. *Arianorum Ecclesia*, inquit, *in regione illius vrbis, quæ Subura dicitur: cùm clausa vsque biennium remansisset: placuit vt in fide Catholicâ introductis illic beati Stephani, & sanctæ Agathæ martyrum reliquijs dedicari debuisset: quod factum est. Nam cum magnâ multitudine populi venientes, atque omnipotenti Domino laudes canentes, eamdem Ecclesiam ingressi sumus. Cùmq; in eâ jam Missarum solennia celebrarent, & præ eiusdem loci angustiâ populi se turba comprimeret: quidam ex his qui extra sacrarium stabant; porcum subitò intra suos pedes huc illucq; discurrere senserunt. Quem dum vnusquisq; sentiret, & juxta se stantibus indicaret; idem porcus Ecclesiæ januas petijt, & omnes per quos transijt in admirationem commouit, sed videri à nullo potuit, quamuis sentiri potuisset. Quod idcircò diuina pietas ostendit, vt cunctis patesceret, quia de loco eodem immundus habitator exiret. Peractâ igitur celebratione Missarum recessiimus, sed adhuc nocte eâdem magnus in eiusdem Ecclesiæ tectis strepitus factus est, ac si in eis aliquis errando discurreret. Sequenti autm nocte grauior sonitus excreuit, ac subitò tantò terrore insonuit, ac si omnis illa Ecclesia à fundamentis fuisset euersa, & protinus recessit, & nulla illic vlteriùs inquietudo antiqui hostis apparuit, sed per terroris sonitum, quem fecit, intonuit, quòd à loco, quem diu tenuerat, coactus exibat. Post paucos verò dies in magnâ serenitate aëris super altare eiusdem Ecclesiæ nubes cælitus descendit, suoq; illud velamine operuit, omnemq; Ecclesiam tanto terrore ac suauitatis odore repleuit, vt patentibus januis nullus illic præsumeret intrare. Sacerdos quoque & Custodes, & hi qui ad celebranda Missarum solennia venerant, rem viderant, ingrediq; minimè poterant, & suauitatem mirifici odoris trahebant. Die verò alio cùm in eâ lampades sine lumine dependerent, emisso diuinitus lumine sunt accensæ. Post paucos iterum dies, expletis Missarum solennijs, extinctis lampadibus custos ex eadem Ecclesiâ egressus, post paululum intrauit, & lampades quas extinctas reliquerat, lucentes reperit: quas negligenter extinxisse se credens, eas jam sollicitus extinxit, & exiens Ecclesiam clausit. Sed post horarum trium spatium ingressus lucentes lampa-*

lampades, quas extinxerat, iterum accensas inuenit; vt videlicet ex ipso lumine apertè clareſceret, quia locus ille à tenebris ad lucem veniſſet. Hæc Gregorius.

Coloniæ celebratâ Synodo ad dedicationem Eccleſiæ à tribus *Lotharingiæ* Metropolitis, *Lintperto Moguntino, Bertulfo Treuirenſi, Willeberto Colonienſi*, cùm ab eis maior Eccleſia, quæ eſt *S. Petri*, deberet dedicari, præcedente nocte auditæ ſunt voces malignorum ſpirituum inter ſe dolentium, & conquerentium, ſe à poſſeſſis diu ſedibus debere expelli. *n.* VI. Dæmones expelluntur in dedicatione templi. n. Sigebert. an. 871.

CAPVT XX.

TEMPLORVM SANCTITAS QVOMODO A NONNVLLIS EXPOSITA.



QVAMQVAM Templa exactè loquendo, DEI ſolius ſint propria, juxta *D. Auguſtini* doctrinam, *a.* tamen ſecluſo ordine ad ſacrificium (quod incommunicabiliter DEO debetur) dicantur quoque Sanctis templa, & memoriæ; & ad eos ibi venerandos & orandos adeuntur. Porrò templorum ſanctitatem adhibitis varijs analogijs & comparationibus expreſſit *Maximus* Monachus *b.* Eccleſiam enim (& agit de materiali, ſeu de templo) ex *S. Dionyſio*, quem adducit & expendit, DEI optimi maximi eſſe typum & figuram docet; itemq; mundi ex ſubſtantijs viſibilibus & inuiſibilibus compacti, nec non mundi ſenſibilis ex ſolis corporeis ſubſtantijs coagmentati; tandemque hominis ex animâ & corpore conſtituti, & animæ ex gradu rationali & irrationali ſecundùm rationem coaleſcentis. Nam vt in DEO omnia vnum ſunt, & vnitiſſimè colligantur tamquam in ſuâ ſupremâ cauſſâ; ita in Eccleſiâ fideles cuiuſuis, ordinis ætatis, ſexus, linguæ, & nationis, adunantur in vnâ fidei profeſſione, è quâ exiſtit *cor vnum, & anima vna*, in perſonis morum & locorum diuerſitate diſiunctiſſimis. I. a. Lib. 8. de Ciuit. c. vlt. Templorũ ſanctitas quibus rebus comparetur. b. De myſtag. Eccleſ. cap. 2. 3. 4. 5. & 6.

Ceteræ comparationes, ferè nituntur bimembri templorum diſtinctione, ſaluâ vnitate. Nam in vnâ (quo ad ædificij coniunctionem) domo pars duplex eſt: altera quæ *Sacrarium* dicitur, II. Templum bifariam diſtinguitur.

 ſoliſque

ſolisque Sacerdotibus & miniſtris attribuitur, juxta *Maximum*, Græcè ἱερατεῖον; altera quæ ναὸς, & toti populo æquè patet. Prior igitur templi pars ſubſtantias intellectu ſolo perceptibiles; Poſterior corporeas & ſenſum quoque ferientes perbellè refert: atque ita mundus ex duplici illo partium genere coagmentatus, non incommodè in templo adumbratur. Id quod æquè de ſolo mundo viſibili affirmari poteſt: Nam cælum, veluti *Sacrarium* eſt: Regio verò elementaris reliquo templo reſpondet. Eodem modo exponenda eſt Eccleſiæ ad hominem proportio: Anima ſiquidem eſt veluti *Sacrarium*, in quo mens, eſt diuinum altare: Corpus, reliquum templum refert. Rurſus in animâ penes varios eius gradus, compoſitionem quamdam rationis agnoſcere licet ſecundùm quam prædicta proportio locum habeat: Nimirùm ſi anima prout intelligens, cum ſacrario; prout autem animalis & libertate carens, cum templi naue componatur. Iſta fuſiſſimè ad templi ſanctitatem, per ea quorum ſymbolum eſt, exprimendam, proſequitur citatis capitibus *Maximus*, affundens lucem *S. Dionyſio*, qui ea perpaucis attigerat.

III. c. Contra Vald. c. 12.

Aliam quoq; Eccleſiæ materialis, ſiue Templi; & ſpiritualis, quæ corpus *Chriſti* eſt, analogiam, pulchrè his verbis tradit *Bernardus* Abbas: c. *Manifeſtum eſt tum Auctoritate Apoſtoli, tum inductione perſcriptorum ſimilium, Eccleſiam dici tam domum orationis, quàm conuocationem fidelium. In Eccleſiâ enim materiali, varietas ſiue multitudo lapidum, aut lignorum, ſignificat diuerſos ordines fidelium: Pauimentum & tectum, ſubditos & Prælatos: feneſtræ per quas lux cæli infunditur, doctores per quos ceteri fideles illuſtrantur; qui luce feruoris Dei illuminantur. Fundamentum, quod totum pondus Eccleſiæ ſuſtinet,* Chriſtus *eſt qui mores noſtros ſuſtinet; oſtium, fides: Altare,* DEVS: *Latitudo Eccleſiæ, Charitas: alitudo, ſpes: longitudo, perſeuerantia: Lampades, ſeu candelæ, ſcripturæ, ſiue virtutes: Cymbala, ſignum iubilationis. Cùm ergò materialis Eccleſia ſignificet ſpiritualem, non inconuenienter nomen eius accipit, quia plerumque ſignum cenſetur nomine rei, cuius eſt ſignum.*

IV. Ad quem finem con-

Commodiùs tamen pertingemus ad propoſitum ſcopum detegendi Eccleſiæ ſanctitudinem, ac decorem primarium domus

DEI,

DEI, si Ecclesiam absolutè considerantes, quorsum fabricata sit, si cui fini addicta, deprehendamus. *Iudæi* plerique (vt erant ingenio pingues, ac obesi animo) templum *Hierosolymitanum*, quod illis vnicum erat, in eum finem conditum arbitrabantur, vt esset domus DEI: quo nomine Scriptura ipsa persæpe templum nominat, & ex vsu *Christiano* jam olim ita vocata templa habet *Zeno Veronensis*. d. Videndus *Heraldus* ad *B. Arnobij*. Porrò ijdem *Iudæi* de domo DEI non secùs philosophabantur, ac de cuiusdam hominis domo, quia eâ concludatur, ibique diuersetur eius finitus septus. Non secus enim *Iudæorum* plerosque, DEVM finibus templi *Hierosolymitani* conclusisse testantur *Hilarius*, e. *Hieronymus*, f. & *Cyrillus Alex.* g. Quamquam *S. Chrysostomus*, h. errorem illum non communiter *Iudæorum*, sed dumtaxat *Samaritanorum*, qui à veris *Iudæis* schismate scissi erant, fuisse confirmat.

struʃta sit Ecclesia.

d. In Psal. 126.

e. 2. Trinit.
f. c. 66. Isai.
g. l. 2. in Iulian.
h. Hom. 32. in Ioan.

V.

In Ethnicis DEOS suos templo concludentibus, idem damnat *Arnobius*: i. Hæc tamen hominum carnalibus sensibus deditorum, nec DEVM ipsum nisi animaliter cogitantium, æquè stulta ac sacrilega deliria, vt *S. Fulgentius* contra Sermonem *Fastidiosi* rectè pronuntiauit, procul amandanda sunt: æquè ac contraria blasphemia *Valdensium*, quos *Ebrardus* k. refert, negasse DEVM inexistere substantialiter templis materialibus, cùm Apostolus disertè dicat: l. *DEVS non in manufactis templis habitat.* Quod ab Apostolo verissimè dictum de inhabitatione per localem conclusionem, qualem diximus *Iudæos* quosdam somniasse; ab his nugiuendis trahitur ad conflandam localem DEI finitatem, per exclusionem ab ædibus sacris. Ita enim DEVS templo inexistit, vt tamen eo non concludatur, nec in eo habitet, vt homo in domo suâ cuius finibus continetur, nec vltrà porrigitur. Quamuis per aliquam analogiam, dicatur DEVS habitare in templo, quia ibi libentiùs conuenitur, faciliusque ad eum patet accessus, cùm interpellandus est in necessitatibus.

i. Lib. 6.

k. Cap. 4.

l. Act. 7. & 17.

VI. Angelorum præsentia.

Nec præsentia Angelorum reuerenter in templo astantium, exiguum est motiuum reuerentiæ, homuncionibus. Assiduos quippe & omnino multos esse in Ecclesijs Angelos, tradunt *Origenes*,

m. Hom. 23. in Luc. n. In Eccles. Mystag. cap. 24.

nes, *m.* & *Maximus*, *n.* Eorum igitur præsentia, & scilicet summa in sacris ædibus reuerentia, mortalium hac in parte oscitantiam interpellat, jungit hoc motiuum ceteris *Stephanus* in egregia concione, cuius partem recitat *Anastasius* in eius vitâ his verbis. *Filiationem vestram, Charissimi commonemus, vt conuenientes ad sacratissimum DEI templum, id diligenter pertractare studeatis, ad quod venistis. Si enim veraciter templum DEI esse creditis illud ad quod conuenitis, id procul dubio inibi operari debetis, quod ei placeat, cuius templum est, ad quod conueneratis. Cùm enim vbiq; DEVS sit, in suo tamen templo specialiter debet requiri, & quantum ipse inspirare dignatus fuerit inibi, quod ei placeat, debet expeti. Est igitur misericors DEVS, ita tamen suam misericordiam vnicuique disponit impertiri, vt rogantibus eam tribuat, non ingratis: & tantò largiori illam tribuat vnicuique pietate, quantò maioribus gemitibus & ardentiori animo fuerit à quolibet deprecatus, sicut ipse dicit:* Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. *Est namq; templum DEI, locus orationis*, &c. Et multò plura ibi egregiè.

VII. Detestatio immundorum in Ecclesiâ oculorum.

Igitur plurimùm detestanda est peruersitas, quâ mulieres ad locum & tempus orationis conueniunt, ad inescandos spectatores, & ad peccati illecebram subministrandam: quod fecisse *Mariam* adhuc *Ægyptiacam*, habent eius acta, eademque fortassis ex caussâ, anno 1131. mulier *Laudunensis* in celeberrimo conuentu, ter conata templum subire, ter diuinitùs est reiecta; nec priùs ingredi potuit, quàm confessa de peccatis, mutasset mentem. Rem gestam narrat eo anno Auctor Chronici B. Virginis. Hæc igitur lupa fortassis eodem animo inescandi ad libidinem, quo *Maria Ægypiaca* templum adibat. Eumque fuisse olim inter Ethnicos finem pomparum omnium vt luxuriæ negotiaretur, vel gloria insolesceret per mutuum videre ac videri, dixit *Tertullianus*, addens, has procedendi caussas deesse *Christianis* mulieribus. Similiterque *S. Augustinus* grauiter monet, cauendum esse mulieribus ne Ecclesiam adeant ostentandi in eâ fœni sui gratiâ, quod ait esse in domo vitæ mortem quærere, & vt aliâ occasione ait *Tertullianus*, *deputare occasionem Luxuriæ*.

Lib. de cultu fem. c. 11. Serm. 246. de temp.

Cap. 35. Apolog.

VIII.

*S*anè multi *Christiani*, in templis & super ipsa sacra hoc tempore,

pore, non modò feriuntur obtutibus tamquam telis ex improuiso intorris, sed ea sibi tela vltrò accersunt, & volentes feriuntur ac etiam feriunt. Grauissimè planè, in hanc indignissimam, & nimium quantum frequentem indignitatem conclamat *Chrysostomus* aduersus eos agens qui muliebres formas in templo consectantur; adductis illis verbis: *Dirigatur oratio mea, sicut incensam in conspectu tuo*, subdit. *Quòd si non incensum, sed mordacissimus abs te, ac grauiter olens fumus ascendet, quibus supplicijs dignus eris? Quis autem iste fumus est tam grauis, tamq; molestus? Multi ad formas mulierum aspiciendas, ad adolescentulorum pulchritudinem curiosiùs intuendam in Ecclesiam veniunt. Deinde non miraris, quomodo vndique fulmina non deferuntur, quomodo cuncta funditùs non euertuntur? Hæc enim non fulminibus solùm, sed etiam gehennæ supplicio dignissima. Verùm DEVS cùm longanimus, & misericors sit, vt ad pœnitentiam, te adducat, iram suam intereà retinet. Quid facis homo? mulierum speciem curiosiùs in Ecclesiâ perscrutaris, nec horescis tantâ templum Dei afficiens contumeliâ. Prostibulumnè tibi videtur Ecclesia, & foro ignobilior? Nam in foro erubescis, etiam times, ne quis te videat mulierem sectari: in Ecclesiâ verò Dei, cùm ipse Deus te alloquatur, & ab istis deterreat; eo ipso tempore maximè fornicatione, ac adulterio vteris, quo tibi magnâ voce intonatur, vt ab his fugias, nec horrescis, nec stupes?* Hom. 74. in Matth. Psal. 140.

IX. Cur ædificata templa? Ædificantur enim templa ad exhibendum DEO cultum, præsertim supremum per sacrificium. Item ad orandum, & ad Martyrum corpora condenda, & denique ad pabulum sacramentorum & Verbi DEI, ministrandum familiæ *Christi*, per fideles dispensatores, constitutos diuinitùs ad dandũ ei cibum in tempore. Hoc est, locum esse DEO consecratum, & esse domum DEI, quam diximus esse templi Christiani notionem. Colligere hinc possumus cum *Ruperto*, quàm verè de Ecclesiâ Christianâ dicatur: *Terribilis est locus iste.* Æstimanda siquidẽ vt plurimùm, in templis *Christianis*, præsentia Corporis *Christi*. *Cogita apud te*, inquit Chrysostomus, *quanta tibi sanctitate opus sit, qui signa multò maiora acceperis, quã qui sancta sanctorum tunc acceperunt. Neq; enim Cherubim, sed ipsorum Cherubim Dominum habes inhabitantem, neque vrnam, & manna, & tabulas* Lib. 7. in Gen. c. 25. In Psal. 133.

tabulas lapideas, & virgam Aaron, *sed corpus & sanguinem Dominicum, & spiritum pro litterâ, & gratiam quæ superat humanam cogitationem, & donum inenarrabile. Quò autem maioribus signis ac symbolis, & magis venerandis sacramentis dignatus es, eò maior est à te præstanda sanctitas, & eò eris maiori obnoxius supplicio, si quæ justa sunt, transilias.* Similiter & planè luculenter argumentatum in hanc rem video *S. Odonem*, vbi facta contentione reuerentiæ, quam *Moyses* exhibuit loco sancto in quo stabat ob ignis Typici præsentiam, cum irreuerentiâ *Christianorum* in templis, quibus inest corpus *Christi* in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis, ostendit, tantò auctiorem deberi templis nostris reuerentiam, quantò verum *Christi* corpus igni Typico antecellit.

Lib. 2. collat. c. 11.

CAPVT XXI.

TEMPLORVM IMMVNITAS APVD CHRISTIANOS.

I. Omnes gentes immunitatem templorũ obseruabant.



INTER priuilegia religionis in fauorem diuini cultus introducta, illud non minimum putandum, quòd omnes Nationes, cuiuscumque sectæ aut religionis, tantum tribuerint Numini supremo & DEO, vt ad suam tutelam confugientes, & supplices, inuiolabiles, & à vi immunes conseruarint: & eos qui violassent, dignos irâ DEI & pœnis arbitrati fuerint. De *Christianorum* templorum immunitate & asylo constat ex Iure communi, confugientes ad Ecclesias, inuitos inde extrahi non posse.

II. Christianis omnia loca sacra pro asylo sunt.

Nunc igitur in lege Euangelicâ, Reis & sontibus Asyla sunt omnes Ecclesiæ, cœmeteria, domus religiosæ, & Ecclesiasticæ; ita vt plura sint nobis asyla, quàm *Iudæis* olim. Quin his dumtaxat asyla erant pro homicidis inuoluntarijs: poterantque extrahi ab Asylo, vt eorum caussa ventilaretur: At *Christianis* asyla hæc conceduntur pro omni pænè crimine, & periculo. Sunt tamen quædam, quibus jus asyli negatur; vt sunt, raptus virginum, blasphemia, sacrilegia, Latrocinia publica. De quibus separatim agemus in sequentibus.

Quibus jus asyli negetur.

Olim

Olim tamen jus aſyli erat cæremoniale & judiciale, ideoque vt ſic abrogatum in lege nouâ, vt in quâ dumtaxat eſt merè humanum, à Pontificibus, Imperatoribus, Regibus conſtitutum, cùm ob reuerentiam locorũ ſacrorum, immò Dei ipſius, cui ea ſunt ſacrata: tum ad miſericordiam illius declarandam. III. Quale apud Chriſtianos?

Quin *Alaricus* & *Gothi* captâ *Româ*, parcebant fugientibus ad Eccleſias. Immò cùm *Gothus* quidam ſacra vaſa apud virginem conſecratam reperiſſet, illaque ei diceret; *Hæc vaſa mihi de ſacrario B. Petri ſunt commiſſa, Tange ſi audes: ego ſacra tibi dare non audeo*: Ille ad nomen Apoſtoli exterritus, Regi nuntiauit. Qui ociùs ad ſacrarium *S. Petri* vniuerſa referri mandauit, dicens: cum *Romanis* ſe bellum gerere, non cum Apoſtolis IESV CHRISTI. *a.* IV. Ipſi Gothi parcebant Eccleſiis.

a. Roderic. Tolet. lib. 2. Hiſp. c. 5.

Olim etiam confugientes ad ſacerdotem, deferentem Sacram Euchariſtiam, aſyli priuilegium habebant. *b.* Idem domus Regum & refugia ad illos, jus adferebant aſyli. Sic *Chilpericus* pulſus regno, ad *Ludouicum Lotharingiæ* Regem: *Alphonſus Rex Luſitaniæ*, ad *Tilledam* Regem *Granatæ*: *Zizimius* Imp. Turcarum à *Baiazete* pulſus, ad *Ludouicum II.* *Themiſtocles* ad Regem *Perſarum* olim profugerunt. V.

b. Archid. in cauſ. quæſit. 12. q. 2.

Sacroſanctus fuit olim *Chriſtianis* Baptiſterij locus, vt teſtatur *Euagrius* c. de *Proterio Alexandrinorum* epiſcopo ſcribens: Ipſum, dum necem effugeret, ad ſacroſanctiſſimum baptiſterium ſe recepiſſe. Quo in loco & barbaris, & cunctis ferocibus hominibus reuerentia quædam incutitur. VI. Baptiſterij locus.

c. Lib. 2. c. 8.

Theophilus Imp. tantum *Mariæ* filiæ defunctæ, vxori Cæſaris *Alexij*, honoris detulit, vt cadauer in arcâ argento obductâ repoſuerit, & cuiuſcumque flagitij reis ſepulchrum eius aſylum conſtituerit. *d.* VII.

d. Cedren.

Bonifacius V. Papa Heraclio imperante, inſtituit, vt ad Templa confugientes ſalui eſſent. *e.* VIII.

e. Volat. l. 22 Anthrop. & Platina. & Cranz. lib. 2. Metrop.

Alaricus Gothorum rex, ſub *Honorio* Imp. occupatâ *Româ* edixit, ne eorum corpora ignominiâ vel vulnere afficerent, bonaue diriperent, qui in Apoſtolorum Templa ſe recepiſſent. *f.* IX.

f. Aug. l. 1. & 2. de Ciu. Dei.

Refert *Suidas*, *Eutropium*, *Arcadij* Imp. Cubicularium om- X.

Consilium consultori pessimum.

nis generis facinoribus plenum, cùm vellet etiam eos, qui ad templa confugissent, comprehendere, legem promulgâsse, quâ concederet etiam eos vel ab aris extrahi. Sed eâ lege vix promulgatâ, eum vltionē crudelitatis fuisse consecutum: non enim multo pòst Imperatore offenso, in templū fugit sub altari jacens, inde abstractus noctu capite truncatus fuit. Quod & *Niceph.* refert. *g.*

g. Lib. 13. cap. 4.

XI.

h. l. pateant. 4. de ijs qui ad Eccles. confug l. 9. C. Theod. tit. 45.

Theodosius & *Valentinianus* *h.* legem hanc immunitatis Ecclesiæ constitutione firmarunt, atque pro asylo omnia, quæ Ecclesiâ continentur, vsq; ad extremas fores Ecclesiæ constituerunt fugientibus eò sine armis. Statuta & pœna, vt qui propriâ auctoritate confugientem auulserit, extraxeritúe verberibus affectus rasusque relegetur. Cuius meminit *Constant. Harmenopol.* *i.*

i. Lib. 1. Prompt. Iuris. tit. 9.

XII.

k. Can. miror. 17. q. 4.

D. Augustinus ad *Bonifacium*, *k.* eum qui hominem ad Ecclesiam fugitiuum rapuerat, punit primùm ne eius oblationes à Clericis susciperentur, de hinc communionem interdicit, donec pœnitentiam egisset.

XIII.

Gelasius Papa *cap. frater, ead. q.* reo eiusdem criminis Ecclesiarum omnium inhibet ingressum: ex Concilio *Hilerdensi.* *l.*

l. Can. nullus Clericorum, ead. 17. q. 4.

XIV.

m. Ca. definiuit. ead. quæst.

Concilium *Toletanum XII.* *m.* asylum Ecclesiæ extra Ecclesiam etiam constituit intra 30. passus, vtque non indè extrahantur serui confugientes à dominis, nisi præstitâ cautione, quòd eis iniuriam non inferent ob eam caussam. Quod & aliorum alijs constitutionibus cauetur. *n.*

n. Cap. metuentes. ca. id constituimus, 17. q. 4. li. fin. §. fin. de ijs qui ad Eccles. confug.

XV.

o. tit. de ijs quæ ad legem, de Cleric. occisione statuuntur.

In legibus *Longobardorum*, & in Capitularibus *Caroli Magni*, *o.* statuitur his verbis: *Si quis ad Ecclesiam confugium fecerit, in ipso atrio Ecclesiæ pacem habeat, nec sit necesse Ecclesiam ingredi: & nullus inde per vim eum extrahere præsumat, sed liceat ibi confiteri quid fecit, & inde per manus bonorum hominum ad discussionem in publicum perducatur.*

XVI.

Lucius III. Pontifex *p.* sub anathematis pœnâ vetat ne sæculares

p. In cap. cùm Eccles. 5. de Immunit. lib. 3. tit. 39.

sæculares judices, caussas, vbi de sanguinis effusione, & pœnâ corporali agitur, in Ecclesijs aut cœmiterijs tractent.

Gelasius verò sacrilegium existimat, hominem reum ad sanctuaria confugientem, reluctantem violenter abstrahere, & ideò eos ab omni Ecclesiarum ingressu, qui hoc ausi sunt, prohibet. *q.* XVII.

q. In c. Frater & Coepiscopus cap. 17. q. 4.

In Concilio quoque *Ilerdensi*; *r.* nullus Clericorum seruum aut discipulum suum fugientem ad Ecclesiam, extrahere audeat, vel flagellare præsumat. Quòd si fecerit, donec dignè pœniteat, à loco cui honorem non dedit, segregetur. XVIII.

r. Cap. 8. c. nullus Cler. 9. eadé 17. q. 4.

Et Concilio *Triburiensi.* *s.* *Si quis contumax vel superbus, timorem Dei, vel reuerentiam sanctarum Ecclesiarum non habuerit, & fugientem seruum suum, vel quem ipse persecutus fuerit, de atrio Ecclesiæ, vel de porticibus quolibet modo Ecclesiæ adhærentibus per vim abstraxerit, pro immunitate nongentos solidos Episcopo componat: & ipse publicâ pœnitentiâ, justo judicio Episcopi multetur.*

s. Cap. 20. & in legib. Boiarior. tit. 7. c. Si quis contumax. 20. ead 17. q. 4.

In Iure ciuili exstat constitutio *Honorij* & *Theodosij* c e. *t.* *Fideli deuotaq; deuotione*, inquiunt, *sancimus, nemini licere ad sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere: sub hac videlicet definitione, vt si quisquam contra hanc legem venire tentauerit, sciat se maiestatis crimine esse retinendum.* XIX.

t. In l. 2. de his qui ad Eccles. confug. l. 1. Cod. tit. Fideli.

Et à *Leone* Imp. *u.* supplicium imponitur inuadenti confugam ex Ecclesiâ, pro quo adeundus Episcopus, & Clerici Ecclesiæ, reuerentiâ religionis & loci non violentâ, confirmantur priuilegia Ecclesiarum, Clericorum & confugarum. *x.* XX.

u. In l. præsenti lib. 6, eo tit. cap. supplicium. x. in l. si qua per calum. 22. §. de Episc. & cleric.

Henricus Imp. *Barbarossæ* filius, *Brisacum Austriæ* oppidum, in pauperum refugium, veluti misericordiæ asylum, ædificauit. *y.* XXI.

y. Otho Fris. lib. 7, cap. vlt.

Dongardus Scotorum rex loca omnia *Christo* sacra, per vniuersas *Scotiæ* regiones, asyla effecit, & ad ea confugientes, seruos fugitiuos, sontes quouis crimine reos, ne iudicium subire publicâ cogerentur auctoritate, dum illuc se continerent, regio vetuit edicto, *z.* XXII.

z. H. Boethius l. 18.

XXIII. Sunt hodie in orbe *Christiano*, præsertim apud *Anglos* passim asyla, inquit *Polydorus*, quæ non modò insidias timentibus, sed quibusuis sontibus, etiam maiestatis reis patent: quod facit, vt manifestè appareat, nos id institutum non à *Moyse*, qui illis dumtaxat, qui volentes hominem occidissent, asylum posuit, sed à *Romulo* esse mutuatos. Quæ nempe res haud dubiè in caussâ est, cur benè multi à maleficijs minùs abstineant manus. Quid, quòd templa nostra vbique gentium istiusmodi sceleratis hominibus instar asylorum sunt? & id contrà quàm *Moyses* etiam constituerit, qui *a.* ita sanxit: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, etiam per insidias, ab altari meo auelles eum, vt moriatur.*

Vergilius lib. 3. c. 12. de Inuent. rerum.

a. Exod. 21.

XXIV. *Colnanum* asylum in *Angliâ* abest ab *Abyndoniâ* circiter millia passuum duo: quod perfugio non est illis, qui contra regis maiestatem committunt. *b.*

b. Polyd. lib. 26.

Verùm silentio prætereundũ non est, quod anno IↃ.CLXXXVII. post redemptum orbem *Athelstanus Angliæ* Rex Collegio Canonicorum *Reuerlacensi*, instituto à *Ioanne Eboracensi* Episcopo V. jus asyli concesserit, certæque lapideæ cathedræ quæ ibidem in Ecclesiâ collocatur, annexuerit, cum hac inscriptione: *Hæc sedes lapidea dicitur Freedstoel*, id est, Pacis Cathedra, *ad quam reus fugiendo perueniens, omnimodam habet securitatem. c.*

c. Godebin. in Episc. Angl.

XXV. *Edoardus II.* Anglorum Rex, legem sanciuit, quæ hodie seruatur, vt quoties quis delicti reus ad templum confugeret, in perpetuum exilium eat intra quadraginta dies, & 12. horas (eo enim spatio temporis se æstus Oceani ex alto incitat) nec aliam pœnam patitur, excepto quòd vsque ad littus crucem manu gestat, veluti signum seruatæ per religionem vitæ, teste *Polydoro Vergilio. d.*

d. Lib. 1. Hist Angl. in Henric.

CAPVT XXII.

VIOLATORES IMMVNITATIS ECCLESIASTICÆ PVNITI.

I. ETERVM constitutione innotescit, quàm seuerè in violatores huius immunitatis animaduersum fuerit. Refert *Nicephorus Calistus a.* vindictam diuinam in violatores asyli: *Cùm quidam*, inquit, *Serui ab heris malè tractati ad*

a. Lib. 14. hist. Eccles. cap. 32. Immunitatem Eccle-

ad Ecclesiam confugissent, neque hinc euelli possent, turbantes Clericos, vnum Clericum occiderunt, & postea seipsos: quo tempore cœpit error Nestorij, quidamq; poeta mali ominis, illud factum ijs Iambis prædixit. **siasticam violantes puniti.**

σημεῖα καὶ γὰρ ταῦτα γίγνεσθαι φιλεῖ
ὅταν τι ναοῖς κατασκήψῃ μίσος. Id est.
Assueuit omen ferre triste, sanctius
Si fortè templum polluat piaculum.

II. Exempla. *Nicanor* Deum spernens, & jurans se templum Domini *Libero* patri dicaturum, nisi traderetur *Iudas,* qui ibi erat, interficitur. *b.* Simile exemplum est de *Heliodoro.* *c.* *D. Augustinus d. Bonifacium* Comitem agentem cum *Gothis in Africâ,* Ducem exercitus, quòd confugientem ad Ecclesiam inde abstrahi jussisset, grauiter reprehendit: *Miror,* inquit, *quomodo tam subitò fidei murum aries ruperit inimici. Noui enim quâ religione semper sis Ecclesiam Dei veneratus. Quo instigante, frater, hominem de Ecclesiâ rapuisti? Tuus si de tuo amico fortè præsumeret fugitiuus; posset proculdubio intercessoris caussâ veniam promereri. Ergò si amicus intenditur, cur Deus offenditur? Sed si de potestate præsumitur, Nabuchodonosor Regem intende, qui caussâ superbiæ in bouem est ex homine commutatus. Non vt confundam te, hæc scribo, sed vt filium meum carissimum moneo. Ecclesiæ igitur illæsum reuoca, quem vt irreligiosissimus rapuisti. Oblatio verò domus tuæ à clericis ne suscipiatur indixi, communionemq; tibi interdico, donec peractâ pro ausibus vel errore à me definitâ tibimet pœnitentiâ, & tempore condonato pro hoc facto, corde contrito & humiliato dignum offeras sacrificium Deo.*

b. 2. Mach. 14. c. Ibid c. 3. d. Epist. 6. in ap.

III. Cyriaci Patriarchæ constantia. Anno Domini Iↄ. c. vi. & anno *Phocæ* Imp. *III. Scholasticus* eunuchus, vir religiosus Palatij, *Constantinam* dominam, olim Augustam, coniugem *Mauritij* Imp. cum tribus filiabus eius accipiens ad magnam Ecclesiam confugit, consilio *Germani Patricij* desiderantis Imperium. Fit igitur seditio magna in vrbe. *Germanus* autem *Demarcho Prasinorum* talentum auri misit, vt cooperaretur ei: primores autem vulgi id admittere noluerunt. At verò tyrannus in Ecclesiam ad abstrahendum mulieres destinauit. Sanè Patriarcha *Cyriacus* tunc restitit tyranno, minimè passus è templo tyrannicè abduci mulieres. Verùm juramentis certo eo reddito à

Phocâ, quòd non læderet eas, educuntur è templo, & clauduntur in monasterio. *d.*

d. Ex Theoph. Cedren. Baron. anno 606. n. 3.

IV. Item Marcelli Archimandritæ.

De *Ardaburij* & *Asparis*, quæ erat in illo tempore potentia, nihil est dicendum, neque de crudelitate æquali potentiæ, atque adeò maiori (erant ambo *Ariani* potentissimi, vtpote longo tempore militiæ præfecturis insigniti, ipsi quoque Imperatori timendi.) Hic ergo qui adeò potens erat & crudelis *Ardaburius* irascebatur cuidam ex ijs qui erant in eius potestate, nomine *Ioanni*. Ille verò omnibus alijs, atque adeò ipso Imperatore prætermissis, vt qui non essent satis potentes, vnum nouit refugium, *Marcelli* tabernaculum, ipsum videlicet Accœmetarum cœnobium: & id subit, & in eo latet, tamquam sub aliquo tuto propugnaculo. Ille autem cùm resciuisset, petebat (ad ipsum mittens) hominem sibi tradi. Cùm verò non obtemperaret, cœpit minari. Cùm *Marcellus* autem minas non curaret, ei vim attulit; missisque militibus, & qui viribus valebant (erant multi numero) jussit quærere eum qui confugerat; & si non parêret, vti armis. Atque ille quidem cùm sic jussisset, eos dimisit. Illi autem profecti, & verbis, vti jussi erant, vsi; quoniam non parebat, monasterium circumsidebant: hæc facta sunt vespere. Magnus verò *Marcellus* rogauit eos, an vellent manere, & se ijs dixit alimenta daturum. Cùm autem mansissent, suppeditauit alimenta, & res ita quidẽ transijt vsq; ad vesperam. Cùm autem nox aduentâsset, qui foris quidẽ erant, enses jam quatiebant terribiliter: Monachi autem hæc videntes & audientes, Sanctum circumsistentes, pro ensibus eum verbis feriebant: Quid ergò, dicentes, tibi omnes propter vnum peribimus? idq; morte violentâ & acerbâ? & tuis filijs erit tibi præferendus externus? Et tibi à fundamentis cum templo peribit monasterium? Non dimittes, non citò præbebis eum qui quæritur, qui malis huc peruenit pedibus? Cùm sic per totam noctem eum & hostes amici etiam acriter inuaderent; tempusque frustrà contereretur, & supplex non traderetur; manè autem statuissent milites vti gladijs, & jam essent aggressuri: tunc *Christi* athleta suam obiecit potentiam. Eis verò præter opinionem apparet aduersaria, non

phalanx

phalanx quidem, ſed diuina quædam & cæleſtis potentia in orbem ab igne circumſcripta, & arma inexpugnabilia, nempe *Crucis Chriſti* imaginem in medio ferens, longè magis refulgentem, quàm ignis qui erat circumcirca. Hæc ergò terribilis potentia, quæ apparuerat; ex ipſo faſtigio monaſterij emittebat grauia tela aduerſùm milites, quæ quidem erant ignis fulgura intolerabilia. Quibus cùm non ſolùm non reſiſtere, ſed nec ea quidem contrà intueri poſſent: gladios in terram proiecerunt, & ipſi ceciderunt, & voces ad DEVM placandum accommodatas, prout quiſque poterat, emittebant. Quas cùm hi qui intus erant ſenſiſſent, canere cœperunt, & fuerunt ipſi quoque teſtes miraculi quod euenerat præter opinionem. Hoc effecit, vt crudeliſſimus *Ardaburius* ſuorum morum obliuiſceretur: & cauſſa fuit, vt præter ſententiam benignus videretur, irâ in *Ioannem* remiſsâ. *e.*

e. Exact. Marcell. Archiman. Metaph. & Sur. 29. Dec. cap. 33.

V.

Huius rei occaſione factum putat *Baronius*, vt *Leo* Imperator egregiam hanc ſanctionem de immunitate confugientium ad Eccleſiam hoc ipſo anno promulgauerit, ita reſcribens ad *Erythreum* Præfectum prætorio: *Præſenti lege decernimus per omnia loca valiturâ (exceptâ hac vrbe regiâ, in quâ nos diuinitate propriâ degentes quoties vſus exegerit, inuocati, ſingulis cauſſis atque perſonis præſentanea conſtituta præſtamus) nullos penitus, cuiuſcumque conditionis ſint, de ſacroſanctis Eccleſijs Ortodoxæ fidei expelli aut trahi, vel protrahi confugas; nec pro his venerabiles Epiſcopos, vel religioſos Oeconomos exigi, quæ ab ipſis debeantur.*

VI. Milites à Leopardis puniti ob violatam Eccleſiæ immunitatem.

Anno. CCCXCVI. cùm Conſulatus ſui tempore Imperator *Honorius* in vrbe *Mediolanenſi Libycarum* ferarum exhiberet munus, populo illuc concurrente, data copia eſt miſſis militibus ab *Stilicone* Com. hortatu *Euſ.* Præfecti, vt *Creſconius* de Eccleſiâ raperetur. Quem confugientē ad altare Domini, ſanctus Epiſcopus cùm clericis, qui in tempore aderant, defendendum circumdedit. Sed multitudo militum, quæ duces ſuos habebat de perfidiâ *Arianorum*, præualuit aduerſus paucos; atque ablato *Creſconio*, exultantes ad amphitheatrum reuerterunt, Eccleſiæ luctum non modicum relinquentes. Nam ſacerdos proſtratus ante altare Dei factum diu fleuit. Sed in tempore, cùm reuertiſſent & renuntiaſſent

ſent eis à quibus fuerant deſtinati milites, dimiſſi leopardi, ſaltu celeri ad eumdem locum, in quo ſederant qui de Eccleſiâ triumphabant, aſcendentes grauiter laniatos reliquerunt. Quod vbi vidit tunc *Stilico* Comes, pœnitentiâ motus eſt, ita vt per multos dies ſatisfaceret ſacerdoti. Et illæſum quidem illum, qui ablatus fuerat, dimiſerat: ſed & quia grauiſſimorum criminum erat reus, & aliter emendari non poterat, ad exilium deſtinatur, non multò pòſt indulgentiâ proſequente. *f.*

f. Paulin. in vitâ S. Ambr. Bar. t. 5.

VII. Benedictus Hungarus grauiſsimè punitus.

Anno CIↃXCV. obijt *Ladiſlaus* Rex *Hungariæ*, quem *Hungari* ſanctum eſſe volunt. Reliquit autem duos fratres *Almum* & *Colomannum*. *Almum* Regem deſtinat *Preſſius*, quòd *Colomannus* ſanguinarius eſſet: *Almus* tamen jure primogenituræ fratrem præferens, Ducatum accepit. Hic Rex factus *Almum* perſequi ſæpè tentat, ſed illos ſemper Principes conciliauerunt. Tandem confirmatâ per Imperatorem inter eos pace, Rex cepit Ducem *Almum*, & filium eius *Belam* infantulum, & excæcauit eos. Sed & *Belam* infantulum præcepit caſtrari. Satelles autem timens DEVM, catellum caſtrauit, & teſticulos eius Regi præſentauit. Idem Rex plures nobiles excæcauit, poſtea cœpit ægrotare vſque ad mortem, & conſilio habito fecit apprehendi Ducem, ne fortè ſibi ſuccederet etiam cæcus. Præſenſit *Almus*, profugit in monaſterium, & manu altare comprehendit. *Benedictus* autem quidam à rege miſſus ſacrilegas manus in eum iniecit: & dum conaretur eum extrahere, diuulſa eſt manus ducis, & infectum altare ſanguine. Territus ſacrilegus equum conſcendit exiens, & in viâ cadens de equo, ceruice fractâ, expirauit, ac à canibus voratus eſt. *g.*

g. Naucl. vol. 2. Chronogr. gen. 37.

VIII. Veremundus Rex cum populo fame punitus.

Circa annum Domini milleſimum *Veremundus II. Legionis* & *Aſturum* Rex, à ſuſurrone deceptus, præcepit capi *Gudeſteum* Epiſcopum *Ouetenſem*; ſed vt tantum nefas non procederet impunitum, facta eſt ſiccitas magna in terrâ, ita quòd totus populus ciborum penuriâ arctabatur: Cumque quibuſdam fuiſſet à Domino reuelatum, famem propter iniuriam Epiſcopi accidiſſe, & Regi eſſet reuelatio intimata, confeſtim abſoluit Epiſcopum, & per *Semenum Aſturicenſem* Epiſcopum, cui Rex Epiſcopum commendauerat,

uerat, fecit restitui *Gudesteum*, & statim Dominus pluuiam volun- tariam segregauit, & terra attulit fructus suos. Tunc Rex *Veremundus* corde compunctus Ecclesiam beati *Iacobi*, & cetera loca quæ *Almanzor* profanarat diripens, prout potuit, restaurauit, & bonis operibus, & eleemosynis jam intentus, de commissis cum consilio Prælatorum, pœnitentiam agere satagebat, & in villâ quæ est in *Berizo*, moritur & sepelitur. *h.* h. Roderic. Tol. l.5.c.17. Vasæus an. 982. Cranz. lib.5.c.21.

IX. Matrona quædam, *Misnensis* diœceseos, ex villâ *Pretzendorpff* propè *Fribergam*, nostrâ hac tempestate dæmonio arrepta, ad sepulchrum diui *Bennonis* adducta, cùm nullis dæmon exorcismis ab eâ fugari posset, inducta est tandem diui *Bennonis* casula, & datus in manu baculus pastoralis, quo facto, exclamauit dæmon: Nunc tempus est vt egrediar: relinquam tamen hospitæ meæ signum, quo mei perpetuò meminerit: moxque aperto altero mulieris crure, terribiliter elisum est. Foramen autem quod ille fecerat, nullâ medicorum arte sanabile mulier adhuc hodie gestat, & vt timendum est, donec vixerit non abolebitur. Prætereà, vt pius erga supplices, ita seuerus in obstinatos diuus pater juxta promissa sua sæpius inuentus est. Marchionem enim *Wilhelmum*, eum qui *Grymnis* mortuus est, cùm Præpositus olim *Misnensis*, *Brutenus* nomine, sæpè adhortatus esset, vt ab exactionibus, & seruitijs, quibus colonos ac subditos Ecclesiæ *Misnensis* præter jus ac consuetudinem prægrauabat, desisteret, nec eum ab incœpto posset deflectere, ad auxilium tandem diui *Bennonis* confugit, qui exoratus tandem assiduis Præpositi precibus, Marchioni in somnis apparuit, arguens & commonefaciens ad remittenda iniusta grauamina. Cùmque is consiliariorum suorum suasu, dicentium non esse curanda somniorum deliramenta, in nullo se emendaret, aliâ vice per quietem iterum visus est sibi *Benno* irruere, & face, quam manu gestabat, alterum ocellum inurere. Qui manè surgens & eluscatum se sentiens, tandem compunctus corde, Ecclesiæ *Misnensi* non solùm data resarciuit damna, verùm insuper multa contulit donaria, quibus, vt sperandum est, benedictionem pro maledictione à Deo promeruit. Legitur tamen tam hunc, quàm diui *Bennonis* percussorem, spe prolis à Deo frustratos absque legitimo

Marchio Misnensis punitus.

D. Benno apparet in somnis.

 gitimo

i. Invit. S. Bennon. c. 32. Sur. 16. Iunij. Bredenb. lib. 5. cap. 54.

gitimo decessisse herede, in pœnam læsæ Ecclesiasticæ libertatis. *i.*

X. Sanctius R. punitus ob aprum læsum qui ad aram confugerat.

De *Sanctio* maiore *Castellæ* atque *Nauarræ* Rege omnes ferè rerum *Hispanicarum* scriptores ferunt, quòd cùm die quadam in venatione aprum insectaretur, ille fatigatus, intra obuios parietes, qui supererant memoriæ *S. Antonini* martyris, se recepit, apud relictam ibi sacram aram consistens, tutum asylum, Angelorum custodiâ vallari consuetum. Sic juxta illud oraculum: *Homines & jumenta saluabis Domine.* Cùm Rex venabulo illum appeteret, eleuatum brachium ad feriendum mox torpedine redditum sentit inutile: sed reatum agnoscens, martyrem deprecatus, ad pristinum vsum sensit diuinitùs reuocatum, didicitque suo damno, quanta deberetur locis sacris immunitas, etiamsi corruisse visa fuissent, vt nec bestiam illuc fugientem lædere licuisset. *k.*

k. Bar. an. 1032. ex Roder. Tolet. l. 6. c. 6.

XI.

Fuêre non pauci mortales, qui Comitis *Sarisberiensis Angli*, cùm genere tum bellicâ laude illustris, mortem in obsidione *Aurelianensi*, in religionem verterent, & diuinam esse iram interpretarentur, quòd & neglecto iureiurando, quo duci *Aurelianorum* in *Angliâ* captiuo fidem suam obstrinxerat, vrbes *Aureliæ* ditionis fore incolumes, ipsam tamen vrbē *Aureliam* oppugnasset, & quòd sacrilegâ manu, donaria antiquitùs dicata templis, & religiosè vsque in eam diem custodita, non cunctanter auferret, resque pretiosas in cœnobijs absconditas, suam esse prædam diceret. Postremò quòd expilato fano diuæ MARIÆ *Cleriacæ*, aurea argenteaque donaria, nefando auaritiæ genere, in scyphos & pateras conflasset. Hæc erant præter vasa altaribus dicata, statuæ paruæ, simulachra periculorum, omniumque humanorum membrorum effigies, sicuti ea religiosi mortales voto pro salute suscepto exoluerant. Idque ingenti cum luctu multorum, mulierumque præsertim crebis eiulatibus, quæ pietatis causâ conceptis votis imaginem illam diuæ MARIÆ inuisere atque venerari consueuerunt. Ita *Ioan. Ludouicus Muquellus.*

CAPVT

CAPVT XXIII.

QVI IMMVNITATE ECCLESIÆ NON GAVDEANT.



LEx Dei est: *a. Si quis per industriam occiderit proximum suum etiam per insidias, ab altari meo euelles eum vt moriatur. b.* Iuxta quam repelluntur ab Ecclesiæ asylo, Latrones, qui vias obsident, depopulatores nocturni agrorum, quia per insidias delinquunt. *c.* Excipitur & publicus Latro. *d.* Sententia autem *Philonis Iudæi, e.* de jure asylorum impijs denegando, digna est, quæ hîc adscribatur: *Homicidæ,* inquit, *censendi sunt, non solùm qui interimunt, sed etiam qui nihil non conantur clamq́ palamq́ vt interficiant, etiamsi non perpetrauerint facinus. Quòd si præ metu vel audaciâ vitijs contrarijs in templum irrumpere tentauerint, impunitatis prohibendæ gratiâ, impediendi sunt: sin autem jam surrepserunt, dedendi sunt ad supplicium cum hoc præconio:* Hominibus nefarijs in fano jus asyli non deberi. *Nam quisquis malum dat incurabile, inimicus est Deo. Homicida autem lædit immedicabiliter, quia occisus non potest in integrum restitui: pollutos verò ineluibili scelere abluendo nullâ morâ temporis, dignabimur aditu sacrarum ædium, quos nec priuata quidem domus honesti viri, & sanctitatem amantis admitteret, &c.* quæ ibi copiosè & eruditè in hanc rem expenduntur. I.

Casus quidam excepti sunt apud aliquas nationes, vel ex more, vel ex lege, in quibus jus asyli non habeat locum, nec immunitas. II.

Et primùm impunè licet ad Ecclesias confugientes educere, si alieni à religione, quæ eo in templo colitur, sint: veluti si *Iudæi* ad Ecclesias confugerint. *f.* Si excommunicati, hæretici, & alij quos prosequitur *Nicolaus Boerius. g.*

Olim etiam serui adscriptitijque coloni ab aris submouebantur, & dominis reddebantur *h.* quod posteà temperatum est. *i.*

Cicero k. meminit *M. Aurelium Scaurum* euocâsse *Rom.* in in judicium *Periclem Ephesium* hominem, quòd is *Ephesi* se quæstorem vi prohibitum esse dicebat, quò minùs è fano *Dianæ* seruum suum, qui in illud asylum confugisset, abduceret, & is author injuriæ diceretur.

a. Exod. 21. vers. 14.
b. Relat. in c. de homic. l. 5. tit. 12.
c. C. inter alia 6. de immunit. Eccles.
d. in c. sicut antiquitus 6. 17. q. 4.
e. Lib. de spec. legib.
f. l. 1. de ijs qui ad Eccles. confug.
g. decis. 310
h. Lib. 3. ad tit. de ijs qui ad Eccles.
i. lib. fin. C. eo tit.
k. 3. in Verrem.

III. Euelli *Salomon* jussit à cornu altaris *Ioab*, & interfici, quia proditor maiestatis fuisset. *l.*

Lege quoque diuinâ & humanâ iustum visum est, atrociter delinquentes, veluti, adulteros, homicidas, raptores, & id genus, ab aris submoueri ad quas confugerint, & in supplicium abduci. Etenim legis auxilio indigni sunt, qui in legem peccant. *m.* Extat constitutio *Francisci I. Galliarum* Regis. *n.* quâ prohibentur immunitates Ecclesiarum pro debitis, alijsque caussis ciuilibus, vel alijs quibus prehensio decreta est personæ.

Ioannes Lucius o. placuisse memorat Senatui *Parisiensi*, ob æs alienum nexui corporis & fortunarum obligatum, in loco sacro comprehendi posse. Denegatur immunitas ijs, qui rei sunt tributorum publicorum, ea namque & vtilia templis sunt. *p.* Item Curialibus & apparitoribus qui fiscalia intercipiunt, vt statuitur in edicto *Iustiniani X.*

Non gaudent etiam immunitate Ecclesiarum sacrilegi; *q.* quique Ecclesiam violarunt, & alios eò confugientes extraxerunt. effractores carcerum, non damnati à judice, neque ij qui jam comprehensi vel ab administris judicij, vel alijs insecuti, vt comprehenderentur, ad Ecclesias confugiunt. Vide plura apud Boërium. *s.*

l. 3. Reg. 2. m. Deut. 19. Num. 35. Ios. 20. & §. neque autem homicid. de mand. prin. coll. 3. tit. 4. & l. auxil. de minor. in P. L. si fine, ad S. C. Velleian. C. l. 2. si minor se maior. dixe. l. ij qui sanctâ, de Apost. C. n. An. 1539. art. 166.

IV. In *Galliâ* & *Alemaniâ* secundùm *Papiensem*, confugiens ad Ecclesiam non gaudet immunitate: at *Chassaneus Pictauij* vidisse se gaudere confugientem damnatum morte testatur.


Certè in *Germaniâ* etiam extra Ecclesias plurima asyla reperire est, ex priuilegio Cæsarum, Regum aliorumque Principum. In legibus capitularibus *Caroli Magni*, *t.* homicidæ ceterique rei, qui per leges mori debent, ad Ecclesiam confugientes non excusantur, nec permittitur eisdem ibidem victum præbere. Idipsum statuitur in legibus *Longobardorum. u.*

o. Lib. 1. placit. Cur. tit. 2. Plac. fin. p. §. public. verò trib. de mand. princ. col. 3. tit. 4. q. C. fin. de immunit. Eccles. c. fin &c. de sent. excom. r. Cap. frater & can. ad Episcop. 17. q. 4. s. Deci. 110. n. 9. & 10. t. Cap. 8. u. tit. de reuer. Eccles.

CAPVT

CAPVT XXIV.

QVOMODO TRACTANDI, QVI SIC AB ECCLESIA EVELLVNTVR.


VAMVIS plura crimina immunitate Ecclesiæ non gaudeant, tamen seruandum esse modum suggerit *Tolosanus*. *a*. vt quando educuntur rei criminum ex Ecclesiâ inuiti, idipsum fiat sine tumultu, aut scandalo sacrorum, propter reuerentiam Numinis; neque excusandos puto impios, vel crudeles satellites, qui prętextu mandati judicialis capiendi aliquos in locis etiam sacris, insolentiùs quàm reuerentia loci postulet, se gesserint: ne videantur *Christiani* inferiores in veri DEI cultu, & irreuerentiores ipsis *Ethnicis* in templorum suorum & idolorum religione conseruandâ, eiusque rei gratiâ non pigebit exempla referre, & in primis SIBYLLÆ oraculum, quod habetur 3. *oraculorum eius*. I.

a. Lib. 13. de Repub. c. 23. n. 31

Quomodo rei educendi ab Ecclesijs.

Muri affabre facti in terram cadent omnes
Hominum inimicorum, qui legem non agnoscunt
Nec judicium magnum DEI, sed insipientes mente
Omnes impetu adacti leuantes contra sacrum lanceas sunt.
Judicat DEVS omnes bello & gladio,
Et igne & pruinâ demergente & inundante; & erit
Sulphur è cælo, sed & lapis & grando
Multa & grauis, & mors in quadrupedibus erit:
Et tunc cognoscent DEVM immortalem qui hæc omnia fecit.

E græco conuersum

Sunt sacrilegi reputati qui res in templo depositas etiam non sacras, de sacro loco rapiunt. *b*. Vt etiam aues, quæ ibidem nidum habent, olim periculum fuerit eijcere, multo magis vt homines eò conuenientes supplices, quò pertinet oraculum de quo meminit *Herodotus*: *c*. *Cùm enim*, inquit, *Pactios profugus Cumæ templum supplex ingressus fuisset, & Aristidicus Cumæorum nobilis templum circumiens passeres aliasq́; auiculas, quæ fortè in templo nidulabantur, è nidis exemisset, vox ex adyto audita tunc ad Aristidicum: Hominum scelestissime, quænam libido te incessit, vt auderes meos supplices diripere?* II.

b. 21. c. si quis. 17. q. 4.

c. Lib. 1.

Exstat

III. Quinam non gaudeant immunitate Eccles. ex constit. Gregorij 14

Exstat Constitutio *Gregorij XIV.* declarans quinam confugientes ad Ecclesiam immunitate gaudere non debeant, & quis modus seruandus in illis extrahendis. Disponit autem & laicis ad Ecclesias locaque sacra confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores qui itinera frequentata & stratas publicas obsident, ac viatores ex insidijs aggrediuntur: aut agrorum depopulatores: quiúe homicidia aut membrorum mutilationes in ipsâ Ecclesiâ aut cœmeterijs committere non verentur: aut qui proditoriè alium occiderit, aut Assasini, aut hæresis aut læsæ maiestatis in persona ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Sed qui talia delicta commisisse videbuntur, quando à Curiâ Sæculari Episcopi fuerint requisiti, extrahantur, & ad carcerem Episcopi traducantur, nec sæculari Curiæ aut potestati consignentur, nisi Epicopus, aut ab eo deputatus, de crimine cognoscat an verè tale sit: & tum demum tradentur de ipsius Episcopi mandato. Et sæculares secus facientes incurrunt pœnas & censuras contra infractores immunitatis Ecclesiasticæ latas.

IV. d. Sess. 25. cap. 20. e. 21. Oct. 1492. f. Lib. 3. de immunit. g Lib. 3. c. 8. de virt. Relig.

Concilium *Tridentinum* *d.* etiam adhortatur omnes Reges & Principes, vt immunitatem Ecclesiasticam vel maximè commendatam habeant. Et exstat de eadem re vetus Epistola *Alexandri VI.* *e.* ad *Philippum* Archiducem *Austriæ*, Ducem *Saxoniæ*, & alios Principes. Legatur Ius Pontificium nouum *Francisci Zypri* Can. & officialis *Antuerp.* *f.* Scripsit idem Argumentum *Soares*, *g.*

CAPVT XXV.

TEMPLA NON ESSE DANDA HÆRETICIS.

I. Vigilius PP. vehementer resistit Theodoræ vt Anthemius hæreticus non restituatur.



NNO Domini IO. LV. instabat vehementer *Theodora Augusta*, vt *Vigilius* Pontifex Max. *Constantinopolim* proficisceretur juxta promissionẽ factam ante Pontificatũ adeptum, & *Anthemiũ* Patriarcham *Constantinopolitanũ*, pulso *Mennâ Catholico*, restitueret. Quod cùm se facturum negasset, nisi priùs pœnitentiæ libellum daret, resipisceret ac satisfaceret; censere enim se quæ *Agapetus* & *Siluerius* contra *Anthemium* hæreticum egissent,

egissent, jure facta esse, & propterea eorum acta nullo modo esse rescindenda videri, assereretque malè promisisse, & malè promissa nolle exequi. Irata *Theodora, Romanis* quibusdam adiuuantibus, *Vigilium* in judicium vocat. At ferunt eum naui per *Tyberim* euectum in *Siciliam* fugisse: & inde *Constantinopolim* peruenisse. Vbi cùm *Theodora* denuò instaret, vt, quod pollicitus erat, præstaret; tum ille, malle se quoduis supplicium pati, & millies mori velle potiùs quàm hominem hæreticum, & à præcessoribus suis damnatum reuocare, & sententiam mutare, respondit. Et cùm mulier cum suis, qui aderant, minis instarent; ad *Diocletianum* se, non ad *Iustinianum*, quemadmodum arbitrabatur, venisse dicens, ita cæsus est, vt paululùm abfuerit, quin tunc occideretur. Fugiens itaque in templum *S. Euphemiæ*, quod haud procul aberat, inde à grassatoribus extrahitur, & iniecto in collum fune, tamquam latro per totam vrbem vsque ad vesperam trahitur. Deinde carceri inclusus, pane & aquâ aliquamdiu ita patienter vixit, vt semper diceret, se etiam maiora meritum, si digna pro peccatis pœna irrogaretur. Clerici verò qui Pontificem sequuti fuerant, partim in exilium, partim ad rescindenda metalla deportati sunt. Verùm posteà rogantibus *Romanis* omnibus, qui jam sententiam mutauerant, & instante etiam *Narsete, Vigilius* ipse atque exules omnes in libertatem remittuntur, & in patriam redeundi, cùm vellent, libera copia datur. *a.*

a. Alfons. Ciacon. de vit. & gestis Pontif.

II. S Basilius Valenti resistit, & Arianos superat.

Valens Imperator, fautor *Arianorum*, cùm Ecclesiam quamdam, quæ *Christianorum* erat, *Arianis* tradidisset, vir sanctus *Basilius* Magnus Episcopus *Cæsariensis* non est veritus eum grauiter increpare. Sublatis jurgijs eò deducta res est, vt fidei periculum facerent. Clauserunt itaque Ecclesiæ fores, ac vtrimque sigillo munierunt, decernentes, vt ad quorum precationem per se patefierent, illis eius possessio cederet. *Ariani* tres dies supplicationibus continuis in cassum orarunt. *Basilius* verò postquam precatus est, leui bacillo portas Ecclesiæ tetigit dicens; *Attollite portas principes vestras & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Et statim, ac si vocem jubentis sensu aurium, quas non habebant, percepissent, patuerunt, idcirco nemine refragante Ecclesia adiudicatur

Christianis.

b. Amphil. in vit. Baſ. Pet. de Natal. l. 2. c. 28.

Chriſtianis, plerique etiam *Arianorum* relictâ hæreſi fidelibus ſejunxêre, quòd ſolis illis patêre cæli aditum dicerent, ad quorum inuocationem ſic aperiri Eccleſiæ aditum viderant. *b.*

III. S. Chryſoſtomus impēdit ne Gainæ Ariano Eccleſia traderetur.

Circa annũ Domini CD. *Gainas* quidam nomine erat *Conſtantinopoli*, genere quidem *Celtus*, præter autem omnem modum barbarus, militiæ *Romanorum* aſſuetus. Hic cùm per gradus promotus eſſet, deſignatur tandem *Romanæ* militiæ equeſtris pariter ac pedeſtris dux: *Arianæ* peſtis velut ſortito complex is erat. Quare ex ædibus ſacris, quæ in ciuitate erant, auſus eſt vnam ab Imperatore (*Arcadio*) depoſcere attribuendam ſuæ hæreſeos conſortibus. Imperator autem reſpondet ſe de eâ re capturum conſilium, pollicitus autem eſt eis principatum quemdam. Eam poſtulationem accerſito ad ſe eximio *Ioanni Chryſoſtomo* Epiſcopo *Conſtantinopolitano* aperuit, ſimulque commeminit promiſſi potentatus, tyrannydem inſuper ab illo excogitatam ſubindicauit, hortabatur vt dono quopiam præferocem barbari animum ſuffrænaret. Ad hæc reſpondit vir ille generoſus: Ne tu ô Imperator, talia pollicearis; tunè ſuadeas, vt ſancta dem canibus iſtis? non enim feram eos è templo exigi, qui DEVM & ſermonibus prædicant, & concelebrant hymnis. Hiſne jubes, vt dem templum DEO conſecratum, qui ipſum inceſſunt ore blaſphemo? Ne quid tibi, ô Imperator, malè metuas ab iſto barbaro. Tantum eſt, vtrumque iubeto acciri, me, & illum. Tu quidem ſubauſculta ſilenter quæ dicentur. Ego ſanè illius infrænabo linguam: equidem perſuadebo tunc illum efflagitaſſe quod dare neutiquam expedit. Hiſce auditis, Imperator exhilaratus animo eſt. Et quidem repoſcebat ille pollicitationem: Eximius autem *Ioannes* reclamabat poſtulationi, aſſerens nequaquam couenire Imperatori, nec eſſe rationi conſentaneum, vt quidquam moliri auſit aduerſus ædes DEO conſecratas, quippe qui conſtituit piè Deum colere. Illo autem reſpondente, ſibi ſuiſque oratorio eſſe opus, ait *Ioannes*: Nulli non adaperta eſt domus DEI; ac proinde nemo cupientem orare & vota nuncupare prohibere poteſt. Ad hæc *Gainas*: Sed meum ſodalitium mecum expetit ſibi concedi ædem vnam ſacram, & valdè quidem juſtè id dari poſtulo, quippe qui in gratiam *Romanorum*

tam

tam multos exantlarim agones bellicos. Tuis hisce laboribus cumulatiorem reportas vicariam pensationem, ait *Ioannes*: Dux siquidem creatus es, simul & stolâ consulari redimitus: æquum fuerit, vt circumspectiùs ad mentem reuoces, quis olim fueris, quis contrà nunc sis: ex quantâ rerum penuriâ emerseris ad præsentem opulentiam: quibus vsus fueris vestimentis priùs quàm traijeceres *Istrum*; & ea confer cum hoc quo ambitiosè ornaris amiculo. Itaque animo reputa & expende, quanta præmia paucis tuis laboribus repensa sint; & prouideto ne deprehendaris ingratus fuisse erga eos, qui te tanto honore cumularunt. Eximius hic Doctor orbis vniuersi, eiusmodi sermonibus os oppilauit *Gainæ*, eoque adegit, vt eâ de re prorsus conticesceret, adeò vt *Arcadius Ioannis* sapientiam maximoperè admiraretur, quod breuium verborum compendio potuerit ad officium reuocare & in ordinem redigere hominem cruentum adeò & immanem, illiusque os aduersus DEVM impudens & blasphemum obturare. Hactenùs ille. c. Quibus videas oculis, manibusque contingas illud Apostoli: *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia DEO ad destructionem munitionum*, per ea enim non jura tantùm Ecclesiæ seruantur illæsa, sed ipsum quoq; imperium & leges publicę defensæ, custoditæque subsistunt à barbarorum ac tyrannorum hominum insultibus.

c. Georg. Alex. Archiep. in vit. D.Chrysost. Theod. l.5 c.32 Hist. Tripart. l. 10. cap. 6. Baron. to.5

IV. Arianus Episc. cæcitate punitus, quòd vellet Ecclesiam Catholicam inuadere.

Plerumq; tentarunt hæretici *Catholicorum* Ecclesias sibi vendicare, sed eorum conatibus diuina obstiterunt miracula. Cùm ad *Spoletanam* vrbem *Longobardorum* Episcopus *Arianus* venisset, & locum illic, vbi solemnia sua ageret non haberet, cœpit ab eius ciuitatis Episcopo Ecclesiam petere quam suo errori dedicaret. Quod dum valdè Episcopus negaret, idem qui venerat *Arianus*, *B. Pauli* Apostoli Ecclesiam illic comminus sitam se die altero violenter intraturum esse professus est. Quod eiusdem Ecclesiæ custos audiens festinus cucurrit, Ecclesiam clausit, seris muniuit, facto autem vespere lampades omnes extinxit, seque in interioribus abscondit. In ipso autem subsequentis lucis crepusculo *Arianus Episcopus* collectâ multitudine aduenit, clausas Ecclesiæ januas effringere paratus, Sed repentè cunctæ simul portæ diuinitùs con-

cussæ, abiectis longiùs seris, apertæ sunt, atque cum magno sonitu omnia Ecclesiæ claustra patuerunt; effuso desuper lumine, omnes quæ extinctæ sunt lampades, accensæ sunt. *Arianus* verò Episcopus, qui vim facturus aduenerat, subitâ cæcitate percussus est, atque alienis manibus ad suum habitaculum reductus. *d.*

d. Greg. Dial. l. 2. c. 29. Bellar. l. 1. de Christo. c. 12.

CAPVT XXVI.

DE TEMPLORVM POLLVTIONE, ITA VT CONSECRARI RVRSVS DEBEANT: PER QVOS ACTVS FIAT?

I. Quomodo Ecclesia dicatur esse polluta?



ON hîc loquimur de illis actibus, siue fortuiti sint, siue voluntarij, per quos templa aut Deo dedicata loca destruuntur atque euertuntur, vt verbi gratia incendium aut aliud excidium quamuis ex casu etiam execranda reddatur, hoc est, consecratio eius destruatur, adeoque repeti debeat: non tamen illius benedictio, quæ solo siue pauimento adhæret, amittitur, vt notauit *Soarez. a.* Sed de illis actibus agimus in præsenti, qui jure vetiti sunt in Ecclesiâ fieri, ac grauia sacrilegia censentur si fiant, ijsque Ecclesia polluitur, vt consecranda iterum veniat & expurganda.

a. Lib. 3. de statu relig. cap. 2. n. 4.

II. Sunt autem tales actiones quinque. Primò vetitum est in Ecclesiâ homicidium: nam illo polluitur. *b.* Intellige autem de voluntario, & iniurioso, non de casuali, quod nec sacrilegium est, nec Ecclesiam polluit. Ad quod tamen suffecerit, si indirectè sit voluntarium; & ita tenent DD. cum *Panormitano. c.*

b. Cap. Proposuisti, de cons. Eccles primo.
c. dicto cap.

Secundò. Secundò, prohibita est in Ecclesiâ sanguinis humani effusio. *d.* Intellige iterùm de iniuriosâ & voluntariâ effusione, non casuali, aut naturali, aut medicinali, aut quæ fiat in defensionem propriam. Et perinde est, an sanguis effusus attingat Ecclesiæ pauimentum, vel muros, an non. Non enim Ecclesia violatur per contactum sanguinis, sed per violentam effusionem, quam tunc censent, si sequatur percussionem grauem, quæ ad mortale peccatum sufficeret. *e.*

d. Cap. Si Eccles. de consecr. Eccles.
e. Victoria in Summa n. 99.

Tertiò. Tertiò violatur Ecclesia per voluntariam humani seminis effusio-

effusionem, factam intra Ecclesiam, eamque illicitam quouis genere turpitudinis, ac publicam. Sub quâ non comprehenditur quæ fiet justâ ex caussâ per actum coniugalem.

Quartò, si in Ecclesiâ sepeliatur fidelis, nominatim excommunicatus, aut manifestus percussor Clerici, tradunt omnes *f.* eam pollui; immò addunt idem euenire, si Ecclesia ab Episcopo excommunicato consecretur vel benedicatur. Ita *Paludanus* & *Syluester*. *g.* f. ex cap. Consului- sti. g. In dicto cap. Con.

Quintò, violatur Ecclesia, quando aliquis paganus vel infidelis in eâ sepelitur, vel sepultus jacet. *h.* Per paganum autem & infidelem intellige etiam puerum ante Baptismum mortuum; est enim talis infidelis, saltem negatiuè. Addunt *Syluester*, & alij, hoc non procedere, si mulier fidelis prægnans in Ecclesiâ sepeliatur cum puero ante partum. Verùm si puer ille viuat, ratione homicidij polluetur Ecclesia, non verò si in vtero mortuus fuerit, tunc enim per se non censetur sepeliri, sed per accidens cum matre. Quintò. h. Ex cap. Eccles. 1. & 2. de cons. distinct. 1.

Quinque hi casus etiam locum habent in Ecclesijs, etiamsi non sint consecratæ, sed simpliciter benedictæ. Item in cœmeterijs, quæ proinde violantur violatâ Ecclesiâ, non tamen è conuerso. Quod iterum intellige de cœmeterio quod sit Ecclesiæ contiguum. III.

Præter hos casus alius est suprà indicatus, quando parietes Ecclesiæ comburuntur, aut ita destruuntur, vt reædificati eam oporteat, dummodo ipsi parietes simul ruant, vt in quibus potissimùm fit consecratio, vnctio Chrismatis, &c. Colligitur ex *Cap. Ligneis. de consecr. Eccles. & cap. Ecclesijs. de consecr. dist. 1.* & latè tractat Syluester *verb. Consecratio. 2. dist. 4.* Vide etiam de hoc argumento Soarez. *tom. 3. part. 3. disp. 81. sect. 4.*

CAPVT XXVII.

ERRORES CIRCA TEMPLA, EORVMQVE ENODATIO.



DVo genera hostium habuerunt templa DEI. Vnum eorum qui ipsâ templa euertebant; non odio templorum, sed odio gentis, aut religionis. Aliud eorum, qui tem- I. Circa eorũ structuram.

 pla

pla ipsa vel eorum aliquid oderant tamquam malum. Primi generis fuerunt *Nabuchodonosor*, a. *Antiochus*, b. *Pompeius*, *Cassius*, *Titus*, c. qui templum *Salomonis* vel incenderunt, vel profanarunt, non odio templi, sed gentis.

a. 4. Reg. vlt. b. 1. Mach. 10. c. Ioseph. 14. Antiq. & 7. de bello. Tacit. lib. 21. D. Aug. l. 18. de Ciu. Dei c. 45.

II. *Christianorum* Ecclesias *Diocletianus* jussit omnes solo æquari, non odio templorum, sed religionis *Christianæ*. d. Idem facere voluisse *Iulianum* scribit *S. Hieronymus*. e.

d. Eus. lib. 8. cap. 1. histor. e. Epist. ad Ripar.

Ariani quoque & *Donatistæ* templa *Catholicorum* profanabant & spoliabant, non odio templi, sed religionis. f.

f. S. Athanas. in apol. Theodoret. lib. 4. c. 19. Optat. l. 6. cont. Par.

Ad aliud genus pertinent inprimis *Manichæi*; nam *Faustus* apud *Augustinum* g. objicit *Catholicis*, quòd haberent templa & altaria more *Gentium*, & *Iudæorum*.

g. Lib. 20. cap. 3. & 4.

Manichæos sequuti *Messaliani* templa omnia, & altaria execrabantur, & solùm in suis domibus orare volebant DEVM, vt refert *Damascenus*. h.

h. Lib. de 100. hæres.

Eodem ferè tempore *Eustathius* templa omnia & præcipuè Martyrum detestabatur, teste *Socrate*, i. & in priuatis domibus conuenticula fieri volebat. *Petrobrusiani* templa destruebant, nouasque templorum fabricas irridebant. k.

i. Lib. 2. hist. cap. 33.
k. In vit. S. Bern. l. 3. c. 5.

Idem docuerunt posteà *Albigenses*, vt refert *Bernardus Luzenburgensis*. l. Idem docuerunt *Waldenses* apud *Claudium Coussordium*. m. Idem *Wiclefistæ*. n. Idem *Taboritæ*. o. Idem *Anabaptistæ Transsyluani*. p.

l. in Catalogo. m. Lib. cont. VValdens. cap. 6. n. Thom. VValdens. tom. 3. tit. 17. & 22. o. Æneas. Syl. c. 35. de Orig. Boem. p. in antithesibus. an. 1568.

III. Ceterùm conuincunt illos testimonia euidentia S. Scripturæ; Dei ipsius inprimis dicentis: q. *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, & quam domum ædificabitis mihi?* Et de templo manufacto inquit *Christus*: r. *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Iterum: s. *Domus mea, Domus orationis vocabitur.*

q. Isa. 66.
r. Ioan. 2.
s. Matth. 21.

DEVS

DEVS igitur vnus & idem in vtroque Testamento approbat templa in quibus adoretur, & non approbat templa, quibus putetur includi: quomodo idola, id est, Dij Gentium verè in templis continebantur, nec inde poterant exire, nisi qui eos affixerant parietibus, inde detrahere & asportare vellent. Multa in huius confirmationem diximus suprà capite de Templorum antiquitate.

IV. Errores circa finem templorum

Lutherani & *Caluinistæ* admittunt templa, sed solùm ad concionandum & Sacramenta ministranda; reprehendunt autem quòd fiant templa ad orandum, quòd in honorem Sanctorum, quòd consecrentur certo ritu, quòd magnis sumptibus ornentur. Nam *Magdeburgenses t.* multa dicunt contra ritus consecrandi Ecclesias. Iterùm, *u.* reprehendunt *Catholicos*, quòd ingentibus sumptibus fabricent Ecclesias, easque in martyrum honorem.

t. Cent. 4. cap. 6.
u. In præf. Cent. 6.

Ioannes Caluinus x. reprehendit ornatum templorum ex auro, argento, serico, lapidibus pretiosis, &c. Rursus *y.* ornamenta templorum solùm esse vellet concionem, & Sacramenta. Item dicit, *z.* templa quidem erigi debere ad communes preces fundendas, sed non esse putandum vllam inesse templo sanctitatem.

x. Præfat. Instit.
y. Lib. 1. c. 11. §. 13.
z. Lib. 3. c. 20. §. 30.

V.

Verùm contra horum errores latè *fines Templorum* prosecuti fuimus peculiari capite; Item *ritum consecrationis, ornatum* tam *interiorem*, quàm *exteriorem*, aliaque eò facientia.

De oratione in templo magis efficaci, quàm extra illud, infrà nonnulla dicemus. Nunc Templa ad conciones erigi, contra *Anabaptistas* probabimus.

VI.

Probat id primùm *Christi* & Apostolorum exemplũ, vt nihil dicamus de veteri Tabernaculo & Templo, vbi lex populo proponebatur; qui quamuis interdum datâ occasione in varijs locis verbum DEI seminarent, tamen ordinariè in templo vel synagogis, quæ erant eius temporis Ecclesiæ, id faciebant. Vnde Dominus sic ait: *a. Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis.* Iterum: *b. Ego palàm loquutus sum mundo, ego semper docui in Synagogâ, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto loquutus sum nihil.* Angelus educens Apostolos de carcere, dicit illis: *c. Ite, & stantes in templo loquimini plebi omnia verba vitæ*

a. Matth. 20.
b. Ioan. 18.
c. Act. 4.

huius; qui cùm audissent, intrauerunt diluculo in templum, & docebant: Iterum: *d.* Paulus & Barnabas missi ad prædicandum, primùm intrant in Synagogam, & ibi prædicant.

d. Ibid. 13.

Quin primi *Christiani* habuerunt Ecclesias à domibus distinctas, vt patet ex *Paulo*: *e. Conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos.* At quòd ista Ecclesia non esset priuata domus, patet ex sequentibus: *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Et rursus: *Si quis esurit, domi manducet, vt non in judicium conueniatis.* Et in alio loco: *f. Mulieres in Ecclesijs taceant, si quid autem volunt discere, domi viros interrogant.*

e. 1. Cor. 11.
f. Ibid. c. 14

VII. Accedunt his testimonia veterum Patrum. Nam *Clemens g.* refert *Antiochiæ Petro* prædicante conuersam fuisse *Theophili* domum in Ecclesiam, ibique *Petro* cathedram constitutam, vnde doceret populum. *Philo, h.* quem citat *Eusebius, i.* scribit, primos *Christianos* in omnibus locis constituisse ædes sacras ad mysteria celebranda, & sacros libros legendos. *Iustinus k.* dicit, *Christianos* die Dominico in vnum certum locum omnes conuenire ad verbum, & Eucharistiæ communicationem. *Tertullianus* antiquissimus *Latinorum l.* expreßè meminit sacræ ædis ad quam *Christiani* conueniebant. *Cyprianus m.* arguens mulieres opulentas, quæ in Ecclesiam sine oblatione veniebant, *In Dominicam,* inquit, *sine sacrificio venis,* & partem de sacrificio, quod pauper obtulit sumis. Vbi *Dominicam* Ecclesiam vocat, quia domus illa sacra Domini palatium est.

g. Lib. 10. Recognitionum.
h. De vit. Theod.
i. Lib. 2. c. 17. histor.
k. In Apol. 2.
l. Contr. Valent.
m. Ser. de Eleemos.

CAPVT XXVIII.

RITE AC LICITE CONSTRVI TEMPLA AD HONOREM SANCTORVM, CONTRA LVTHERANOS ET CALVINISTAS

I.



Concilium *Gangrense a.* damnat *Eustathium* tamquam contemptorem Basilicarum S S. Martyrum. Idem *b.* sicut & *Cabilonense c.* nominat *Martyrum Basilicas.*

a. Epist. ad Episc. Armeniæ.
b Can. 20.
c. Can. vlt.

Conci-

Concilium *Carthaginense V. d.* vetat, ne ædes vlli Martyri ædificentur, nisi ibi sit aut corpus, aut aliquæ eius reliquiæ, aut ibi martyr habitauerit; aut certè in eo loco passus sit; aliquid enim horum requiritur, vt Memoria Martyris dici possit aliquis locus. d. Can. 14.

II. Præterea Patres idem docent, ac primùm Græci. *Cyrillus e.* meminit Ecclesiæ Apostolorum erectæ in *Hierosolymis* in loco vbi Spiritus sanctus descenderat. *Athanasius f.* nominat templum S. *Quirini*. *Basilius g.* in ipso principio vocat sacrum Martyrum templum. *Nazianzenus h.* scribit, *Gallum*, & *Iulianum* ædem sacram *Mamæ* martyri ingentibus sumptibus erigere cœpisse; & laudat *Gallum*, quia ex amore sincero id faciebat.

Gregorius Nyssenus *i.* multa dicit de templo *Theodoro* martyri dicato. *Chrysostomus*: *k. Ad veras*, inquit, *regias Ecclesias dico, & oratorias ædes, & martyrum templa, &c.* Alibi dicit *l. Constantinum* post mortem factum janitorem piscatoris, quia sepultus erat pro foribus basilicæ *S. Petri* apud *Constantinopolim*. *Theodoretus m.* templa olim idolorum, nunc Martyrum esse dicit. *Eusebius n.* dicit, templum pulcherrimum *Constantinopoli* Apostolis à *Constantino* erectum. *Sozomenus o.* meminit templi *S. Thomæ*, quod erat *Edessæ*. *Socrates p.* meminit Ecclesiæ Apostolorum. *Euagrius q.* meminit templi *S. Euphemiæ*, Item *r.* templi *S. Theclæ* amplissimè à *Zenone* exstructi. *Nicephorus s.* meminit templi *S. Basilici*. *Damascenus t.* asserit templa in Martyrum memoriam ædificanda.

e. Catech. 16
f. Epist. ad solitar.
g. In Psa. 114.
h Orat. 1. in Iulian.
i Orat. in Theod.
k Hom. 18. ad pop.
l. Hom. 66.
m. Lib. 8. ad Græcos.
n. Lib. 4. de vit. Const. cap. 58. 59. & 60.
o. l. 6. c. 18.
p. l. 1. c. vlt.
q. Lib. 2. c. 3.
r. l. 3. c. 8.
s. l. 3. c. 37.
t. l. 4. c. 16.

III. Denique extat liber *Procopij* de ædificijs *Iustiniani*, vbi plurima templa Martyrum, aliorumque Sanctorum enumerat. Ex *Latinis* Ambrosius: *u. Ortus* inquit, *est sermo de basilicâ, quam condidit, Apostolorum nomine dedicandâ.* Hieronymus: *x Ingredere*, inquit, *Basilicas martyrum, & aliquando purgaberis.* Ibidem, & in Epistolâ præcedente, & alibi passim meminit Basilicarum Apostolorum & Martyrum. *Gaudentius Ambrosij* æqualis: *y. Vt venerandas SS. reliquias haberemus, DEVS noster tribuit; deinde vt hanc honori eorum fundare basilicam valeremus, ipse largitus est, &c. Augustinus z.* meminit Basilicæ *S. Felicis*: *In beatissimi*, inquit, *Felicis ba-*

u. Epist. 5. lib. 1.
x Lib. cont. Vigilant.
y. tract. de dedic. Eccles.
z. Lib de curâ pro mort.

a. Lib. 1. c. 1. de Ciuit. Dei. *cis basilicà poneretur* &c. Et alibi: *a. Testantur hoc*, inquit, *Martyrum loca, & Basilicæ Apostolorum*, &c. Rursum: *b. Populus Christianus memorias Martyrum religiosâ solemnitate concelebrat.* Item *c. Sed hoc videtur dolere, quòd memoriæ Martyrum nostrorum, templis eorum delubrisq́ succederent.* Auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus: *d. Martyrum Basilicas deuotè adeundas* dicit. *Paulinus e.* dicit se optare vt possit seruire *S. Felici* in eius basilicâ purgandâ, & custodiendâ:

b. Lib. 20. cont. Faustum c. 21.

c. Lib. 8. c. 26. de Ciuit. Dei.

d. Cap. 73.

e. Nat. 1. S. Felic.

Et foribus seruire tuis, tua limina manè
Munditie curare sines, & nocte vicissim
Excubijs seruare pijs, & munere in isto
Claudere promeritam defesso corpore vitam.

f. Lib. 1. persecut. VVandal.

g. Lib. 2. dial. c. 8.

Victor Vticensis f. scribit, apud *Carthaginenses* duas amplas basilicas *S. Cypriani* fuisse. *Gregorius g.* scribit, à *S. Benedicto* in monte *Cassino* duo fana *Apollinis* versa in oratoria sanctorum, vnum *Martini*, alterum *Ioannis*.

Antiquitùs templa Sanctis dedicata.

Liber Pontificalis testatur, *Siluestrum* dedicâsse Basilicas à *Constantino* exstructas, vnam *Petro*, alteram *Paulo*, tertiam *Ioanni*; quartam *Laurentio*, & alias. *Liberium* B. MARIÆ; *Damasum* aliam *S. Laurentio*; *Innocentium SS. Geruasio & Protasio*, *Sixum B. Mariæ, & S. Laurentio*; *Leonem, S. Cornelio*; *Gelasium S. Euphemiæ*; *Symmachum S. Andreæ*; *Ioannem I. SS. Philippo & Iacobo*; *Pelagium II. S. Laurentio*, *Gregorium S. Agathæ*; *Bonifacium IV. MARIÆ & omnibus Sanctis.* Qui omnes Pontifices ante mille annos floruerunt.

IV. Quid nomine Reliquiarum intelligatur?

h. Lib. 1.

Porrò obseruandum hoc loco, nomine reliquiarum non solùm intelligi ossa & vestes, sed etiam loca vbi Sancti passi sunt, vel vbi habitauerunt, aut aliquid præclarè gesserunt. Et hoc modo exstructæ fuerunt *Cypriano* duæ Basilicæ, teste *Victore, h.* vna vbi passus erat, altera, vbi jacebat corpus eius. Similiter hoc modo exstructæ sunt multæ basilicæ B. MARIÆ, vel *Angelis*, in locis, vbi apparuerunt, vel miracula aliqua ostenderunt.

V. Per imaginem & solũ nomen. §.

Addo etiam posse erigi basilicas ad Sanctorum memoriam conseruandam per jmaginem, per ipsum solum nomen. Nimirùm potest erigi basilica *S. Petro*, vt qui ingrediuntur, admoniti

imagine

imagine ibi depictâ, vel ipso templi nomine, recordentur *S. Petri*, eumque in eo loco tamquam patronum colant & deprecentur. SS. memoria conseruatur in templis.

Secundò, distinguendum inter templum & basilicam. Nam sacra ædes propriè *templum* dicitur, quatenus erigitur ad sacrificia; eadem sacra ædes dicitur basilica, quatenùs erigitur ad ornatum sepulchri alicuius Sancti, & commoditatem visitantium eiusmodi reliquias. *Basilica* enim non dicit relationem ad sacrificia; nam etiam Regum palatia dicuntur Basilicæ, vt patet in libro *Hester*; *i.* immò ea palatia propriè dicuntur *Basilicæ*, & inde nomen translatum est ad Martyrum ædes significandas. VI. Differentia inter templum & Basilicam. i. Cap. 5.

Augustinus clarissimè testatur, templi erectionem esse cultum latriæ, soli DEO debitum; *k.* idemque *Augustinus* coniungit templum cum altari & sacrificio, *l.* docens, cui conuenit vnum eorum, & alia conuenire, & contrà, & tamen in ijsdem locis fatetur, memorias rectè Martyribus ædificari; & præcipuè locus ille notandus est, *m.* vbi sic ait: *Nos autem Martyribus nostris, non templa sicut dijs, sed memorias sicut hominibus, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus.* Et numquam *Augustinus* dicit templa Martyrum: & tamen passim dicit *Basilicas Martyrum*: quod etiam in alijs *Latinis* Patribus obseruare licet. VII. k. Lib. 1. cont. Max. & lib. cont. ser. Arianor. l. Lib. 8. de ciuit. Dei, cap. vlt. m. Lib. 22 de ciuit. Dei, cap. 10.

Porrò *Græci* dicunt quidem templa Martyribus fabricari, vel dedicari, vt patet ex *Basilio*, *n.* vbi vocant, ἱερὸν τῶν μαρτύρων, & similiter loquuntur *Nyssenus* & alij. Tamen certum est eos intelligere materialiter, id est, domum illam, quæ dicitur templum, fabricari Martyribus, non tamen sub ratione templi, sed basilicæ ad ornandam memoriam ipsorum Sanctorum. n. In Psal. 114.

CAPVT XXIX.

ERRORES CIRCA CONSECRATIONEM, ORNATVM, FORMAM TEMPLORVM; ITEM CIRCA ORATIONEM IN TEMPLO FACIENDAM.

I. a. Cent. 4. cap. 6. Quæ Magdeburgenses in dedicatione téplorum reprehédant. Primò esse speciem Iudaismi.



Agdeburgenses a. tria in dedicationibus reprehendunt. Primò, quòd templa à nobis cum ingenti lætitiâ & celebritate dedicentur; quod ortum esse dicunt

 ἐκ κακο-

ἐκ κακοζηλίας *Iudaiſmi*, & eſſe rurſum introducere *Iudaiſmum* in Eccleſiam.

Secundò ſuperſtitionis ob tot cæremonias.

Secundò, quòd vtamur tot cæremonijs in conſecratione templorum; nam præter alias, quædam ſunt, quæ non videntur poſſe excuſari à ſuperſtitione & Magiâ. Nam primò pinguntur duodecim cruces, & ante ſingulas accenduntur ſingulæ lampades; deinde pulſatur templum & aperitur; tum deſcribitur in pauimento cinere conſperſo Alphabetum *Græcum* ab vno Angulo ad alium, ita vt inde crux fiat: tum fit mixtura ex aquâ, vino, ſale & cineribus, & inde aſpergitur templum; ac demùm templum & ara Chriſmate inunguntur.

Tertiò. Non eſſe ſanctiora alijs locis.

b. Lib.3.Inſtitut. c. 20. §.30.

Tertiò, arguunt, quòd putemus templa eſſe loca ſanctiora ceteris: quod etiam reprehendit *Caluinus b.* Verùm cùm his erroribus & opinionum figmentis abundè ſatisfactum ſit in ſuperioribus, vbi de templorum dedicatione, & cæremonijs diſſeruimus, tranſitum faciemus ad errores alios.

II. Circa ornatum.

Ornatum templorum reprehendunt, tam veteres *Petrobruſiani*, & *Wicleſiſtæ*, quàm etiam *Lutherani & Caluiniſtæ*. At pro *Catholicorum* in hac re pietate plura antiquitatis teſtimonia & exempla adducta ſunt ſuperioribus capitibus, vbi fusè de ornatu tam externo quàm interno agitur.

III. Circa formam.

Reprehendunt quoque hæretici paſſim Templorum noſtrorum formam, quòd ſcilicet in tres velut diſtinctas manſiones ea partiamur, & ad orientem eadem conuertamus. Sed partim ex fabricâ veteris templi quod noſtrorum typus erat; partim ex vſu primitiuæ Eccleſiæ, & rationibus quas pro eodem produximus ſuprà, facilè vterque hic error conuellitur.

IV. Circa orationem in templo faciendam.

c. Lib.3 Inſtit. cap. 20. num 30.

Denique omnes Hæretici huius temporis, negant Eccleſiam ad orandum inſtitui oportere, quaſi oratio ſit efficacior vno loco, quàm alio: cùm *Chriſtus* juſſerit orantes intrare cubiculum, & *Paulus* viros velit in omni loco orare. *Cauendum eſt*, ait Caluinus, c. *ne ſecretam, neſcio quam, templis affingamus ſanctitatem quæ ſacratiorem apud Deum orationem reddat. Vera enim Dei templa cùm ſimus ipſi, in nobis oremus oportet, ſi in templo ſancto ſuo Deum volumus inuocare. Illam verò craſſitiem Iudæis aut gentibus relinquamus, qui*

præceptum

præceptum habemus de inuocando citra loci discretionem, in spiritu & veritate Domino. Sic Caluinus.

Sed hæc *Massilianorum* vetus etiam hæresis fuit, qui teste *Damasceno, d.* ceteris suis hæresibus adijciebant templorum, & ararum contemptum, & quòd spirituales viri contenti esse deberent precibus quas in sacellis & oratorijs priuatis explerent. **V.** **d. Hær. 80.**

Similis quoque illius magni schismatici *Ieroboam* vox erat, cùm peccare fecit *Israel*, vt commemorat *Iosephus*: *e. Viri*, inquit, *populares, notum vobis existimo quòd nullus locus Deo est vacuus, & quòd is nullo certò loco includitur, sed vbique vota exaudit, vbiq; cultores suos respicit.* **e. Antiq. Iud. l. 8 c. 3.**

Sed contra hanc imposturam apertè sunt sequentia. *Salomon* affirmat *f.* templum factum esse, vt sit locus orationis, & petit à Deo, vt quicumque ibi orauerit, exaudiatur. Deus apparens *Salomoni* pollicetur ita futurum vt ille petierat. *g. Anna* precatura Dominum ad Tabernaculum accedit vbi erat arca, ibque orans exaudita est. *h. Dauid* precaturus perrexit ad tabernaculum, & coram arcâ Domini orare cœpit. *i.* At certè nisi putasset, ibi Dominum magis esse præsentem, & faciliùs orationem exaudiri, domi suæ mansisset. Idem *k.* voluit ire ad tabernaculum Domini in *Gabaon*, vt oraret pro auertendâ peste à populo, sed non præualuit nimio timore perterritus, ideò in ipsâ *Hierusalem* exstruxit altare. **VI.** **Exempla Salomonis. f. 3 Reg. 8. 2. Paral. 6. g. 3. Reg. 9. h. 1. Reg. 1. i. 2. Reg. 7. k. 1. Paral. 21. Annæ Samuelis, Dauidis.**

Daniel oraturus, quia non poterat ingredi templum, in *Babylone* existens captiuus, saltem apertâ fenestrâ orabat ad eam partem conuersus, vbi fuerat templum *Domini l. Anna* filia *Phanuelis*, non discedebat de templo, jeiunijs & obsecrationibus seruiens, nocte & die. *m.* **Danielis. l. Dan. 6. Annæ Phanuelis. m. Luc. 2.**

Publicanus in templo orans justificatur. *n.* **Publicani. n. Idem 18.**

Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. *o.* **Petri & Ioannis. o. Act. 3.**

Eunuchus Reginæ Æthiopum venerat adorare in *Hierusalem*. *p*

His omnibus accedit testimonium *Isaiæ, q.* vbi per illum dicit Deus *domum suam domum orationis*; eoque epitheto rursus **Isaias & Christus tēplū domū orationis vocant.**

 vtitur

o. Eunuchi. p. Act. 8. q. Cap. 56.

r. Matth. 21. vtitur *Christus* *r.* dicens: *Domus mea domus orationis vocabitur*, id est, templum meo cultui consecratum primariò ad orationem institutum est, ideoque ab hac meritò nomen sortitur.

VII. Tabernaculum ad orandum Deum erectum.

Certè Tabernaculum à *Moyse* in deserto erectum, templum à *Salomone* Deo vero exædificatum manifestè hoc demonstrant; vbi sacrificare, orare, Deum inuocare Sacerdos cum populo & populus cum sacerdote debebat. Quod cùm non fieret, profanari suam domum Deus per Prophetas conquestus est, vt apud Ieremiam: *s.* *Numquid spelunca latronum facta est domus ista, in quâ inuocatum est nomen meum?*

s. Cap. 7.

VIII. Christus Eucharistiã in domo instituit.

Est autem singulariter notandum, quòd cùm *Christus* Dominus cruentam oblationem (quæ semel erat facienda) sub dio faceret; sui corporis oblationem, quæ in alterius memoriam perpetuò renouanda erat, non nisi in domo constituit: cuius etiam figura, agni paschalis manducatio, non nisi in domibus, vel tabernaculis, vel demùm in templo fiebat.

Exemplum Apostolorum.

Apostoli ipsi qui verba *Christi* optimè intellexerunt, quum adhuc templa *Christianorum* propria non essent, ipsum *Iudaicum* templum orationis caussâ petiuerunt; vt de *Petro* & *Ioanne* antè diximus. Quare notat *Augustinus*, *t.* quòd tam Apostoli quàm alij primi credentes in templo veteri Deo seruiebant.

t. de Doct. Christ. l. 3. cap. 6.

IX. D. Iacobi.

Notum est *D. Iacobum* Apostolum & Episcopum *Hierosolymitanum*, multis annis post *Christum* in ipso templo *Iudaico* assiduis precibus DEVM coluisse, vtpote cui soli concessum erat in Sancta Sanctorum ingredi, & cuius tanta fuit in templo orandi assiduitas, vt genua eius callum obduxerint, teste totâ antiquitate. D. quoque *Ioannes* Apostolus, ita deuotè & assiduè in templo orabat, vt vltimâ jam senectute per discipulorum manus ad Ecclesiam deferri soleret, teste *D. Hieronymo.* *u.*

S. Ioannis.

u. In Catalog. viror. illustr.

X.

Isti Sancti illud *Christi* præceptum de adorando DEVM in spiritu & veritate sic intellexerunt, vt loci tamen discretionem contra *Caluinum*, & Templi frequentationem probarent: nec crassitiem Iudaicam, sed pietatem Christianam esse judicabant, DEVM in templis consecratis orare. Quis enim *Christianus* ad Ecclesiam non pergat sollicitè sanus & robustus, quò tantus Apostolus *Ioannes*

annes deferri voluit decrepitus & semimortuus? *Eusebius x.* testatur ex *Philone*, primos *Christianos* singulis pænè locis ædes construxisse, quas orationi consecrabant, qui mos ab Apostolis emanauit, & ad mundi finem perdurabit. x. Lib. 3. hist. c. 7.

XI. Cur vocetur Domus Dei.

Deinde templum vocatur *domus DEI*, & dicitur in eo Deus habitare, quia in templis, tamquam locis eius cultui consecratis, ideoque ei magis acceptis, preces suorum faciliùs exaudit, quàm in alio quouis loco, ceteris paribus, id est, si pari pietate, studio, fide, (quas virtutes ipsa loci circumstantia, & ea quæ in templis aguntur, plurimùm excitant atque confirmant) DEVS illic inuocetur.

Præter eam præsentiam quâ vbique est, adest ordinariè ipse mediator noster in Eucharistiæ Sacramento, quod non parum auget fiduciam nostram, & religiosæ menti reuerentem timorem incutit; *nam vbi est Christus*, inquit S. Chrysostomus *y. in Eucharistia, ibi etiam non deest Angelorum frequentia:* vbi autem est talis Rex, & tales Principes, ibi est cæleste palatium, & cælum ipsum. y. Hom. 36. in epist. ad Corinth.

XII.

Obseruatione dignum quòd olim *Salomon* in suo templo ædificauerit atrium, cuius vniuersa fabrica speciem referebat Leonis, vt quæ versus Orientem latior erat, quàm versus occidentem. Leo autem pectore latior est, quàm tergo. Eamque ob caussam *Rabbini Hebræorum* dicunt toti operi inditum nomen ARIEL, quod interpretantur *Leonem DEI*: quia in eo loco DEVS se leonem, id est, potentissimum demonstrabat, vt intelligeret populus, templum maximâ cum fiduciâ orationis causâ frequentandum, vnde nimirùm DEVS aduersus hostes ipsius tam visibiles quàm inuisibiles in campis prodiret; quod disertis verbis ab *Isaiâ* traditum: *Quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prædam suam: sic descendet Dominus exercituum, vt prœlietur supra montem Sion, & collem eius.*

XIII. Cur Deus in templis faciliùs exaudire dicatur?

DEVM porrò in templis faciliùs exaudire, & piorum preces, ceteris paribus, magis in Ecclesiâ quàm in domo cuiusque, DEO placere, magis vtiles ac salutares esse, SS. Patres, ac doctissima Ecclesiæ lumina crediderunt & docuerunt. *S. Chrysostomus z.* sic scribit, & nostri temporis hæreticos, vel etiam frigidos *Catholicos* doctissimè coarguit. *O frigidam excusationem, quam à compluribus* z hom 3. de incomp. Dei natura.

reddi audio! Orare vel domi possumus, dicunt: sed homiliam doctrinamq́ audire non nisi in Ecclesiâ possumus. Te homo decipis, & magno in errore versaris. Nam etsi & domi quoque orandi datur facultas, fieri tamen non potest, vt domi tam benè ores quàm in Ecclesiâ, vbi tot patres, vbi clamor felici societate excîtus, ad Deum immortalem referatur. Non pariter exoras cùm Dominum solus obsecras, atque tuis cum fratribus. Et paulò pòst: *Tempore illo* (tempus oblationis & sacrificij dicit, quo Christi corpus & sanguis consecrantur) *mi frater charissime, non solùm homines clamorum illum terribilem reddunt, sed etiam Angeli Domino genu flectunt, & Archangeli rogant: habent sibi tempus idoneum, habent sacram oblationem in fauore.* Hæc ille. Duas caussas affert cur in templo orationes factæ plus valeant apud

Caussa prima. DEVM. Vna est propter coniunctas plurium fratrum orationes, quod paulò post confirmat exemplo primorum credentium, qui pro *Petro* in vinculis solliciti communes preces faciebant: & exemplo *Pauli* qui *Corinthios* rogat, vt pro eo simul ac communiter

a. 2. Cor. 1. **Secunda.** orent. *a.* Altera est, propter sacrificij & oblationis in Missâ præsentiam. Multò etiam vehementiùs (ait *Petrus* Abbas *Cluniacensis* doctissimus contra *Henricianos*) ad admirandum atque amandum *Christum* accendit eius demonstrata præsentia, quàm prædicata absentia.

XIV.

b. Serm. 3. de ieiun. 7. mensis. **Tertia.** Tertiam adhuc caussam adfert *D. Leo Magnus, b.* cur plus valeant publicæ in Ecclesiâ orationes, quàm domi priuatæ. Nempe quia ex obedientia & præcepto Ecclesiæ fiunt. *Diuinarum, inquit, reuerentia sanctionum inter qualibet spontaneæ obseruantiæ studia semper habet priuilegium suum, vt sacratius sit quod publicâ lege celebratur, quàm quod priuatâ institutione tenetur.* Hæc ille, de jeiunio quidem: sed de oratione quoque publicâ, quæ jeiunio publico semper coniuncta fuit, etiam hoc sensisse dubitari non potest. Porrò certo certius est, idcirco diaboli astu à templis orandi caussâ adeundis multos auocari, ne opus publicæ cuiusdam obedientiæ faciant, loca & horas orandi constitutas obseruando.

XV.

Quarta. Præsentia Angelorum in templis. Quartò, sunt in Ecclesiâ præsentes Angeli, vti paulò antè tetigimus; qui preces nostras deferant ante conspectum diuinæ maiestatis, quomodo eos *Tobiæ* seniori, & *Cornelio* fecisse clarum est.

eſt. *Vbi Rex, ibi curia*; quod & figuratum in loco illo, vbi Iacob erexit lapidem in titulum in ſymbolum Eccleſiæ, & exclamauit: *O quàm terribilis eſt locus iſte!* aduerſus illos, videlicet, qui reuerenter & deuotè eum non frequentant. *Verè Dominus eſt in loco iſto:* & vidit in eodem Scalam erectam ad cælos extenſam, & per eam aſcendentes & deſcendentes Angelos; quo ſignificabatur in Eccleſijs conſecratis (jam enim lapidem *Iacob* oleo inunxerat) eſſe continuum Angelorum aſcenſum & deſcenſum: cùm vt opera & preces noſtras deferant, tùm vt beneficiorum cæleſtium chariſmata reportent, & tueantur eos, quorum protectioni aſſiduè incumbunt.

Quintò, ipſe locus deuotionem auget, immò mouet; omnia namque in templis *Catholicorum* orationi & deuotioni accommodata reperies, abeſt inprimis omnis obambulatio, ſtrepitus, negotiatio, quę Eccleſijs, (pro dolor!) aut conuenticulis hęreticorum communia ſunt, vt nunc fori, nunc periſtylij, nunc negotiationis & officinæ formam induant: adeſt nitor & ornatus non vulgaris, quem populi zelus & diuini cultus feruor adhibet; Altaria quæ ſunt velut aræ ſacræ in quibus ſalutis noſtræ auctor immolatur pro viuis & defunctis: tabulæ, myſteriorum diuinorum, aut ſacrorum exemplorum imagines proponentes: Sanctorum etiam reliquiæ, immò parietes ipſi, DEO dicati, pietatem ſpirant & prouocant, dum nunc *Chriſtum* in cruce extenſum, flagellatum, coronatum, pœnitentibus obijciunt: nunc *Laurentium, Stephanum, Agnetem*, infanda ſuſtinentes pro veritatis defenſione, oſtendunt infirmioribus in fide: nunc obduratis *Magdalenam* lacrymantem: rapacibus & auaris *Zacchæum* ablata reſtituentem: ſuperbis *Mariæ* humilitatem, & *Centurionis* reuerentiam: deſperabundis, *latronis* in cruce pendentis ſupremam ſalutem: alijs alia oculis opponunt. XVI. Quinta.

Plura pro hoc argumento tam fecundo, reperiet Lector apud R. Cardinalem *Bellarminum*, c. & fusè in gratiam concionatorum apud *D. Laurentium Beyerlinck*. d.

c. Lib. 3. de cultu SS. c. 4. tom. 2. Controuerſ.

d In Promptu. Morali to. 3. in dedic. Eccleſ. textu. 3.



CAPVT

CAPVT XXX.

SYLLABVS SANCTORVM QVI IN TEMPLIS PRO FIDE VEL IVSTITIA, AVT PIETATE GLORIOSE OCCVBVERVNT.

1.  ACHARIAS filius *Barachiæ*, testante *Christo* IESV Saluatore nostro, *a.* inter templum & altare occisus est.
a. Matth. 23.

2. S. MATTHÆVS Apostolus & Euangelista, cùm in interiorem *Æthiopiam* progressus, horridos *Æthiopes* ac nudos candido immaculati Agni vellere vestiuisset, atque missione à Synaxi populo factâ, ad altare Martyrij coronam adeptus est: regnans modò cum *Christo* in cælo, qui apud *Capharnaum* sedit in telonio. *b.*
b. Breu. Rom. Hippol. de Apost.

3. S. THOMAM Apostolum lanceis in Ecclesiâ confossum perhibent nonnulli, vnde instrumentum passionis eius, simul cum corpore, in peruetusta Ecclesia inuentum tradunt *Hieronymus Osorius c.* & *Io: Petrus Maffeius.*
c. Hist. Ind. lib. 3.

4. S. STEPHANVS Papa & Martyr, *in persecutione* Valeriani, *dum Missæ sacrificium perageret, superuenientibus militibus ante altare intrepidus & immobilis cœpta mysteria perficiens, in sede suâ decollatus est,* inquit Martyrologium Romanum. *d.*
d. 2. Augusti.

5. S. AVTONOMVS Episcopus, in *Bithyniâ* à furentibus Gentilibus, dum sacra mysteria perageret, ad altare mactatus, hostia *Christi* effectus est. Martyrol. Rom. XII. Sept. *Sur. tom. 5.*

6. S. NARCISSVS Episcopus *Gerundensis, Augustanorum* Apostolus, in altari tribus vulneribus confossus, Martyr occubuit, vt fusiùs alibi descripsimus. *e.*
e. In Chron. August.

7. S. STANISLAVS Episcopus *Cracouiensis*, à *Boleslao* impio *Poloniæ* Rege, quòd illius notam libidinem publicè arguisset, & à fidelium communione remouisset, hostiam immaculatam ad altare offerens, necatus est. Auctor est *Ioannes Longinus. f.*
f. Surius tom. 3.

8. B. CAROLVS, cognomento Bonus, inclytus *Flandriæ* Comes, cùm *Brugis* coram altari S. DEI genitricis MARIÆ, quod in superiori parte *S. Donatiani* constitutum erat, orationi incum-

beret,

beret, à perfido quodam nebulone *Buchardo Stratensi* trucidatus est, cerebro eius in pauimentum excusso, anno 1127. *g.* g. Eius vita Parisijs 1615. editâ.

S. FREDEGERVS Presbsyter, *Lyræ* in *Brabantiâ*, crudeliter à *Normannis*, summæ Maiestati sacrificium offerens, peremptus est. *h.* 9. h. Molan. 11. Octob.

S. PRÆTEXTATVM Episcopum *Rothomagensem* inter psallendum super formulam quiescentem, occisum fuisse jubente *Fredegunde* Reginâ, in die Dominicæ Resurrectionis, scribit *Gregorius Turonensis*. *i.* Vide etiam *Baronij annales*. *k.* 10. i. Lib 5. c. 18. lib. 7. c. 16. Lib. 8. c. 31. k. Tom. 7. anno. 589.

S. PROTERIVM in sacratissimi Baptisterij loco peremptum, membratimque concisum, & locis omnibus circumtractũ, & post hæc igni contraditum, aliaque passum, quæ propter sceleris exaggerationem terretur lingua proferre; scribunt Episcopi *Europæ* ad *Leonem* Imp. in Epistolâ pro Concilio *Chalcedonensi*. *l.* Vide etiam *Euagrium*, *m.* & *Nicephorum*. *n.* 11. l. Tom. 2. Conc. m. Lib. 2. c. 8 n. Lib. 15. cap. 17.

B. CHRISTIANVS Antistes *Antiochenus* pontificali pompâ indutus, ante aram maiorem templi, à *Saracenis* occisus procubuit, ac martyrij palmam accepit. *o.* 12. o. Bzou. to. 13. an. 1267.

Refert item *Bzouius* ad annum 1230. Presbyterum quemdam in templo, prope castrum *Falsinum* sito, à quodam *Gibellinarum* partium milite crudelissimè interfectum fuisse. 13.

Anno 892. EARNVM Episcopum *Wirzeburgensem*, dum sacratissimum Missæ sacrificium celebraret, ab hostibus interfectum, martyrium cum suis consecutum esse, *Ditmarus* est auctor, *lib. 1.* 14.

S. LAMPERTVM XXIX. *Leodicensem* Episcopum, quòd *Pipinum Herstallum*, fidei matrimonialis oblitum, dehortatus esset, vt *Alpaidem* pellicem, quam domi secretò fouebat, domo exigeret, à *Dodone Arduenna* Duce, & prædictæ *Alpaidis* fratre (ipsâ eum per litteras instigante) & tanti sceleris asseclis, ad altare *SS. Cosmæ & Damiani*, Missæ sacrificium celebrantem gladio percussum, sicque martyrij laureâ redimitum, refert *Ioannes Bertelius*. *p.* 15. p. In Hist. Luxemburg.

S. RAINELDIS Virgo, *S. Gudilæ* soror, vt refert *Molanus*, *q.* irruentibus *Hunnis*, vel vt alij volunt, *Normannis*, ante altare *S. Quintini*, in modum dominicæ crucis prostrata, anno 660. pro *Christi* fide est interempta. 16. q. 17. Cal. Aug. de SS. Belg.

17. S. FRIDERICVS *Traiectensis* Episcopus, de quo in Martyrologio Romano XV. Cal. Sept. martyrio occubuit, quòd, sicut S. *Ioannes Baptista*, coarguisset Regem *Ludouicum* ob introductam pellicem consanguineam; cuius artibus, missis siccarijs, in templo, peracto Missæ sacrificio, crudeliter necatus est. An. DCCC. XXXVIII.

18. S. THOMAS *Cantuariensis* Archiepiscopus, *qui ob defensionem*, vt habet citatum Martyrologium *Romanum* IV. Cal. Ian. *Iustitiæ & ecclesiasticæ immunitatis, impiorum hominum factione, in Basilicâ suâ, gladio percussus, migrauit ad* Christum.

19. S. POLYCHRONIVS Presbyter *tempore* Constantij *Imperatoris* (vt loquitur Martyrologium Rom. VIII. Idus Decembris) *cùm ad altare Missas ageret, inuasus est ab* Arianis, *& jugulatus.*

20. *Victor Vticensis* memorat, in *Africâ* in loco, qui *Regia* vocabatur, cùm in paschali solennitate lector in pulpito *Alleluia* cantaret, jactu sagittæ transfixus ab *Arianis* canendo mortuus est, Martyrque in cælum euolauit, perenne ibi *Alleluia* modulaturus.

21. Sic *Alexandriæ* ab *Arianis Catholici*, dum in ecclesiâ Synaxim agerent, diuerso mortis genere sunt interempti. *r.*

r. Martyrol. Rom. 5 Cal. Feb.

22. Præterea III Idus Maij Martyrologium Rom. commemorationem facit plurimorum SS. Martyrum, qui *Alexandriæ* ob fidem *Catholicam* ab *Arianis* in ecclesiâ *Theonæ* occisi sunt.

23. S. MAXIMIANVS vel *Maiminianus Vagiensis* Episcopus, in *Africâ* à *Donatistis* hæreticis in basilicâ sub altari, quò confugerat, eodem super se fracto, eiusque lignis, alijsque fustibus, ferro etiam crudeliter cæsus, *totum illum locum sacrum sanguine oppleuit:* vt loquitur *S. Augustinus*, *s.*

s. Lib. 3. contr. Crescon. c. 43. & Epist. 50. ad Bonif.

24. PRIMVS & DONATVS Diaconi in *Africâ* in castello *Lemelensi*, cùm altare in ecclesiâ tutarentur, à *Donatistis* occisi sunt. *t.*

t. Mart. Rom. 5. Id. Febr.

25. S. MAVRINVS Abbas *S. Pantaleonis Coloniæ Agrippinæ* martyrium pertulit in atrio ecclesiæ, vt testatur inscriptio ipsius sarcophagi, quæ sic habet: *Hîc requiescunt ossa bonæ memoriæ* Maurini, *qui in atrio ecclesiæ martyrium pertulit, sub die* IV. Id. Iunij. *u.*

u. Sacrar. Agrip. Erhardi VVinheim.

26. FRANCISCVM *Laurentij* Minoritam cum selecto eius socio

Ioanne

Ioanne, à *Guaxacatlanensibus Indis*, impij satanæ satellitibus, in ecclesiæ valuis, ferreis truncis, plumbatisque atrociter interemptum fuisse referunt chronica obseruantiæ strictioris. x. x. Lib. 3. cap. 18.

S. AVREVM *Moguntinensem* Episcopum in altari sacra facientem *Ariani* crudelissimi cum *Iustinâ* sacrâ Virgine trucidarunt, atque in vianum puteum præcipitarunt. y. 27.

y. Breu. Mog. 16. Iun. Serar. rer. Mog. lib. 2. cap. 17.

VIII. Kal. Ian. ipso Natiuitatis D. N. IESV CHRISTI secundùm carnem die, Martyrologium Romanum, multorum millium Martyrum meminit, qui *Nicomediæ* in basilicâ passi sunt. De quibus etiam *Nicephorus*. z. 28. z. Lib. 7. c. 6.

S. WOCARDVS. 30. S. WINEBALDVS Presbyteri: 31. S. REGENARDVS & 32. GERWALDVS Diaconi, durante *Normannorum* tyrannide, anno DCCC. LXI. in *Bertinensi* ecclesiâ diuersis fuerunt interempti cruciatibus, sicque martyrij laureâ illustres vitam consummârunt. 29. 30. 31. 32.

In Martyrologio Monastico *Hugonis Menardi* recensentur plures ordinis *S. Benedicti* in ecclesiâ trucidati. Inter quos S. BERTHARIVS Abbas *Cassinensis* XXII. Octobris. 33.

S. THEODORICVS Abbas *Croilandensis* XXV. Septembris. 34.

S. THEOFREDVS Abbas, XVIII. Nouembris: cum pluribus socijs. 35.

THOMAS de *Argentolio* Præpositus cathedralis ecclesiæ *Atrebatensis*, anno CIↃ. XXVI. secundâ Iunij, in ipso ecclesiæ gremio, propter justitiam ac libertatem ecclesiæ à sicarijs interfectus est. a. 36. a. Molan. in SS. Belg.

SIMON *Fossensis* XVI. Prior *Ogniacensis*, pro domo Dei, proq; asserendo ecclesiæ jure, ad gradum summi altaris occubuit, anno CIↃ. CCCLXX. b. 37. b. Franc. Moyse catal. Ognial.

PETRVM de *Arbues*, aliàs *Epilam*, Inquisitorem sanctæ fidei, S. Theologiæ Professorem, facinorosi homines, ob fidei propagationem, & stabilitatem S. Officij, in basilicâ *Cæsar-Augustana*, officium beatæ Virginis Dei genitricis recitantem, multis vulneribus confectum, pro mortuo reliquerunt, non aliud in sanguine proferentem, quàm: *Laus sit Saluatori IESV Christo, pro cuius fide morior*. c. 38. c. Bzonius tom. 18. ad an. 1485.

39. Nouissimè verò Patrum nostrorum memoriâ, à sceleratissimis *Geussijs* Sacerdotes & Monachi, in loco sacro trucidati sunt, quamquam illis ante nominatis, nequaquam in vitæ sanctitate comparandi: tamen intexam quos reperire potui.

40. PETRVS *Ballingus Nicolai* Fil. Sacerdos, cùm incruentum Missæ sacrificium Deo Patri libâsset, ac Deum pro animarum fundatorum incolumitate, pro more suo deprecaretur, perditissimis *Geussiis*, qui valuas ecclesiæ vi effregerant, tribus lethalibus vulneribus conficitur, nihil aliud dicens, quàm *Deo gratias.* Coronatus est *Harlemi* IV. Cal. Iunij, anno ab incarnatione Domini CIↃ. IↃ. LXXVIII. *d.*

d. Vide auctarium ad Molan.

41. IOANNES *Graius*, primò *Anderlacensis* Canonicus, postmodùm verò *S Francisci Assisiatis* alumnus, ante venerabile Sacramentum *Bruxellæ* in *Franciscanorum* templo, à scurris *Geussiis* cæsus, & verbis iniuriarum plenis lacessitus, humili voce, *Parcite obsecro,* respondit, *parcite.* Sæuissimi verò bonorum osores: *Tibine,* inquiunt, *parcemus scelestissime?* arreptoque gladio eorum aliquis capiti grauissimum & lethale infligit vulnus; ille verò ingeminans hæc: *Ego vobis certè parco;* agonem feliciter compleuit, anno CIↃ. IↃ. LXXVII. Nonis Iunij. *e.*

e. Loc. cit.

42. SEVERVS *Carthusianus Roermondæ* in *Carthusiâ Bethleëmiticâ* ante sacram aram beatæ MARIÆ trucidatus est: cui addendi sunt:

43. HENRICVS *Wellen* Diaconus.


44. IOANNES *Leuuis.*

45. IOANNES *Leodicensis,* etiam *Carthusiani,* quos crudeliter in ipso choro, è regione summæ aræ, è medio sustulit furor *Geussianus*, Vide *Arnoldi Hauensij* historiam

CAPVT XXXI.

RARI ET MIRI CASVS NONNVLLI, QVI CIRCA TEMPLA EVENERE.

I. Ingens terræ motus Constantinopoli.



ANNO C. 1509. die 14. Septembr. incipiens terræ motus, decem & octo continuis diebus, murum *Constantinopolitanæ* vrbis, quâ parte mare spectat, cùm omnibus

bus adiacentibus domibus disiecit, & fossas ruderibus impleuit, ac terræ æquauit. Arcem, in quâ gazophylacium Imperatoris quinque turribus munitissimis custoditur, & insignis domus, in quâ leones, tamquam in viuario nutriuntur, destruxit. Cuniculos, qui per montes, ac longa itinera è *Danubio* aquas in vrbem inuehunt, maximis & laboribus, & impensis fabricatos, concussit. Sinus autem maris inter *Constantinopolim* & *Peram* violentiâ terræ motus adeò infremuit, vt in vtramque ciuitatem mare vltra muros aquam inijceret. Domus tributaria, juxta muros *Constantinopolis*, in mare tota decidit, vt nullum illic appareret vestigium. Maxima item pars turris plumbeæ, in *Perâ*, corruit. In *Callipoli* munitissima arx penitus rupta est; neque vlla domus illic integra mansit, totamque *Græciam*, ad *Danubium* vsque hic terræ motus longè lateque peruagatus est. Feruntur *Constantinopoli* tredecim millia hominum interijsse.

In tantâ irâ suæ misericordiæ recordatus DEVS ostendit, quid, & quos peteret illa clades. Nam, vt, in mari rubro olim, *Israëlitis* innoxiè transeuntibus, *Ægyptij* perierunt; ita & hîc inter sacra & profana magnum discrimen est demonstratum. Mirissimum enim fuit, quòd cùm corruerit sepulchrum *Machometi* patris *Baiazeti*, maximis extructum impensis, multæque *Turcorum* sacræ (quid sacras voco?) profanæ ædes, quas suâ linguâ *Moschetas* vocant, collaberentur; *Christianorum* tamen templa illæsa manserint; ingensque illa *Sophiæ* ædes nihil mali senserit præter turrim, à *Turcis* post captam vrbem, templo, in fine, ornatus gratiâ annexam, quæ tota præcipitata perijt. Sed & illo terræ motu calx & cœmentum, quo beatorum imagines, post captiuitatem vrbis coopertæ fuerant, ita separatim ab imaginibus ceciderunt, quasi arte nouâ jam primùm suo splendori essent redditæ. II. Gentilium templis corruentibus Sophiæ templum illæsum mansit.

D. Maurilius fanum diuersis idolorum cultibus, non procul *Andegauo*, videns, humanâ vi, excindi non posse, oratione impetrauit, vt, igne de cælo labente, quidquid simulacrorum, & immunditiæ ibi erat, momento temporis absumeretur. *a.* III. Idolorum templum igne consumptum.

An. C. 857. *Coloniæ* 17. Cal. Octobr. *b.* terribili coortâ IV.

a. Sur. tom. 5. 13. Sept b. Baron. in Annal.

 tempe-

Coloniæ S. Petri ecclesia fulmine læsa.

tempestate, subitò fulmen informe, igne, draconis instar, Basilicam *S. Petri* hominibus confertissimam, scidit, penetrauit, atque ex omni illa multitudine tres homines, diuersis quidem locis, vno tamen ictu, in mortem deiecit; alios autem sex, eodem impetu, ita prostrauit, vt semiuiui auferrentur; ceteros verò, quos non tetigit igne, perculit timore, docuitque rebus diuinis incontaminatos adesse.

V.

Itaque non impia *Ethnicorum* dumtaxat fana, sed religiosissima etiam *Christianorum* templa sunt de cælo verberata. Cur enim *Dominus vniuersorum* non posset satanæ permittere in templa, ad terrorem eorum, qui templis abutuntur, quod concessit illi, in *Iob* seruum suum, qui & ipse *templum D E I c.* fuit? De *Romano* illo *Tullius* cecinit: Iuppiter *omnipotens stellanti nixus Olympo Ipse suas arces, atque inclyta templa petiuit, Et* capitolinis, *iniecit sedibus ignem.* Quod mirum non erat, dignum etenim igne fuit fanum, tot sacrilegijs impiatum. Magis mirum id de nostris. Nam & de alio *Christiano* templo, alius Author memorat: *d. In vigilia S. Mathiæ Apostoli, Coloniæ* ignem è nubibus excussum, in turrim *S. Andreæ* incidisse, eamque incendisse, illâ ipsâ nocte, quâ, præ frigore, aquis glacies est inducta, vt tantò mirabilius esset, si, vice niuis, fulmina cecidissent.


c. 1.Cor.6: vers.16. Item Capitolinum Romæ.

d. Cæsar. l. 10. cap. 72. Rursum Coloniæ S. Andreæ.

VI.

Anno 1081. *e. cùm campanile Ecclesiæ* S. Petri Maldemburgensis, *in* Belgio, (*quam, ipso Apostolo sibi reuelante, extruxerat & consecrarat* S. Vrsmarus *Episcopus*) *vehementi vento flante euulsum, inque terram inuersum, ita in aëre penderet, vt tum sui ipsius tum vicinorum omnium ruinam minitaretur, populusque in 6. dierum, totidemque noctium spatio tractaret, quanam ratione, hinc inde extractis machinis, sursum erigi posset; ecce pridie cal. Ian. circa noctis medium tota Ecclesia intus ac foris luce igneâ diuinitùs impletur: ipsum verò campanile totum simul erigitur, suisque in sedibus firmissimè, campanis mox sonantibus, reponitur.*

e. Sigebert. in Chron. Turris templi euulsa miraculosè iterum erecta.



CAPVT

CAPVT XXXII.

ECCLESIAM NON ESSE BONIS SVIS EVERTENDAM, NEQVE ALIOS EX EIS LOCVPLETANDOS.



VANTO, quamque inexpiabili se scelere alligent ij, qui res Ecclesiæ diripiunt, quæ DEVS exempla in *Carolum Francorum* Regem, *Pipini* patrem, edidit, satis superque declarant. Quam rem, quamuis à non nemine, tamquam temerè confictam reijci, non me lateat, quia tamen sacris canonibus consignatam inuenio, ac multis posse prodesse intelligo, referam. I. Vide Car. Sauf. Annal Aurelian.

Hic igitur *Carolus* bona, DEO dicata, Ecclesijs ademerat, & quibus libitum fuerat, impertierat. Eo vitâ functo *S. Eucherius Aurelianensis* Episcopus, fusus in preces, sibi visus est à corpore abstrahi, atque, Angelo duce, ad loca, improborum supplicijs fœda & horenda, perduci, vbi *Carolum* exquisitis tormentis excruciari conspexit; cuius tam grauis in eum animaduersionis caussam cùm rogasset, respondisse Angelum, quòd eorum Sanctorum sententijs, quorum ecclesias expilasset, quique vnà cum *Christo* genus humanum judicaturi essent, ante diem judicij, pariter cum corpore, æternis esset ignibus addictus. Quod in se reuersus, Sancto *Bonifacio* ac *Fuldrado* Abbati narrauit; quibus vehementer exterritis placuit ad *Caroli* sepulchrum accedere. Quod cùm aperiendum curassent, draconem ex eo, horribili sanè formâ, euolantem, illudque præterea intus igne peresum fumoque nigrum aspexerunt. Quare *Pipinus*, vt par erat, commotus, bona ecclesijs erepta perquirenda eisdemque reddenda curauit. II. Carolus Martellus bona Eccles. milit. distribuit. Pipinus eadem restituit.

Verùm, vt vt sese res habeat; hæc à DEO sacrilegis ecclesiarum prædonibus, sceleris merces & gratia rependitur. Prædones autem ecclesiarum, non eos tantùm voco, qui bona ecclesijs per vim ereptum eunt, verùm etiam, qui ingentes annuas pecunias, à maioribus nostris, religiosissimis mortalibus ad sustentandam pauperum inopiam relictas & traditas, vel ipsi per luxuriam effundunt, vel filijs, cognatis, ac nepotibus ipsorum perdendas dissipan- III.

dissipandasque relinquunt, qui filij, vel nepotes, non parum sæpe maiorum suorum cupiditatis auaritiæque pœnas pendunt. Nam pecuniæ illæ, tanto ab eis labore studioque coactæ, nescio quo pacto, dilabuntur, & in nihilum abeunt, ipsi verò ad eam egestatem adiguntur, quam in pauperibus *Christi* neglexerunt.

IV. Ex bonis Ecclesiasticis nemo ditatur.

Erat *Romæ*, paulò supra hanc ætatem, vir quidam, qui ad summos honores diuitiasque ex pingui sacerdotio coactas, peruenerat, adeò vt, eo mortuo, quos sibi heredes instituerat, partim ex opulentis ecclesiasticis beneficijs, partim ex optimis prædijs supra triginta aureorum millia quotannis acciperent, præterea ædes pulcherrimè factas, in celeberrimâ vrbis parte sitas, obtinerent; quas ædes vt in vrbis pænè modum ædificaret, dederat ille operam, vt maxima religiosissimi antiquissimique cuiusdam templi pars dirueretur. Sed contentus hac iniquitate non fuit: nam cùm ædes, quas extruxerat, templo annexæ continerentur, atque eas vehementer cuperet insulæ cuiusdam instar habere, ita à templo seiunxit, vt illud ad exigui cuiusdam sacelli modum redegerit. Ne multa, vix quinquaginta ab eius interritu anni intercesserant, cùm ingentes illæ diuitiæ disperierunt, neque vllum ferè sui vestigium reliquerunt. Nam ex eius filijs ac nepotibus alij, quòd, magno ære alieno obstricti, soluendo non essent, ac propterea exilium patriâ sede mutassent, sacris interdicti, & à communione ceterorum fidelium segregati, discesserunt è vitâ: alij bonis ferè omnibus amissis, dignitatem suam tueri vix poterant; qui verò reliqui sunt ex ea familiâ, partim in egestate ac solitudine indignam ipsorum genere vitam exigunt, partim cognitâ rerum humanarum vanitate & inconstantia, ijs valere jussis, ad religiosorum hominum castra confugerunt, vbi angelorum vitam in humanis corporibus agunt.

V. Henricus VIII. Angliæ Rex instar Martelli punitus.

Geminum superiori de *Carolo Martello* est, quod *Ioannes Nicius Erythræus lib. 2. Epist. 12.* hisce verbis scribit: Meas venit ad aures, quod silentio præteriri non potest; immò dignum est (si verum) quod litteris consignatum, posteritatis memoriæ mandetur. Modo nauarchus *Anglus*, qui cum naui, mercimonijs onustissimâ, ex *Angliâ Pyrgos* venit, retulit ad nos, *Henrico VIII.* Regi, qui

tantas

tantas in *Angliâ* turbas excitauit, qui Regnum illud antiquissimum ac religiosissimum à Sedis Apostolicæ obedientiâ distraxit, nullum antehac sepulchrum è marmore fuisse exstructum, regali fastigio dignum, itaque venisse huic in mentem qui nunc rerum potitur, hunc honorem, Regis illius memoriæ, persoluere, ne videlicet solus hoc cultu fraudatus existeret; quamobrem magnificentissimum eidem sepulchrum faciendum locasse. Sed cùm prior tumulus, ex lateribus congestus, dirueretur, cupido maxima Regem inuasit, inspiciendi in arcam, in quâ *Henrici* corpus continebatur, quam statim jussit aperiri. Verùm, (rem miram) sublato operculo, ne tenue quidem positi ibi cadaueris vestigium apparuit. Quo viso, Rex præter modum exterritus, rem ad Reginam detulit, quæ, non esse mirandum, ait, si Rex ille, qui tantum Reip. Christianæ vulnus inflixisset, qui omnia humana ac diuina jura peruertisset, qui libidinem suam, æternâ populorum suorum salute potiorem habuisset, ante supremum extremi judicij diem, vnà cum corpore, æternis inferorum ignibus fuisset addictus. Ac, sumptâ occasione, multa eidem, de fidei Catholicæ veritate, disertè copioseque disseruit. Quæ Rex attentè, atque silentio, excepit. Vtinam ille tum re tantâ, tamquam admirabili perculsus, tum suasionibus Reginæ permotus, ad Ecclesiæ *Romanæ* castra venire constituat, quodque eidem Rex ille impius per summum nefas ademit, piè ac liberaliter reddere. Hactenus ille: cuius tamen votum irritum fuisse, testatur nupera Regis eiusdem decollatio, à proprijs subditis facta.

VI. Hoc loco licet interponere, etsi paululùm à re alienum videatur, malè cessisse omnibus, quos quidem ego nouerim, qui ad priuatas domos ædificandas, vel ad hortorum suorum terminos proferendos, sacras ædes solo æquarunt. Nam alij hortos domosque quas excitarant alij, pretio abalienarunt, neque ijs frui voluerunt; alij in furorem prolapsi, infelicem vitæ exitum sunt adepti; alij liberorum cupidi, nullam ex vxoribus suis masculam vel virilem prolem susceperunt; alij, quos habebant, in solitudine & egestate reliquerunt; alij amplas atque florentes res suas, præcipiti ferè lapsu ad extremum penè casum perductas conspexerunt.

Sacras ædes destruentes qualiter puniti.

runt. Sed jam eò, vnde digressi sumus reuertamur. Is de quo commemorauimus, perpetuâ vsus felicitate, necdum alteram fortunam expertus, decessit è vitâ, ac cupiditatis auaritiæque suæ pœnas posteris luendas reliquit. At consueuit etiam Deus sacrilegos istos, non impunitos ab hac vitâ dimittere, sed ab eisdem etiam tum viuis eas pœnas repetere, quæ cupiditati illi, cuius æstu rapiuntur, in primis aduersetur. Quoniam ferè accidit, vt in suo quisque vitio plectatur: Nam quid raptores huiusmodi tam sectantur, quàm diuitias? quid tam fugiunt, quàm paupertatem? at ab illis sæpenumero absunt, hanc frequenter incurrunt.

VII. Bona Ecclesiastica etiam sæcularia deuorant.

Fuit olim in oppido quodam subalpinæ regionis, vir nobilis, ecclesiastici cuiusdam beneficij patronus, præterea opibus ac diuitijs, sui loci atque ordinis facilè primus. Hic annuas pecunias, quas sacerdotem, eius sacelli rectorem, capere oportebat, tamquam calamitas aliqua, intercipiebat, ac domum suam auertebat. Querebatur sacerdos, inopiam suam cum lacrimis aperiebat, eum etiam admonendum corripiendumque curauerat, sed plus apud illum poterat pauxillulum illud lucri, quàm jus, quàm æquitas, quàm Dei metus, in cuius offensionem incurrebat. Non tulit diutiùs tantam hominis iniquitatem Deus, sed, quam minimè ille volebat, pœnâ compescuit, Etenim sacra illa pecunia, tamquam si aliquod incendium fuisset, vniuersum eius patrimonium absumpsit; adeò vt, ex locupletissimo, factus sit omnium longè pauperrimus; & quod mirabilius videri debeat, quærens ille, atq; inuestigans, quid subitæ illius inopiæ caussam attulisset, nihil reperiebat; nullis, neque publicis, neque maritimis negotijs affinis fuerat, nullam mercaturam habuerat, vbi rem perdidisset, nullos extraordinarios sumptus fecerat, nullum rei familiaris damnum indiligentiâ contraxerat, sed contrà, à negotijs alienus, frugalissimus, & in tutandâ re suâ diligentissimus fuerat. *Erythræus exemplo.* 57.

VIII. Hinc conijcias, quanto in errore versentur, qui ecclesiasticis bonis vtuntur ac fruuntur, si opes ac diuitias, auariter ex eis collectas, putant generi ipsorum fore sempiternas, multæ nostrâ patrumque memoria summorum virorum familiæ declarant, quæ

intra paucos annos, quàm ad summum peruenerant, præcipiti ferè lapsu conciderunt, adeò vt vix aliquod sui vestigium reliquerint. Non est necesse à me quemquam nominari; quocumque oculos couerterimus, licet ibi plurima harum familiarum quasi cadauera diruta atque prostrata conspicere. Sed incredibile dictu est, quàm citò, me puero, immensæ Abbatis cuiusdam opes, liberis ipsius, vt erat fama, relictæ, perierint. Nam illi, præter ternas ædes amplissimas magnificentissimasque, in celeberrimâ vrbis parte sitas, atque ornatissimam supellectilem, magnam etiam, tum in nominibus, tum numeratam pecuniam testamento, perceperant Hæc bona tam multa, ac tam latè dispersa, si flamma corripuisset, propè dixerim, non tam citò in fumum redigere potuisse, quàm sunt ab ipsis dissipata atque consumpta. Vix integrum decennium effluxerat, ab aditâ hereditate, cùm infinitæ eorum largitiones, immanes sumptus, improbissimæque effusiones, nihil ferè ex tantis opibus reliquerunt. Ex quo factum est, vt, qui anteà conspecti essent in sericâ atque aureâ veste, postea pannis benè obsiti, ab omnibus despicerentur; qui anteà multo magnoque comitatu instructi per vrbem incessissent, posteà soli, atque ab ijs deserti, quos aluerant & locupletauerant, prodirent; qui rhedâ, auro interlitâ ostroque constratâ, vecti essent, postea pedibus iter haberent. Itaque alijs risum, alijs misericordiam commouebant, alijs prudentioribus erant exemplo, quàm longè insaniâ ac scelere prodeant, qui, ex facultatibus pauperum, familiam ac nobilitatem generis se posse fundare ac stabilire, sibi persuasum habuerint. *Idem Exemplo* 98.

Notabile exemplum.

IX. Meritis gloriosi P. N. *Benedicti*, & veteri culturâ *S. Mauri* vegetum stabat *Glanofoliense* monasterium, floruitque perpetuò centum quadraginta Monachis ex *S. Mauri* statuto, donec *Pipino Caroli* M. patre rerum domino, de gradu deiectum fuit. Rex enim iste rem Pontificis acturus, se traiecit in *Italiam*. Scribenti militem *Itali* nomina dedêre, quos inter *Gaidulphus Rauennas* erat. Partâ victoriâ in *Galliam* reuersus, quosdam præfectos militum, ob edita præclara facinora præmijs affecit, *Gaidulphum* Comitis titulo ornatum, *Andegano* donauit, cuius in ditione *Glanofolium*

Gaidulphus inprimis tondet, postea deglubit, denique pelle detrahit Gandofolio.

est situm. Peregrinus & hospes in *Galliâ* nouus Comes quâ auctoritate quâ sanctitate polleret locus, ignarus, vel certè si habuit omnia explorata, auri tamen sacrâ fame inescatus, turpique auaritiâ captus, Monachos acerbè vexauit, vt ijs hunc in modum pulsis, Monasterij fortunas inuadere liceret. Néq; animi falsus est. Multi enim cùm graues eius iniurias ferre non possent, in alia *Galliæ* Cœnobia se contulerunt: pauci verò qui remanserunt, Canonicorum habitum sumpserunt, quod *Addon* refert.

X. Ergo plerisque aliò dilapsis, etiam reliquos eiecit tyrannus: vt tamen loco sacro consulere videretur, quinque Clericos, fruges consumere natos, subrogauit. Postremò famam elinguem redditurus, totum Monasterium excîdit, summo labore à *S. Mauro* extructum. Ne porrò vestigium superesset, etiam archiuo manus attulit, eius tabulis ac litterarum monumentis exustis; alijs in frustra discerptis ac præterlabenti fluuio propinatis. Designare flagitia, parum est scelestis, nisi etiam laudi sibi ac gloriæ sua probra ducant; impiè iactitent. Ita infelici sidere natus *Gandulphus*, *Bactra* vel *Susa* cepisse se ratus, *Sibariticum* instruxit conuiuium: necessitudine & familiaritate coniunctos inuitauit: quam lepidè nuper egisset fabulam, ijsdem inter fumantes lances & rorantia pocula narrauit.


Gloriatur infando facinore.

XI. Cùm adhuc infandum facinus suum (quod ipse pulcherrimum ducebat) festinè deprædicaret, ac necdum perorasset, hem, non secus quàm Rex *Bathassar*, decretoriam sententiam tulit: illicò pœnas persoluit. Vaga in pariete manus, Regi *Chaldæo* ad calculum exegit sacrilegum symbolum; atqui huc totus *Maurus* in cœnationem, baculo gradum firmans, & caniciem toto capite spargens, sese intulit: *Baccho* vina libantem *Gaidulphum* flammantibus igne luminibus perstrinxit: scipionem improbo capiti impegit: mox stomachum feriens in tristia fata virum egit. Ictus enim ad mortem rapi se sensit, lugubre carmen hoc identidem repetens: Maure *tu me occidis*: Maure *me occidis*. Fronti illicò exciderunt oculi: è ventre effusa sunt intestina, simulque infelicem animam ebullijt, conuiuis terribili judicio DEI attonitis. *Addon* Abbas non modò tragœdiam narrat, sed insuper testes oculatos & auritos producit. *Anton. de Vepes in Chron. Bened.* CA-

S. Mauro pœnas dat.

CAPVT XXXIII.

NON OPORTERE, ÆDIVM PROFERENDARVM GRATIA, DEI IMMORTALIS AC SANCTORVM SVORVM TEMPLA DIRVERE.


ON defuêre hac noſtrâ memoriâ, qui, vt domos ædificarent, vel hortos, quos voluptatis ſibi cauſsâ comparauerant, laxiores efficerent, templa religioſiſſima antiquiſſimaque diruenda ſoloque æquanda curarunt: verùm id, quamuis auctoritas publica ſemper acceſſerit, tum ipſis, tum ipſorum familiæ, fœdè atque infeliciter ceſſit. I.

II. *Templum B. V. tranſferens punitus.*

Quidam vir locuples ac nobilis, non multis ab hinc annis, quò ædes ſuas quadraret, templum B. V. ſacrum & antiquâ religine præditum, demoliendum; atque alterum, in aliâ parte, non ita magno ſumptu excitandum curauerat: verùm non diu hoc perfunctus eſt gaudio. Nam ipſe amplo ornatus magiſtratu ac munere obijt, & ingentis pecuniæ, quâ illud comparauerat, jacturam fecit, non ſine magno totius familiæ damno; eiuſdem verò frater, nullo morbo præeunte, delapſus eſt in furorem, adeò vt non ſolùm intra verba deſiperet, ſed nudus in viam exiret, ſibique alijsque noceret; quamobrem vinctus, non ita multò pòſt in catenis eſt mortuus.

III. *Aliud exemplum.*

Alter etiam, longè ampliori munere præditus, quod impenſè coemerat; magnâ etiam apud Principem auctoritate & gratiâ; qui ſine vllâ dubitatione, ſi longior illi vita ſuppeditaſſet, proceſſiſſet honoribus longiùs; quò ædibus, quas omni luxu inſtructas ornauerat, cubicula aliquot & ambulacra adiungeret, Ædem ſacram, ſuis ædibus contiguam, demolitus fuerat, primùm intra paucos menſes, valetudine deuolutus eſt adeò, vt familiæ ſuæ damno, doloris magnitudine & acerbitate, de medio ſublatus ſit: illas verò magnificas ædes, in quibus ædificandis tantũ ſumptu proceſſerat, &, quod refert, Dei domum euerterat, ſoloque æquârat, heredes eiuſdem, re neceſſaria compulſi, coacti ſunt ſtatim, cum incredibili jactura, diuendere.

IV. Rursum aliud.

Alter item, *Romæ* vir nobilis, vetustissimum templum in stabulum equorum conuerterat. Non tulit hanc iniuriam DEVS, sed vindicauit, tum in ipso, tum in eius liberis. Nam & ipse ferè semper conflictatus est cum aduersa fortuna, & filij, quos genuit, neque ad senectutis initia peruenerunt; nam fermè omnes ante quadragesimum vitæ annum sunt mortui; è quibus ille, qui ceteros ætate antecedebat, cùm, ex insania, violenter quædam manu faceret, vinctus est, diuque in compedibus habitus. Nempe summa ac singulari sapientia, hoc præsertim supplicij genere vsus est in illos Deus. Eius enim liberos, ex hominibus, passus est propè in pecudes verti, qui pecudum greges in ipsius templum induxerat. *Erythræus exemplo.* 99.

V. Sixtus V. ornat. templum S. Mariæ maioris.

Sixtus V. Pont. Max. pro sua in B. Virginem pietate ac religione, Basilicam S. MARIÆ ad Niues in Exquilijs expoliuit, ornauit, sacello augustissimo auxit, auro, lapidibus pretiosis, omnique regalis opulentiæ cultu referto; tum, vt ea clariùs magnificentiusque pateret ad oculos, humiliora circa ipsam ædificia dirui, soloque æquari imperauit, præterea plures directas ad eamdem Basilicam vias aperuit ac muniuit, collem *Exquilinum*, antea arduum, molliuit, & in eius medio obeliscum, ex ruinis Mausolæi *Augusti* Cæsaris erutum, erexit: quibus rebus perficiendis, fuit necesse multas ædes subuertere, & in his ædiculam, ad radices eius collis sitam, vbi depicta erat imago *D. Antonij* Abbatis; cui faber murarius, qui ædiculam demoliendam conduxerat, quò fortasse facetus videretur, *Pace tuâ,* inquit, *Antoni, non potes effugere, quin tibi hoc malleo, quem gero, crus adimam.* Vix ea dixerat, cùm pede lapsus, è ponte, quem in alto suspenderat, decidit, & crus alterum miserè fregit; atque suo illo grauissimo miseroque casu, viro sanctissimo, omnique honore dignissimo, quem petulanter læserat, insulsi illius ioci pœnas dependit. *Idem exemp.* 100.


Neq; ioco, neq; serio, sanctos viros ludibrio esse habendos.



CAPVT

CAPVT XXXIV.

DEI ATQVE SANCTORVM TEMPLA SACRIS PRECIBVS, NON AVTEM IMPVRIS CANTIONIBVS CELEBRANDA: MVLTO MINVS NEFARIA LIBIDINE, ALIISQVE OBSCOENIS ACTIBVS VIOLANDA.



NNO Domini M. DC. xxx. cùm in æde *D. Petri* in *Vaticano* egregij cuiusdam operis forma ædificaretur, & magnus fabrorum numerus, ex machinâ ligneâ, Apostolorum principis aræ imposita (ea enim illo erat opere exornanda) elaboraret, eorum vnus, fortasse molestiæ, quam labor habet adiunctam, minuendæ, vel fallendi temporis gratiâ, amatoriam quamdam cantiunculam exorsus est canere, ita clarè, vt à sacerdote, qui propè ab eo loco confessiones audiebat, exaudiretur. A quo admonitus, ne templum, omnium religiosissimum, ipsis sacratissimis Apostolorum corporibus imminens, impuris illis cantiunculis contaminaret; contempsit ille, neque minùs lasciuum illud prosecutus est carmen. Sed breui sprétæ religionis, & admonitionis pœnas exsoluit. Nam pede lapsus ex altissima illa machinâ grauissimo casu corruit, atque ad ipsam Apostolorum aram, miserabiliter elisus & comminutus, occubuit. I. **Templum impuris cantiunculis polluens punitur.**

Quòd verò Dei immortalis Templa piè & castè celebranda sint, atque omne ab eis scelus & flagitium remouendum, multa atque grauia, edita in homines impios & sacrilegos, exempla testantur. Sed in primis argumento sunt homines, ad mille & ducentos, anno MDCXI. horribili incendio necati. II.

Est locus in Regno *Neapolitano*, magnâ & antiquâ religione prædictus, Deiparæ Virgini sacer, distans *Auellino* quinque millibus passuum; quem in locum, die sacro Pentecostes, ex vicinis oppidis pagisque incredibilis cuiusuis generis hominum multitudo confluit, religionis ac pietatis ergò. Erat Ædi sacræ adiuncta (vrbis pęne instar) domus, ad hospitum aduentum excitata, in qua trecenta & eo amplius cubicula numerabantur; ad hæc multa accedebant ambulacra, & loca, cuiuis peruia, quæ omnia à multitudine III. **Sacram peregrinationem irreligiosè obeuntes horrendè puniti.**

ne complebantur; & cùm non possent omnes excipere, necesse erat multis, in templum ipsum diuertere, vbi feminis permisti, pernoctabant, epulis vinoque operam dabant, multaque alia nefaria, stupra faciebant, non satis digna quæ in intimis lupanariorum recessibus committerentur; madebant pauimenta vino, redolebant epularum nidore parietes, personabant fidium ac vocum impurissimarum cantu, feruebant omnia stupris, adulterijs, ac furtis. Quæ res mihi videtur in primis Deo quasi vim quamdam adhibuisse, vt eorum, de quibus loquimur, supplicio ceteros edoceret, quid sit periculi, sua ac Sanctorum suorum templa flagitijs atque sceleribus inquinare atque polluere.

IV. Itaque mense Iunio, sacro diei Pentecostes peruigilio, mediam circiter noctem, ingens illud ædificium plenum hospitibus, qui ad decem millia conuenerant, ignem concepit, ac duabus horis deiectum est totum. At ingens illa hominum multitudo, terrore metuque percussa, verensque ne intra ædes opprimeretur, duabus ædium portis, quarum ea, quâ aditus erat in peristylium, janitorum incuriâ inuenta est clausa, salutem sibi atque exitum quæritabat; quorum hominum pars magna, cùm ipsi se impedirent, multitudine & angustijs oppressa exanimabatur; alij, ne in eas angustias deuenirent, de fenestris se præcipitabant in viam, alij ab igne intercepti comburebantur. Quamobrem magni vbique mortuorum acerui conspiciebantur, quorum numerum qui iniêre, eos referunt ad mille & quingentos & eo amplius peruenisse; quorum omnium plus mille in ædium portis oppressi, ab euntium terrore & fugâ deperierunt. Eximuntur ab hoc numero infantes & pueri, qui, vnà cum parentibus, in turbâ elisi interierunt; qui verò vel crura fregerunt, vel oculos amiserunt, vel se in turbâ ruperunt, propter eorum multitudinem, non fuit eos facile ad certum numerum reuocare. *Erythræus exemp. 111. & 113.*

V. Illud verò horrendum formidandumq; quod in sermonibus *D. Vicentij Ferrerij* scriptum inuenitur. Refert hic vir sanctissimus, cùm vespere feriæ quintæ maioris hebdomadis, luminib⁹ remotis, *Christi* Domini passionis historiam populo frequenti narraret, duos quosdam, in angulo eius ecclesiæ, vbi sacram illam concionē

Templum libidinosè polluentes ibidem tosti.

habebat,

habebat, suadente libidine, hortantibus tenebris, ceterorum animis attentis, nefario execrandoque concubitu sacrosanctum illud templum ausos esse polluere, tum ipsum (diuinitùs, vt arbitror, edoctum) clamores maximos extulisse, & magnâ voce cœpisse lumina poscere: etenim in illis tenebris, diuinam omnipotentis DEI maiestatem graui & inexpiabili scelere violari; ad quã vocẽ accurrisse æditυos, aliosque cum facibus, explorasse omnia, atque inuenisse infelicium duorum illorum corpora, ita vt vnà erant, tamquam arida quædam ligna, fœtido nigroque igne torreri.

VI. Amicam ad templum citans subitaneè mortuus.

Anno MDCXXXV. *Romæ* vir quidam impurus, cùm vellet cum amicâ in colloquium venire, nec locus alter commodior occurreret, quamdam ædem sacram vtriusque colloquio delegerat. Nam ferè vsus obtinuit, vt in locis sanctissimis religiosissimisque eiusmodi de rebus veneris negotia tractentur. Quò cùm illa ad diem atque horam dictam venisset, atque aliquot ibi horas eius aduentum expectasset, vidit inter plures cereos defuncti corpus efferri; quem cùm esset intuita, illum esse cognouit, quem expectasset. Etenim miser, subitâ oppressus morte, decesserat.

CAPVT XXXV.

MINISTER HÆRETICORVM, QVI RES MIRAS, A B. V. PATRATAS, A CATHOLICIS CONFICTAS ESSE CONTENDERAT, IN TEMPLO PALAM A DÆMONE, VTI SIBI FVERAT IMPRECATVS, ABRIPITVR.

I.

SVNT quidam sapientes huius sæculi, qui tum maximè sapientiâ ceteros se anteire existimant, cùm quæ à DEO, B. Virginis vel Sanctorum intercessione, supra naturæ vires eduntur, tamquam aniles fabulas, vel ad lucrum captandum ficta, conuellere ac labefactare conantur; immò codices, stipeos, plumbeos, atq; alia præ se eos esse arbitrantur, qui assensionẽ suam miraculis præbent. Verùm istorum sæpe stultitiam DEVS ea omnia superare conuincit, quæ ipsi in eos, quos videbant, conueni-

re jactabant. Quod videlicet ſuo ipſi malo edocti, demum fateri coguntur, ſe non minùs ſtultè, quàm impiè, conatos fuiſſe, miraculis fidem abrogare, quorum in ſe vim experiri cogerentur.

II. B.V. imago miraculoſa in monte regali. In oppido Subalpinæ regionis, *Monte regali* nomine, Deiparæ Virginis imago religioſiſſimè colitur, quæ anno MDXCIV. adeò florere miraculis cœpit, vt non oppidanos modò, ſed propinquarum etiam vrbium ac regionum incolas ac ciues ad ſe attraheret; qui incredibili pænè concurſu, partim voti ſoluendi cauſsâ, partim ad petendum conſilium, conueniebant. Quâ inprimis famâ compulſus *Heluetiorum* quidam pagus, hæretica labe infectus, certum illuc hominem, cum mandatis ablegauit; primùm vt mira illa, ſi vera eſſent, oculis ipſe ſuis acciperet, tum penitus perſpecta ac cognita, ad ipſos pagi eiuſdem moderatores duceſque referret.


III. Qui cùm *Montem regalem*, vt erat præceptum, veniſſet, comperit, rem ipſam multò eſſe famâ maiorem. Nam quotquot ad B. Virginis opem auxiliumque confugiebant, omnes ferè voti compotes abire cernebat. Quam B. Virginis benignitatem, in omnes largè effuſeque diffuſam, ſenſit etiam in ſeſe maxima ex parte fluxiſſe. Nam, ſingulari B. Virginis munere, & celebritate illa & religione hominum permotus, amplexus eſt Catholicam fidem, à qua antea abhorrebat.

IV. Miniſter hæreticus calumniãs miracula SS. è ſuggeſtu à dæmone abripitur. Itaque reuerſus in patriam, & quæ oculis ipſe acceperat, quæque in ſe expertus fuerat, popularibus ſuis expoſuit, qui cùm fidem faceret, vehementerque omnium animos ad B. Virginis ſtudium & Catholicæ religionis amorem impelleret, id hæreticæ impietatis miniſter quidam animaduertens, ſuggeſtum conſcendit, ac vehementiſſimâ contentione animi, conatus eſt ijs, quæ ab eo dicebantur, detrahere, cùm diceret, hæc eſſe nota atqua vulgata ſacerdotum noſtrorum commenta; ad emungendas ſimplicium virorum crumenas. Neque tamen multùm proficiebat; nam propenſior erat populus in ea, quæ audierat. Tum ille commotior factus, cœpit multa capiti ſuo mala imprecari, niſi falſa ea eſſent, quæ ipſis deferebantur; atque in primis precatus eſt Deum, vt ſi mentiretur, ipſis inſpectantibus, à dæmone abreptus, in æternos

cruciatus abstraheretur. Neque diutiùs suo à capite pestis, quam sibi imprecatus fuerat, abfuit. Nam continuò, cunctis cernentibus, abreptus est, &, quò erat dignus, asportatus. Quamobrem suo infortunio fidem ijs, quæ nuntiabantur, obtinuit, sicut optauerat; nunc verò apud inferos positus vnà cum dæmonibus, quibus se addixerat, credit & contremiscit. *Erythræus exemp.* 153.

PARS V.
CELEBRIORA TERRAE SANCTAE TEMPLA.

CAPVT I.



ETHLEHEMI erat Ecclesia constructa super ipsum specum, vnde salus mundo emersit, & super ipsum præsepe, in quo Agnus Dei reclinatus est, erectum altare, vt Christus in sacrificio ad placandam eius iram ibi Deo offerretur, vnde ille pro salute hominum primùm mundo illuxit. Cuius quidem ædificij ea magnificentia est, splendor & elegantia, vt quod huic compares, toto terrarum orbe non inueneris. Videlicet est excelsum cum primis, & amplissimum, cuius tota superior concameratio, quatuor ex marmore columnarum ordinibus; quarum non modò multitudo miraculum, sed etiam magnitudo admirationem excitat. Habet enim ordo quilibet quinquaginta columnas, singulari artificio & sumptu; cùm vel ipsa materia sui pretio cuiusuis æstimationem vincat. Super ipsas columnas nauis Ecclesiæ ostenditur opere vermiculato, quæ omnis veteris testamenti exhibet historias, ab exordio mundi vsq; ad Christi ortum, mirando artificio, & colorum varietate distincta. Parietes, tabulis ex alabastro pretiosissimis, sunt incrustati, quarũ ea opulentia est & pulchritudo, vt ipse aliquando *Sultanus*, harum

I.

Peregrin. Baumgart. l. 2. c. 5. hæc habet.

Aedes sacræ sunt statuario opere totæ admirabiliter ornatæ, marmore candido ac electissimo mirificè

vestitæ, viginti duabus columnis per duplicem ordiné egregiè sustentatæ: olim autem quadraginta eiusmodi columnas habuisse, locus ipse ac ruinæ indicant.

harum formâ & pretio, sacratissimo Templo manus sacrilegas admouerit, jubens latomis, vt è parietibus leuiter submouerent, & pro palatio suo in *Babyloniam* transportarent. Sed illi vt accesserunt tabulas amoturi, ex solido pariete miræ magnitudinis serpens prodijt, & primam tabulam momordit, statimque crepuit, & in hunc modum reliquæ morsæ à serpente crepuerunt numero quadraginta. Quo viso *Sultanus* timens vltricem Dei iram, jussum reuocauit, & de templo exijt turbatus & plenus formidine, simulq; serpens disparuit. Visuntur etiamnum serpentis ibi vestigia & fixuræ tabularum. Quam historiam relatam ait in annales scriptorum *Saligniacus*; adeò vt *Turcæ* etiam & *Saraceni* reuerenter hoc templum frequentent. Pauimentum huius templi totum stratum est marmore; sed & ipsa concameratio est ex marmore; testudines, & colore & pulchritudine admirandæ. In superiore templi huius parte versus Orientem altare erectum est, eo loco, vbi Magi relictis dromedarijs, cum muneribus IESVM DEI filium adorauerunt. Ad locum autem dulcissimæ natiuitatis, descenditur ab Ecclesiâ in cappellam decem gradibus, locum vel ipso cælo augustiorem, æternâ memoria omnibus fidelibus honorandum; in quo, medio noctis silentio, Virgo sacrosancto partu grauida, castis visceribus & illibato pudore edidit Saluatorem, tenellum infantulum in commune exponens, duûm animalium medio. Hic locus tegitur mensâ marmoreâ & candidâ, in qua & sacrum peragitur, & qui eò veniunt peregrini, osculo deuotionem contestantur. Ceterùm lapidis illa pars, super quâ *Christus* dicitur natus, & præsepis pars, in quam fuit reclinatus, non vestiuntur marmore, sed nudæ patent, vt erant tempore natiuitatis. Lapis, in quem reclinauit MARIA, & cui flexis genibus insedit, similitudinem stellæ habet. Est autem tota hæc Cappella sumptuoso opere ex marmore & auro exornata. Et de præsepio quidem, ait *Hieronymus*, in quo Dominus infantulus vagijt, tacendum potiùs est, quàm infirmo sermone honorandum: dicitur tamen translatum postea *Romam*, & in templo S. MARIÆ Maioris asseruari. Neque longè à templo locus est *Circumcisionis*, neque procul inde crypta adhæret, locus olim studiorum *S. Hieronymi*, ait *Salig*. Crypta quoque visitatur

Locus Circumcisionis.

tatur ad Auſtrum, in quâ multa Innocentium corpora fuerunt congeſta: extruxerat autem & ijſdem templum *B. Helena*, vt patet ex *Euſebio* & *Nicephoro*. In exitu templi ad Aquilonem, ambitus eſt clauſtri monachorum, quod Minores ex Ordine *D. Franciſci* inhabitant. Ad Orientem quantum eſt jactus lapidis, monumenta viſuntur *Paulæ* & *Euſtochij*. In Eccleſiâ Fratrum eſt ſacellum *S. Catharinæ*, quò primum inducuntur peregrini.

II. Templum Caluariæ Montis.

CALVARIÆ Montis Baſilica *Ieroſolymis* reliquas totius orbis amplitudine atque pulchritudine longè excellit; nam auratis coruſca laquearibus, & aureis diues altaribus, marmoreis ſeptuaginta tribus columnis fulcitur, & tam reſurrectionis, quàm crucifixionis locum ſub vno eodemque tecto comprehendit; quod in ſui medio, rotundo patet foramine apertum, ſub quo, in inferiori Eccleſiæ parte Dominicum conſiſtit ſub dio ſepulchrum, cui paſſionis *Chriſti* theatrum mons *Caluariæ*, nunc viginti octo pedes altus, chori loco adhæret, qui octodecim gradibus, quorum ſinguli pedem & ſemiſſem in altitudine continent, ſui acceſſum præbet. Ex quo rurſus in locum vbi Crux inuenta fuit, quadraginta octo gradibus fit deſcenſus.

III. Nazarethana Domus, & Templũ.

NAZARETHI Apoſtoli poſt *Chriſti* in cælos aſcenſionem B. MARIÆ Virginis domicilium, in quo ab Angelo ſalutata, *Chriſtum* Saluatorem concepit, ſacris vſibus dedicauerant, & ſacris etiam ibidem nonnumquam operati ſunt.

S. Gabrielis eccleſia.

Eodemque loco poſtmodum DEI genitrici peramœnum, & quod Archiepiſcopali cathedrâ præcelleret, excitatum fuit templum: in quo tria, ex rupe exciſa, ſunt altaria. Sicut etiam in fine ciuitatis Archangelo *Gabrieli* templum ædificatum fuit, vbi fons ſcaturit, qui ab incolis venerationi idcircò habetur, quòd puer IESVS matri ſuæ miniſtrans, ſæpe ex eo dicatur hauſiſſe aquam.

IV. Templum Montis Oliueti.

Cùm in MONTE OLIVETI à *B. Helenâ* Imperatoris *Conſtantini* matre rotundo ſchemate & pulcherrimo opere conderetur Eccleſia, quæ in ſui medio, lapidi impreſſa Dominica includeret veſtigia, locus ille de quo aſcendit, numquam, vt *Paulinus Nolanus* Epiſcopus teſtatur, tegi marmore aut pauiri recepit,

ſemper excuſſis ſolo reſpuente, quæ manus adorandi ſtudio tentauit apponere: & ſummum eius cacumen, vt ſcribit *D. Hieronymus*, propter Dominici corporis meatum, nullo modo contegi aut concamerari potuit: ſed tranſitus eius à terrâ ad cælum vſque patet apertus. Quæ eccleſia multis ibi ſæculis permanſit: *Chriſti* autem veſtigia adhuc cernuntur.

V. Sepulchri B. M. V. Eccleſia. on:

In *valle Ioſaphat* juxta villam *Gethſemani* in honorem Deiparæ Virginis à piâ Imperatrice *Helenâ* grandis, teſtudinata, atque mirifica (in quam nunc quadraginta octo gradibus deſcenditur) extructa eſt eccleſia, in cuius medio ſanctiſſimũ ipſius B. M. V. ſepulchrum, quod albo marmore veſtierat, eſt incluſum: idque adhuc nedum *Chriſtiani* peregrini, verùm & *Saraceni* atque *Turcæ* ſummè venerantur.

VI. Templum Montis Sion.

In *MONTE SION*, vbi *Cœnaculum Chriſti*, ſæpe dicta *Helena* ampliſſimum longè latèque extruxit Templum, in cuius poſtico *Cœnaculum* circumcluſit. Quo in templo ætate *S. Hieronymi* oſtendebatur marmorea illa *Columna*, cruore Domini infecta, ad quam in domo *Pilati* vinctus fuit, & flagellatus.

Porrò in præfato *Cœnaculi* loco poſteà ædificatum eſt monaſterium *Franciſcanorum*: qui ibi per aliquot ſæcula diurnis nocturniſque officijs DEO miniſtrauerunt. Ceterùm anno Chriſti 1561. *Turcæ* (*Franciſcanis* in aliud Cœnobium intra vrbem tranſlatis) ex eorum monaſterio Palatiùm ſibi fecerunt: locumq; hunc in tantâ habent veneratione, vt non niſi diſcalceati eum intrent.

VII. Domus B. M. V. templo exornata.

DOMVS B. MARIÆ VIRGINIS, in quâ poſt filij ſui mortem cum *Ioanne* Apoſtolo habitauit: vbi & eam, anno poſt *Chriſti* aſcenſionem decimo quarto, mortis ſoluiſſe debitum, atque hinc in cælum migraſſe, veterum traditiones & ſcripta habent. Quæ quidem domus, deinde facta eſt Eccleſia B. MARIÆ, totius mundi prima. Qua per *Romanos* deſtructa, alia in eodem loco à *Chriſtianis* extructa fuit; quam decoram fuiſſe, eius ruinæ hodie etiam probant. Ipſeque locus, ne vllâ maculetur immunditie, ſtratis ordine lapidibus adhuc cingitur.

VIII. Domus Annæ Pontif.

SS. ANGELORVM templum fabricatum eſt ex domo *Annæ* Pontificis, ad quam *Chriſtus* captiuus primùm ductus fuit: in quo etiam

etiamnum Græci monachi *Christiani* habitant, & sacris officijs Deo seruiunt. conuersa in templum.

Ex PALATIO CAIPHÆ, in quo *Christus* à *Iudæis* mortis reus judicatus est; postmodum *Helena* Imperatrix *Petro* Apostolorum Principi pulchrum constituit templum: quod posteri S. SALVATORIS nuncupauerunt; idque nunc *Armeni* professione *Christiani* tenentes, sua in eo sacra DEO peragunt. IX. Item Caiphæ.

Ex DOMO S. ANNÆ auiæ *Christi*, pulchrum ædificatum est Templum in honorem eiusdem; quo nunc *Turcæ* turpiter abutuntur. X. S. Annæ domus & ecclesia.

Ex PALATIO PILATI, in quo *Christus* flagellatus, spinis coronatus, ac demum ad mortem condemnatus fuit, speciosum postea à *Christianis* extructum fuit Templum. Nunc autem habitat ibi Præses, qui *Turcæ* nomine *Hierosolymis* dominatur. Porrò *Gradus* huius *Pilati* Prætorij postmodum *Romam* translati, etiamnunc sunt pro foribus Templi *S. Ioannis Lateranensis*, de quibus suo loco. XI. Item Pilati.

B. MARIÆ V. *Helena* Imperatrix splendidam ædificauit Ecclesiam (quæ nunc desolata cernitur) in loco, vbi B. MARIA cum *Ioanne* & pijs mulieribus stetit, *Christo* cum cruce prætereunte. XII. In loco vbi Christus cum cruce præteriuit.

Ex DOMO MARIÆ, matris *Ioannis Marci*, vnius ex 72. discipulis, in quâ primitiuæ Ecclesiæ fideles conuenire & orare solebant, insignis posteà constructa est ecclesia, quæ *Græcorum Christianorum* fuit prima. Estque Sedes Episcopalis, quam vsque hodie *Syri* tenent. XIII. Domus Mariæ M. Ioannis Marci.

BETHANIÆ marmoreum *Lazari monumentum*, in quo à Saluatore fuit suscitatus, ob hoc tam celebre miraculum, ab *Helenâ* Imperatrice, insigni Ecclesiâ circumdatum est: quod etiam hodie non à *Christianis* solùm, sed & à *Saracenis* ac *Turcis* ingenti deuotione honoratur. Posterioribus temporibus fuit hic à Dominâ *Melisende* Reginâ, abbatia erecta. Quæ omnia nunc pænè deserta peregrinis adhuc ostenduntur. XIV. Sepulchrũ Lazari.

In HORTO Montis *Oliueti* non longè à *Gethsemani* rupi cuidam concauæ adhærente: in quo *Christus* supplex, semel, iterùm, & XV. In Horto M. Olìueti templum.

& tertiò Patrem orauit, & ſanguinem ſudauit, ætate *D. Hieronymi* deſuper Eccleſia erat ædificata, quæ adhuc oſtenditur.

XVI. Item in M. Oliuarum aliud.

TEMPLVM quoque pulchrum ædificatum fuit in loco montis Oliuarum, vbi *Chriſtus* ſedens juxta quamdam ciſternam, longo ſermone deſtructionem *Ieruſalem*, extremi denique judicij modum diſcipulis ſuis prædixit. Sed nunc deſolatum eſt.

XVII. Antrum S. Petri.

SACELLVM quoque extructum fuit in *Antro Petri Apoſtoli*, in quo poſt trinam Domini negationem, culpam ſuam amarâ pœnitentiâ & lachrymis expiauit: quod nunc funditùs euerſum eſt.

XVIII. Locus vbi Chriſtus crucem ferens, mulieres allocutus eſt.

Eccleſia præterea conſtructa fuit in loco, vbi *Chriſtus crucem ferens*, ad mulieres lamentantes conuerſus: *Filiæ*, inquit, *Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete*, &c. Sed huius nunc ne quidem veſtigia apparent.

XIX. Turris Ader, cum Templo.

TVRRIS ADER ſiue *Gregis*, diſtat paſſibus ferè mille à *Bethlehem*, vbi paſtores nocte vigilantes ſuper gregem ſuum, viderunt & audierunt Angelos canentes: *Gloria in excelſis DEO* &c; vbi poſteà templum erectum eſt *SS. Angelorum* à *B. Helenâ*.

XX. In Hebron Templum.

HEBRON, vbi Patriarchæ *Abraham, Iſaac* & *Iacob* habitauerunt & ſepulti ſunt: ibi Templum ornatiſſimum ab *Helenâ Conſtantini* filij inſtinctu conſtructum eſt. Hodie autem præter magnas & admirabiles ruinas nihil ibi cernitur, ſed ſpatio quantum ter jacit arcus, eſt *Hebron* noua extructa, in loco videlicet ſpeluncæ duplicis, quæ cùm olim habuiſſet Eccleſiam Cathedralem, nunc in ſpurciſſimos *Turcarum* ritus redacta eſt.

XXI. In Monte Thabor Eccleſia.

THABOR Mons, in quo *Chriſtus transfiguratus eſt*: in cuius facti memoriam *D. Helena* tribus Apoſtolis *Petro, Iacobo* & *Ioanni* pulcherrimum hoc loco extruxit Templum, multamque reliquit pecuniam in ſubſidium eis, qui ibi manerent, locumque ipſum excolerent. Huic Templo acceſſerunt poſtea duo Monaſteria, vt hîc eſſent quaſi tria, ex *D. Petri* deſiderio, tabernacula. Quorum vnum inuenio fuiſſe Græcorum, atque *D. Eliæ* conſecratum: veriſimile eſt alterum fuiſſe *Moyſi* dedicatum. Nunc trium horum Templorum, & per ambitum planiciei aliorum palatiorum, turrium, nobiliſſimorumque ædificiorum grandes tantùm videntur ruinæ, in quibus leones, aliæque feræ latent.

SACELLVM

SACELLVM quoque fuit extructum ex parte Occidentali contra *Nazareth*, ad pedem montis *Thabor*, in loco, vbi Dominus discipulis suis dixit: *Nemini dixeritis visionem hanc*,&c. *Matth. 17.* XXII. Ibidem Sacellum.

HELENA mater *Constantini*, *Tiberiadi*, Δωδεκάθρονον, hoc est, *duodecim Thronorum* Templum statuit, quo loco *Christus quinque hominum millia pauit*, vt auctor est *Nicephorus*. Intra vrbem socrûs *Petri* domo repertâ, *D. Petro* pulchrum constituit delubrum. XXIII. Tiberiadis duo templa Hist Eccles. lib. 8. c. 30.

PTOLEMAIDE insigne fuit Templum *S. Crucis*, & alterum *S. Sabbæ*, atque hospitale Dominorum *Teutonicorum*. XXIV. Ptolemaidis Ecclesiæ.

In loco ante Australem *Sareptæ* portam, vbi *Elias* olim ad *Sareptanam* viduam duo ligna colligentem venit, & cùm eâ locutus est; postea *Christiani* sacram ædiculam cum turri erexerunt. Quam *Hieronymi* ætate *Paula* nobilis vidua *Romana*, cùm sacra *Palæstinæ* loca peragraret, ingressa, Dominum Saluatorem, vt idem Doctor testatur, in ea adorauit. XXV. Sareptanũ Sacellum.

SACELLVM etiam extructum est à Christianis ante Orientalem *Sidonis* portam, in loco, vbi mulier *Chananæa*, pro filiâ sua dæmoniacâ Dominum orans, quod postulauit impetrauit. XXVI. Item Sidonis.

In deserto *Quarentana* dicto commoratus est. *S. Ioannes* Baptista, inibique in eius memoriam extructa fuit Ecclesia & Monasterium, quod *Græci* Monachi inhabitabant. Ibi venientem ad se, vt baptizaretur, *Christum* digito demonstrauit Ioannes: *Ecce Agnus Dei*; In hoc ieiunauit *Christus* 40. diebus & noctibus, agens & habitans cum bestijs. XXVII. S. Ioannis Baptistæ templum.

QVARENTANA mons altus & ascensu difficilis, in quo tentatus primùm est Dominus à Satanâ. In huius montis cacumine *Sacellum* est ruinosum, ieiunio & oratione Christi venerabile. XXVIII. Sacellum M. Quarentanæ.

FONS IACOB. ad hunc puteum IESVS fatigatus sedens cum muliere *Samaritanâ* locutus est de aquâ viua,&c. quo loco, *D. Hieronymi* temporibus, Ecclesia extructa erat & fabricata erat ad radices montis *Garizim*. XXIX. Ad fontem Iacob Ecclesia.

LYDDA, postea *Diospolis* dicta, in qua sanauit *Æneam* paralyticum *S. Petrus* Apostolus. In hac vrbe vsque hodie, ait *Guilelmus Tyrius*, egregij Martyris *Georgij* gloriosum sepulchrum ostenditur, in quo, secundùm exteriorem hominem, in Deo creditur XXX. Sepulchrũ S. Georgij. Lib. 7. bel. sac. cap. 22.

 conqui-

conquiescere: ad cuius honorem *Iustinianus Ecclesiam*, multo studio & deuotione promptâ, ædificari præceperat. Erat enim in eadem vrbe decollatus *S. Georgius*: vnde etiam nunc ad *S. Georgium* dicitur.

XXXI. S. Ioannis Baptistæ. templum Samariæ.

SAMARIÆ fuit *Ecclesia* quondam in honorem *B. Ioannis* Baptistæ, cum sepulchro, quod de marmore fuerat factum ad instar sepulchri Dominici. Sed hanc *Saraceni* sibi vsurpauerunt, vt & aliam Cathedralem Suffraganeam, quam in supercilio montis positam *Græci* Monachi inhabitabant, â quibus perbenignè fuit exceptus *Brocardus*.

XXXII. Templum M. Carmeli.

In CARMELI promontorio *S. Helena* construxit Ecclesiam. Porrò in pede montis *Carmeli* Orientali spelunca est & fons, vbi habitabant *Elias* & *Heliséus* & filij Prophetarum. Posteà habitauerunt ibi fratres *Carmelitæ*, vnde & originem & nomen habent.

XXXIII. Ecclesia ad arborem Mambre.

B. HELENA, *Constantini* filij instinctu, ad arborem *Mambre*, quæ nunc *Terebinthus* dicitur, quindecim stadijs meridiem versus vicinam habens *Hebron*, à *Ierosolymis* autem abest ducenta circiter & quinquaginta stadia; vbi vera certaque fama est, vnà cum Angelis contra *Sodomam* euntibus, & Filium DEI hospitio acceptum esse ab *Abraham*, ab eoque *Isaaci* procreationem annuntiatam; maximum ornatissimumque *Templum* erexit: intellexerat enim *Constantinus*, veteres *Græcæ* superstitionis aras sub eâ construxisse, *Græcis* sacrificijs isthic operatos esse, vinum libasse, thura adoleuisse, bouem, hircum & gallum sacrificasse, lucernas oleo infuso apposuisse, placentas obtulisse; quosdam etiam nummos & varij generis vnguenta in vicinum puteum coniecisse, ita vt rerum coniectarum ingenti copia aqua inutilis sit reddita. Quod sanè *Constantini* vxoris mater cùm fortè istuc transiret, visum, genero ipsi renuntiauit: Animaduerterat enim æstiuo tempore, loci incolas, longinquiores etiam *Palæstinos*, *Phœnices*, & *Arabes*, annuas ferias in ea regione peragere. Et conuentus celebritasque ea grata fuerat omnibus: *Iudæis* quidem, quòd Patriarcham, generisque sui principem jactarent *Abrahamum*; *Græcis* verò propter Angelorum in eum locum aduentum; *Christianis* porrò, quòd à Deo dilecto illi id prædictum fuerat, quod multis posteà sæculis de Virgine

gine futurum fuerat. Quâ re *Constantinus* cognitâ, Episcopis *Palæstinis* vitio vertebat, inprimisque *Eusebium Pamphili* perstringebat, quòd sic tam sanctum locum despexissent. Itaque Episcopis *Phœniciæ* mandauit, vt ex ipsis fundamentis aræ euerterentur, simulacra igne comburerentur, ac *Templum* ibi tantæ antiquitatis nomini conueniens exstrueretur, in quo diuinum numen Ecclesiæ recepto ritu coleretur, locusque de cetero à contaminatione omni liber esset. Quòd si quis deinceps eiusmodi quidquam facere deprehensus esset, eum graui multatum iri pœnâ constituit. Atque imperata hæc ad rem collata, legitimum consecuta sunt exitum. *Ex Niceph. l. 8. hist. Eccles. cap. 30.*

XXXIV. S. Catharinæ in Monte Sinai.

In summitate Montis SINAI (vbi *Moyses* legem à Deo acceperat) corpus *S. Catharinæ* ex *Alexandria Ægypti* ab Angelis delatum & sepultum est: ex cuius membris virgineis olei fluit vnda salubris. Ad radices huius montis à Iustiniano Imp. fundatum est monasterium *S. Catharinæ*, Monachorum Ord. *S. Basilij*, vbi plusquam nouem millia descriptorum quiescunt corpora Monachorum. *Wilhelmus Tyr. 14. bell. 12.*

XXXV. Ecclesia Bethsaidæ.

BETHSAIDÆ *Helena Constantini* mater pulchrum *D. Petro* constituit Templum, vbi erat domus *Petri* & *Andreæ*, quam *Christus* ingressus, socrum *Petri* in lecto decumbentem, grauiterque febricitantem manu apprehendisse, ac dicto sanasse Euangelistæ describunt. Vbi quoque post Solis occasum oblatos sibi ante januam multos malè habentes, ac varijs morbis afflictos, atque à dæmonijs vexatos curauerit.

CAPVT II.

ALIÆ ORIENTIS NONNVLLÆ CELEBRES ECCLESIÆ.

I. Iustiniani templum Antiochiæ.



IVSTINIANVS Imp. in construendis Templis se multùm munificum & magnificum ostendit: de cuius ædificijs legendus *Procopius*. Certè ANTIOCHIÆ à se restitutæ DEI *Genitrici* ingens Templum dedicauit, *cuius splendorem & magnificentiam oratione æquare impossibile est*, ait *Procopius*.

II. S. Michaelis

Prætereà MICHAELI Archangelo magnam admodùm ædem conse-

consecrauit, addit de Nosocomijs, Xenodochijs, &c. *Procop. de ædif. 2.* anno 542.

III. SS. Apostolorum. Instaurauit idem CONSTANTINOPOLI *Basilicam Apostolorum,* repertis corporibus Apostolorum, *Andreæ, Lucæ, & Timothei.*

IV. S. Sophiæ Constantinopoli. Euagr. lib. 4. c. 30. Procop. lib. 1. ædif. Iust. Idem instaurandis ædificijs intentus: cùm multas sacras ædes pulcherrimo artificio elaboratas, Deo & Sanctis erexit, tum insigne illud, & præ ceteris eximium, amplissimum dico & sumptuosissimum SOPHIÆ Templum extruxit, quod quidem tale fuit, quale non aliquando antè visum fuisset, quodque ornatu & splendore adeò excelluit, vti nullâ dicendi vi facilè explanari posset. In orbem hanc habuit inscriptionem.

TVA DE TVIS TIBI OFFERIMVS SERVI TVI CHRISTE, IVSTINIANVS, & THEODORA. EA TV PROPITIVS ACCIPE FILI DEI VERBVM. QVI NOSTRI CAVSA CARNEM ASSVMPSISTI, ET CRVCI AFFIXVS FVISTI, AC NOS IN TVA RECTA FIDE CONSERVA, ET QVAM NOBIS COMMISISTI REMP. EAM AD TVAM GLORIAM AVGE, ET TVERE, INTERCEDENTE SANCTA DEIPARA VIRGINE MARIA.

Porrò Templum hoc magnificentissimum, admirando ædificio stupendum, Græcâ voce ΑΓΙΑΝ ΣΟΦΙΑΝ, id est, *sanctam Sapientiam,* appellauit.

V. Blachernis Deiparæ templum. BLACHERNIS ibidem insigne Deiparæ templum, eximiâ quadam ac pænè incomparabili pulchritudine, & lapillis aureis in vtroque pariete arte summâ exornatum fuit. Etenim eximio & pereruditо artificio carnalis *Christi* natiuitas, & diuina ipsius miracula, & venerandorum mysteriorum traditio, ac denique per ipsius Crucem in infernum descensus, & resurrectio illic picta erant,

VI. Elegantissimum Pari templum. In insulâ *Paro* Templum DEI genitricis elegantissimum, erat vndique justâ constructum symmetriâ, & frequentibus fultum columnis ex lapide basilico, & secto lapide vestiti erant eius parietes, non secùs ac columnæ. Lapidem autem adeò tenuem, & subtilem effecerat artifex vt viderentur parietes induti textis byssinis. Marmoreus verò nitor lapidum tantum ostendebat candorem & splendorem, vt margaritarum superaret fulgorem. Tam

Tam egregius erat lapis, vel potiùs ſtudium artificis, qui etiam naturæ contendit tribuere pulchritudinem. Cùm autem venerandæ & diuinæ menſæ, quod eſt ſupra impoſitum tegumentum intra portum vidimus, ſtupuimus elegantia. Ita enim erat tornatum, vt non videretur habere naturam lapidis, neque ferro, & arte, & manibus exciſum eſſe: ſed ſimile erat cuidam ſucco lactis commixto, cuius ſuffuſio fabrefacta erat ad tecti figuram.

CAPVT III.

CELEBRIORA ROMANÆ VRBIS TEMPLA.



OMANVM S. PETRI in *Vaticano* Templum, auguſtiſſimum Vrbis & Orbis terrarum: ſiquidem eius fabrica, ſumptu, magnificentia, marmoribus, & opere ſuperat omnia orbis terræ templa. Vincit haud dubiè *Epheſinum* illud, vnum in VII. orbis miraculis, ab *Eroſtrato* incenſum, vt hoc flagitio nomen ad poſteros, obſcurum alioqui, tranſmitteret. I. Eccleſia S. Petri in Vaticano.

Id principio Magnus *Conſtantinus* exſtruxit, atque etiam ſuiſmet ipſe humeris XII. corbes arenæ è fundamentis ſuâ dextrâ egeſtæ aſportauit, hoc infimæ ſubmiſſionis actu totidem Apoſtolos veneratus. Pridem *Iulius* II. hanc quæ jam exſurgit, ſuperſtruere molem orſus eſt, cetérique poſt eum Pontifices immenſo ſuo ſumptu, *Michaëlis Angeli Bonarotæ*, & *Iacobi Portæ* eximiâ operâ propemodum ad ſidera duxêre. Etenim celſitudinis eſt planè admirabilis: ſtadij dimidij aut pedum trecentorum, longitudinis quadringentorum; tecta quatuor ædiculis fornicatis, quas inter medius eſt ingens & vertice ſuo longè reliquum tectum exſuperans tholus, qui duplice fornice conſtat, atque in interuallo, quod inter vtrumque fornicem patet, plures cameras habet elegantiſſimis feneſtris & inter eas interiectis columnis alijſque ornamentis lucentes: radiat verò intrinſecus auro, & *Moſaicæ* picturæ genere ornatus adeò ſplendidè eſt, vt adijci ad elegantiam nihil poſſe videatur. Alæ Templi in plura Sacella diſcretæ: ſed omnium auguſtiſſima illa, quæ quaternis, quas dixi, fornicatis ædiculis teguntur, micantque auratis laquearibus. Horum illud, quod pri-

Sacellum Gregorianum, in quo Gregorius XIII. Pont. humatus: ex aduerso Paulus III.

mum ad dextram se offert, *Gregorianum* nominatur, quia *Gregorius XIII.* eius nominis Pontifex *D. Gregorio Nazianzeno* dicauit, & sepulchrum in eo viuens sibi præparauit. E regione *Pauli III.* ex illustri familiâ *Farnesiorum* æneum insigne cenotaphium; vt mittam alia tam ærea, quàm marmorea Rom. Pontificum sepulchra, quæ in veteri nouaque Basilica crebra atque illustria conspiciuntur.

Templi veteris reliquiæ.

Vetus Templum fulciebant XXIV. columnæ. Harum marmor admirandis coloribus variegatum est. Nihil vsquam gentium spectatur elegantius: allatæ sunt hæ vastissimæ columnæ è proximâ *Hadriani* Imp. mole, vt Templi huius fulcra essent. Columnæ ad S. Euchcaristiæ Sacellum, tortiles, & foliatis gyris cinctæ, & illæ quæ sudarium *Veronicæ*, vulgò *Vulto sancto*, sustinent, & quinque in Sacello sacro, vna item in medio fabricæ nouæ *Hierosolymis* à *Tito Vespasiano* aduectæ putantur è templo & palatio *Salomonis*, deuictis *Iudæis*, vrbeque funditùs euersâ. In Templi areâ quæ *Paradisus* nominatur, ingens nux est pinea ex ære fusa, alta ampliùs quinque cubitos, integiturque æneâ crate, porphyreticis columnis suffultâ; & in cratis fronte duo ærei pauones. Plura de hoc vide *suprà p. 4. c. 8.*

II. S Pauli Basilica.

S. PAVLI amplum & pulchrum Templum, à *Constantino* M. ædificatum, longum passus CXX. latum LXXXV. Fulcitur columnis marmoreis striatis XL. alijsque totidem rotundis, & paulò minoribus: vt sint vniuersim CXIIII. Pauimentum marmoreum. Altare summum IIII. columnis porphyreticis marmoreis sustinetur, ad quod imago *Saluatoris* frequenter ostenditur, quæ *S. Brigidæ* oranti locuta, vt inscriptio, & appensa tabula testatur. Duo marmora, in quibus Euangelium & Epistola in sacræ Liturgiæ officio recitatur. In fornice miraberis opere musiuo egregiè expressum *Saluatorem, SS. Petrum & Paulum, & Andream*, cum dictis cuiusque mortisque *Christi* insignibus & instrumentis. Instaurauit nuper egregiè *Clemens VIII.* Pont. verè optimus. In portis æneis sacræ historiæ incisæ variæ, Græcè & Latinè expositæ: testaturque titulus *Alexandro IV.* Pont. Max. à *Pantaleone* Cos. fieri iussus.

Noua ornamenta à Paulo V. Pont.

Paulus V. Pont. Max. exornauit hoc Templum excitato in capite

eius splendidissimo Altari, pauimento ac parietibus circa obductis pretiosissimo lithostróto, illustratis plurimo auro, interpositis pulcherrimi operis imaginibus, absis, quæ imminet, musiuè seu mosaicè picturata è veteribus superest. Sacella hinc inde columnis conspicua recèns exstructa sunt. In hac Ecclesiâ ante Altare B. MARIÆ V. *S. Ignatius* S. I. conditor solennem professionem emisit, seque suosque pulcherrimum DEO holocaustum obtulit. Hoc autem (vt memoriâ ad posteros perenni transmitteretur) sequentem Inscriptionem, vt in eadem Patriarchali S. PAVLI Basilicâ appenderetur, vir doctus, eius Monasterij cœnobita, in *S. Ignatium* affectu optimo confecit.

S. Ignatius hîc professionem emisit.

MEMORIÆ SACRVM.

Sanctus Ignatius *de* Loyola,
Quem Benedictina *Religio in Sanctioris vitæ Incunabulis*
Lactauit in Monte Serrato:
Pietate adultiori prima nuncupantem vota Religiosæ vitæ
In Monte Martyrum *suscepit*:
Suæ Societatis condentem leges
Albanetano Cassini *montis secessu instruxit*:
Triplici monte triplicem formans, fouensq; hominem,
Pium, Religiosum, Patriarcham:
Ad hanc Beatissimæ Dei-parentis *Aram*
Cum primis tanti Operis, & Ausi socijs
Sui Ordinis solemnia vota Primus sacrauit:
Et Societati Domini IESV *nomen, & auspicia dedit,*
Anno Incarnati DEI MD. XXXXI. XIII. Kalend. Maij:
Sedente ad Catholicæ *clauum Ecclesiæ*
Paulo III. *Pont. Max.*
Et sacri huius Cœnobij S. Pauli *de Vrbe Abbate*
Domino Laurentio Mantuano.
(*Scilicet Beneficiorum à* Benedictino *Ordine acceptorum memor,*
Alibi nec voluit; nec valuit gratiùs feliciùsue)
Viro sanctissimo, & in Benedictinam *Religionem animo gratissimo*
Cassinen-

Caſſinenſes Benedictini *Monachi*

Sacroſanctæ Patriarchalis Baſilicæ S. Pauli *de Vrbe,*
Ne tanti facinoris hîc peracti memoria periret,
Gratiſſimi poſuêre.

III. Eccleſia S. Mariæ Maioris,

S. MARIÆ Maioris Templum Auguſtum, inter cetera, operis muſiui, vniuerſim *Ionicis* fultum columnis, longitudine pedum CCCXII. latitudine CXII. Pauimentum opere teſſellato, atque emblemate vermiculato, laquearia item inaurata. Extat hîc pars præſepis, in quo *Chriſtus* virgineo vtero egreſſus primum recubuit; ſeruaturque in laterali Sacello, quod *Pius V.* inchoauit, *Sixtus V.* verò, vt cetera, ſplendidiſſimè perfecit, operuit pulcherrimo tholo, picturis marmoribuſque elegantiſſimè veſtijt, hinc ſuo, inde *Pij V.* iconico ſimulacro, & rebus geſtis *Pario* marmore expreſſis. Geminum huic è regione *Paulus V.* erexit. Templi ipſiuſmet tria præ ceteris memoranda altaria videntur: Summum, ſub quo *D. Mathiæ* Apoſtoli oſſa; alterum ad dexteram columnatum, plurium Diuorum à *Serrano* nominatorum oſſa ſeruans; tertium item ornatum columnis, ferentibus notam illam *Deiparæ* effigiem; qualem *S. Lucam* pinxiſſe ſcribit *Nicephorus.* Hîc etiam ſepulchrum *S. Hieronymi E. D.*

IV. S. Laurentij templi veteres opes,

S. LAVRENTII extra muros Ædes pulchra marmoreis nixa columnis XXXVI. ac marmorum haud paucis ornamentis conſpicua, quæ à conditore ſuo *M. Conſtantino* accepit atque retinuit: opes alias, quas amouere facilè erat, amiſit. Nuſquam eſt aurea illa XX. pondo lucerna; nuſquam denæ argenteæ, ſingulæ XV. pondo, quas cum illâ Templo dicauit pius Imperator; non cetera eius donaria: vt phari, quos vocabant, ex argento pondo CCXL. non argentea corona pondo XXX. non argenteum altare pondo L. non eiuſdem metalli cancelli M. pondo; non illi item ex argento CCC. pondo, quos *Sixtus III.* altari circumdediſſe ſcribitur, compárent. Tectum verò, quod auratis laquearibus collucens cernis, *Oliferius Carafa* Card. *Neapol.* adſtruxit. Verumtamen omnis auri, argenti ac marmorum inſtar ſunt pretioſiſſima Martyrum oſſa, quæ in ſubterraneis cellulis, ſepulta coluntur; exſuperant humanas ac

fluxas

fluxas opes illæ beatissimarum mentium exuuiæ: corpora inquam duorum clarissimorum bellatorum, *Stephani* protomartyris ac *Laurentij* in marmoreo loculo, ferreis cancellis incluso, condita sub principali arâ. Nec corpora modò, quæ patiendo victores animos effecêre, sed victoriæ insuper instrumenta exstant: lapis, quo petitus fuit *S. Stephanus*; & pars cratis, in quâ tostus *S. Laurentius*, & lapis in quo exspirauit, fluente ex corpore eius tabo adipeque tinctus per transennam adspicitur. Superest præterea æreum vasculum, quo idem in carcere *S. Lucillum* baptizauit.

S. IOANNIS *Lateranensis* Basilicam, testibus *Damaso* & *Beda*, primam omnium Magnus *Constantinus* CHRISTO DEO Diuisque *Ioanni Baptistæ*, & *Ioanni Apostolo* dedicauit; addiditque donaria inæstimabilis pretij: lucernas auro & argento solidas, in quibus nardinum pisticum oleum nutriret æternum ignem, vtque comparando huic tam pretioso pabulo sufficerent sumptus, agri *Latini Campaniq;* partem Ecclesiæ *Lateranensi* donum dedit. Ornamenta Templi & sacram supellectilem, statuas nimirum, calices, patinas, cantharos, aliaque id genus vasa aurea & argentea, quæcumque huic ædi pientissimus Imperator largitus est, vetus quidam de munificentiâ *Constantini* scriptus & inscriptus liber sigillatim enumerat, habitâ ponderis eorum exactâ ratione; pendebant autem auri purissimi pondo MLXXXXV. argenti puti pondo MDCLXXXV. Ceterùm templi *Lateranensis* facies hodie talis est. Tectum eius vermiculatis emblematis inauratisque laquearibus fulgidum: quà verò principali aræ incumbit, arcuatum est & Diuorum imaginibus pictum, quas inter meritò spectanda *Christi* effigies, quoniam omnium prima *Romæ* publicata fuit; atque ab incendio, quo cetera non semel arsêre, intacta permansit. Tectum quadruplex columnarum series sustentat, quas *Constantinum* ipsum subdidisse arbitror: cetera ornamenta satis scio non ita pridem *Romanos* Pontifices addidisse. *Martinus V.* cuius in medio templo sepulchrum simulacrumque visitur, Basilicam vetustate atque incendio deformatam picturâ & tessellato pauimento illustrauit; cui operi, quia *Martinus* non omninò perfecit, *Eugenius IV.* extremam addi manum curauit, inde alij Pontifices fulgentia auro laquearia imposuerunt.

V. Ecclesiæ Lateranensis.

Veteris opes.

Nouæ ornamenta.

Baptisteriũ Constantini M.

Exitur è Templo in Sacella: inprimis *Constantini* Magni baptisterium, circularis figuræ, porphyreticis columnis circumcinctum, plumbeis à *Leone X.* tectum laminis. Inscriptio in fronte haec legitur:

Insons esse volens isto mundare lauacro,
Seu patrio premeris crimine, seu proprio.

Fuêre autem cetera quidem porphyretica: vas, quod aquam continebat, argento solidum, pondo MMMVIII. inque medio eius è porphyrite sculpta columna surgebat auream lampadem L. pondo ferens, cuï in vicem olei balsamum infundebatur; positi circùm septem argentei cerui erant, aquam fundentes, quorum quisque pondo LXXX. pendebat; aureus insuper agnus pondo XXX. & argenteum *Christi* simulacrum CLXX. pondo. *Ioannis* Baptistæ statua item argentea pondo centum; thymiamaterium ex puro puto auro duabus & quadraginta pretiosissimis gemmis redimitum, pondo X. Hæc quò rapta, aut in quos vsus versa fuerint, equidem ignoro. Porphyreticæ modò columnæ, quas baptisterio circumdederat *Constantinus*, supersunt: aliaque insuper eiusdem æreum galli sigillum gestans columella, nescio vnde in hunc locum illata. Iam in Templi atrio tres marmoreæ portæ spectantur, *Pilati* quondam in ædibus constratæ, per quas *Christus* ad *Pilatum*, vt aiunt, fuit introductus. Ceterùm ad Sancta Sanctorum marmorea Scala ducitur duo de triginta graduum; ipsa quoque *Hierosolymis* aduecta, cùm ad *Pilati* ædes fuisset, per quam tractus *Christus*, quamque sanguine è vulneribus rorante imbuisse creditur. Cernere adhuc guttas aliquot licet sub ferreâ crate: itaque pedibus calcare locum nefas; genibus nixi repetunt per gradus concessasq; à Pontificibus Indulgentias merent.

Sancta Sanctorum, & Scala.

Basilica S. Sebastiani.

S. SEBASTIANI Templum oblongum in via *Appiâ*, non nimiùm superbæ, sed simplicis structuræ, pauimento marmoreo, tecto lapideo, quatuor ad maximam aram sitis columnis. Sub Templo & cancellis *S. Lucinæ* Templi conditricis, & *DD. Sebastiani* ac *Stephani* Pontificis & Martyris corpora recumbunt, ostenditurque in Catacumbis, vt vocant, puteus, in quem abiecta *SS. Petri* & *Pauli* corpora plurimis annis delituêre. Sacellum & subterraneum

neum XII. gradibus: & Crypta ac Cœmiterium *B. Calixti* Papæ & Martyris: & reliquiæ amplius CLXXIIII. millium SS. Martyrum, & XLVI. (alij non nisi XIX. summos PP. numerant) beatorum summorum Pontificum corpora requiescunt.

S. CRVCIS IN HIERVSALEM in *Cælio monte*, vna è septem maximè religiosis vrbis *Romæ* Ecclesijs Templum mundum & elegans, ab *Helenâ Constantini* Magni Imp. matre ædificatum, columnis XX. Sunt & hîc duo marmorea monumenta è nigro, subrufo, & candidissimo marmore. Summi altaris tectum IV. marmoreis columnis sustinetur. Solum loci illius è terra sanctâ *Hiersolymis* aduectum fuisse inscriptio testatur, & asylum ibi olim fuisse sub *Romulo*, auctamque inde à *Tullo Hostilio* vrbem, pomerioque additum olim fuisse referunt: vt vbi olim sceleris impunitas, ibi sub CHRISTO criminum venia tribuatur. VII. Ecclesia S. Crucis in Hierusalē.

Hîc descendentibus occurrit Sacellum, quod *D. Helena* Imperatrix exstruxit, consecrauit *Siluester*, ceterique deinceps Pontifices Maximi sacris opibus & Indulgentijs ditârunt; nec ita pridem *Albertus Austriæ* Archi Dux parietes illustrauit. Testudinem veteris picturæ genere, quod *Mosaicum* vocant, ipsa, vt existimo, Imperatrix *Helena* exornauit.

S. MARIA ROTVNDA, à formâ sic dictum; olim quia Deorum omnium fanum, *Pantheon* dictum; & rotundum, ne qua de loco lis inter DEOS, cùm ne *Terminus* quidem *Ioui* voluit cedere: nunc omnibus Sanctis sacrum, & B. Virgini cælorum reginæ. Magnificentissimum spectabis Templum à M. *Agrippâ III.* Cos. constructum, vt inscriptio vncialibus litteris præfert. Hoc ipsum Templum, vt ideam & exemplar perfectæ Architecturæ exhibet, explicauit *Ludouicus Demontesius*, pictor & Architectus insignis, singulari libro *Romæ* edito, qui inscribitur, GALLVS *hospes in vrbe*. Qui tradit omnium deorum inibi statuas fuisse, & situm ordinemque explicat: scilicet *Iouis Vltoris*, cui potissimùm, *Plinio* teste, *Pantheon Agrippa* dicauit, in tribunali maximo, vbi hodie Ara principalis consistit; ceterorum cælestium deorum in ædiculis, quæ toto circùm templo incisæ muro spectantur: terrestrium verò in intercolumnijs, loco humiliore; inferos denique VIII. Pantheon, seu S. Maria Rotunda. Lib. 36. c. 15.

 infra

infra terram abditos delituisse. Celebratissimum itaque omnium templorum fuit laudatumque vnicè & ab architecturæ præstantiâ ac dignitate, & à superbo alio ornatu. Cuius quidem ad hæc tempora peruenit propè nihil, præter æ nearum tegularum quædā fragmenta, & æreas ingentes valuas; & marmorum, quibus templum intrinsecùs incrustatum ac pauimentatum pulcherrimè fuit, quasdam reliquias. Aliorum ornamentorum partem homines abstulêre, partem temporum varij casus: attamen nuda quamuis moles structuræ omnes laudes exsuperat, absolutissimæ architecturæ exemplar atque miraculum. Quis enim non stupeat adeò amplum fornicem, nullis sustentatum fulcris, velut in aëre hærere suspensum? in cuius vmbilico patulum foramen diem accipit, eaque vnica fenestra est. Per hanc Solem, per hanc imbres incidere necessum est, sed protinùs effluere, namque medio in pauimento cloacæ os est, hìc confluens pluuia aqua emittitur.

Altitudinis templi ac latitudinis par spatium, pedum CXLIIII. quâ in dimensione crassitudo muri non continetur; propè quadragenis pedibus latitudo celsitatem excedit, cùm duodeuiginti pedes murus crassus sit, qui numerus duplicandus est, vt *Demontesius* obseruauit: vt *Schraderus* verò, ad tectum gradus CL. ascensum præbent hinc ad vmbilicū testudinis (quâ nempè parte altissima est) gradus XL. olim ærati, pòst nudati demùm plumbeis laminis obtecti. Vestibulum templi, siue prothyron mauis vocare, humilius multò est dissimileq; omnibus partibus ipsi corpori; cuius nec pars quidem esse videtur. Sed, DEVS bone, quæ illud columnæ ferunt, & machina se ipsam fert; stupemus in hac, quòd columnas non habeat: in illo, quòd habeat adeò vastas, altas, excultas. Crassitudo quidem est pedum sex, altitudo trium ac quinquaginta. E *Thebano* autem vel *Æthiopico* durissimo marmore (quem ophitem quidam, *Itali granitum* vocant) exsculptæ XIII. sunt, cùm olim XVI. essent; abest quippe vna, & duæ ab incendio inutiles factæ fuerunt. Cultus præcipuus in capitibus est, quæ *Corinthia*, impositæque super æreæ trabes: & ærea fulcra sunt, quæ tectum sustinent. Sed & tellus, quæ omnia atque adeò seipsam fert, siue impar ferendo fuit, siue impositum onus indignata, subsedit,

ſubſedit, & quod conditor adeò ſupra ſolum extulerat, vt pluribus gradibus ad id aſcenderetur, ipſa tantum intra ſe recepit, vt totidem hodie deſcendatur.

Qui *Pantheon Chriſtianis* ſacris, & ſummæ Diuæ addicauit, *Bonifacius* IV. fuit, fecitque *Phocæ* Imp. permiſſu. Addit *Hugonius* eumdem Pontificem Diuorum oſſa è cœmeterijs egeſta aduectaq; duodetriginta plauſtris ſubter intimum altare condidiſſe.

S. MARIA in *Arâ cæli*, ſitum in Capitolij ſummo vertice Templum, varijs marmoribus ac columnis illuſtratum eſt, & auratis laquearibus fulget; quod dum Magnus *Gregorius*, conditor eius, dedicaret ſacraretque, Angelum aiunt humano habitu apparuiſſe. Spectantur ſanè in marmore rotundo ferreis clathris circumſepto velut infantilium pedum notæ, quas perhibent inſiſtentem ei Angelum reliquiſſe, & DEIparæ juxta crucifixum filium conſiſtentis imago monſtratur, à *S. Lucâ*, vt memorant, depicta. IX. **Eccleſia S. Mariæ in Arâ cæli.**

S. MARIA *de Anima*, gentilium *Germanorum* & *Belgarum* templum. Plurima in eo *Germanorum* monumenta, quibus in patriam reditum mors inuidit. Hîc ad altaris ſummi ſiniſtram auguſtus tumulus *Hadriani VI.* Pont. Max. Ad dextrum aræ latus *Caroli* Principis *Cliuiæ* monumentum ingentis ſumptus. Templum ipſum ab *Hadriano*, quem dixi, aut exſtructum, aut exſtrui cœptũ, magnificè, vt dignum erat amplitudine noſtræ nationis. Poſtes atque altaria marmoribus exculta; ſacella quæque alia ſunt, plaſtarum pictorumque illuſtrata operibus; moles ipſa teſtudineata vaſtis innititur columnis. Imago eſt B. Virginis marmorea, hoc diſticho: X. **S. Maria de Anima.**

Virginitas, Partus, diſcordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Templum PP. Societatis IESV admirabili ſtructuræ ſplendore excellit inter pauca. Frons forinſecùs quadratis candentibus ſaxis alioque cultu magnifica, intus ſuperba aliquot altaria: ſed quod principale atque intimum eſt, columnarum ornamento facilè præſtat. Tegitur templum fornice vaſto, elato, pulcherrimo: & ipſum plumbeæ laminæ tegunt. Omnia *Alexandri Farneſij* Card. maximis impenſis fabricata. XI. **PP. Societatis IESV.**

CAPVT IV.

CELEBRIORA VENETIARVM VRBIS TEMPLA.

Templi S. Marci ornatus multiplex.



Ancti MARCI tutelaris *Venetorum* Diui augustum Templum sumptu & artificio mirabile, quod quidem amplissimum, ac ex marmore nobili constructum est. Pauimentum ex *Porphyreticis, Laconicis, Thasijs, Ophiticis* aliorumque pretiosorum marmorum lapillis tessellatum, ac varietate colorum resplendens picturas egregias repræsentat, quæ inter potissimùm spectatur saxum bipedale, angustum ac discolor, rufo tamen simillimum, de quo varia vulgus in æstimando tantùm non varium: aurũ pretio exæquat, & propè semel fuisse, vt à *Iudæo* effoderetur, memorat. Pariter in pauimento saxeum æquor ostentat, albos lapides cæruleis tractibus distinctos, ita vt vndarum quamdam speciem referant. Videntur in eiusdem templi solo emblemata aliquot insignia, quæ curiosa ingenia diuersis coniecturis exercent: *Ioachimo* Abbati *Sanflorio*, quondam vaticinijs claro adscribunt.

Lapides à naturâ variè picti.

Parietes templi seu basilicæ, marmoreis tabulis varietate colorum pulcherrimis sunt incrustati. Ad læuam duæ albæ coniunctæ sunt ex vnâ trabe marmoris sectæ tabulæ, in quarum commissurâ lineis nigricantibus natura ludibunda tanto artificio viri effigiem expressit, vt omnibus industriosè depicta videatur, & eius tamquam miraculi mentionem fecerit *Albertus Magnus* in suis Meteoris. Fornices *Mosaico* opere, quod vocant, inaurati sunt, insertis elegantibus figuris, & vnâ *S. Marci* effigie plurimum laudatâ. Testudinem in pictas, vt dixi, apsides curuatam sustentant XXXVI. columnæ marmoreæ, quas inter VIII. nigerrimæ candidis maculis venustè discretæ duorum pedum crassitudine per diametrum, nam tota peripheria plurium est. Vide *suprà p. 4. c. 13.*

Fornices.

Aræ maximæ ornamenta.

Aræ maioris palla, quam vocant, ex aureis solidis laminis compacta, lucida frequentibus gemmis & *Græcanicis* sigillis variegata hercle spectantium oculos diu moratur. Testudinem, quæ aram tegit decussatim, ex pulcherrimo ophite constructam ornatamq; insculptis Biblicis imaginibus ferunt quaternæ columnæ

Parij

Parij marmoris, simili ornatu insignes. A tergo, vltimam ante aram videas totidem alias subpallidas columnas, alabastrinas, diaphanas instar nitri crassionis, quas è palatio *Salomonis* ablatas illatasque fuisse in hoc Templum audet dicere *Boissardus*: Iam monumenta principum virorum & sacella, quæ in hoc templo illustria, quis pro dignitate explicauerit? In eâ deinde cellâ, quam indicabunt ad dexteram eminentes fores auro & tessellis conspicuæ (vbi loci, spectantur quoque *DD. Dominici & Francisci* effigies multò antè, quàm ij nascerentur, ab Abbate *Ioachimo* formatæ) thesaurus *S. Marci*, vt vocant, asseruatur, immensi res pretij, atque vt ait Poëta quidam: 1 par. topog. Rom,

Innumeros calices hic, aurea vasaq; cernes
Apta ministerijs, vsibus apta pijs.
Ac plures chlamydes gemmis auroq; rigentes,
Quam quot luciferos integer annus habet.
Mollia prætereo, quæ Seres *vellera quondam*
Nêre, sed Ausonides *jam didicêre nurus.*
Nec refero tinctas concha Sidonide *vestes,*
Nemo sacerdotum quas numerare potest.

Syllabum pretiosissimarum rerum apud alios leges, ego templi reliqua persequor, portas scilicet, vestibulum & externa ornamenta. Portæ anteriores quinque sunt ex ære fusæ. Frons, vbi aditus principalis è foro, super emblemata *Græcanici* operis statuasque Diuorum in spatijs sitas exornata est duplici ordine columnarum, quarum quæ in inferiori stant, altæ pedes XIIII. centum quatuordecim: superiores non eiusdem quidem magnitudinis. Attamen formæ paris & numeri multò maioris, CCXLVI. numerantur. Notârunt aliqui ampliùs quingentas totius Basilicæ columnas esse, quarum pars maxima è *Græciâ* atque *Athenis* fuerit aduecta, præter reliquam materiam & structuram, quæ ipsa quoque sumpta à *Græcis* fuisse videntur. *Christiano* tamen ritu, & fermè jam totâ *Italiâ* vsitato formatum templum fuit, vt crucis figuram referret. Quinque fornicatæ, hemisphærij in modum testudines obtegunt molem, ipsæque plumbeis laminis teguntur. Nec silendi prominentes in forum cuprei plumbeique siphones, in quos pluuiæ aquæ

Templi D. Marci frons, eiusq; ornatus à statuis & columnis.

Cisternæ Venetæ.

corriuantur, delapsæque porrò in terram & ab occultis canalibus haustæ vicinos puteos implent, quos intra defæcatæ in potum humanosque alios vsus solent conuerti. Ceterùm principali ostio, quod occidentale forum respicit, adstant porphyreticæ octo columnæ pretij & elegantiæ incredibilis. Superstant quatuor ærei equi, auro obliti, salientium specie, effecti adeò singulari arte, vt ausit dicere *Sansouinus*, omnibus in terris pares non reperiri.

Lib. 2. Venet. de script.

II. Quot templa Venetijs? 146.

Templa *Venetiarum* omnia enumerare, non est mei instituti, quia non nisi principalia, & à singularis structuræ elegantiâ celebria adnumerare constitui, quibus dumtaxat percensendis operam meam impensam volui. Vt tamen quotam partem omiserim sciatur, Parochialia in Vrbe templa ad septem & sexaginta numerantur; quorum omnium D. MARCI ædes sine controuersiâ splendidissima atque amplissima est: *D. Iacobi* vetustissima: *S. Petri* in castello religiosissima, vt cui *Venetus* Patriarcha præsideat, quam DD. Martyrum *Sergij & Bacchi & Laurentij Iustiniani* cineres, quam *Petri* Apostoli marmorea cathedra *Antiochiâ* ex dono *Michaëlis Palæologi* Imp. accepta, dignissimam reddant omni veneratione. Præterea Monasteria Virginum, viginti sex: virorum quatuor & quinquaginta.

III.

Illam primò, quæ contra forum *D. Marci* quingentos admodum passus dissita conspicitur, & S. GEORGII *Maioris* dicitur, *Benedictini* incolunt, vix pauciores quinque & septuaginta. Locus suopte ingenio amœnissimus, Patrum sumptibus ad miraculum excultus est. Taceo monasterij ornamenta, Bibliothecam nobilem *Cosmi Medicæi*, dum apud *Venetos* exsularet, liberalitate constitutam, cœnacula amplitudine pictisque tabulis conspicua, cetera conclauia hand secus ornata, porticus atque atria spatiosa, & elegantias id genus plures. Templum vide quàm augustum sit, quàm pretiosum. vastæ & affabrè exsculptæ columnæ fulciunt decorantque molem, tegunt plumbeæ laminæ; pauimentum vario marmore stratum est; sacerdotum sedilia bellè exsculpta sunt. Altaria deindè, tabulæ, statuæ, sepulchra Diuorum hominumque, monumenta alia & donaria haud facile dictu est, quanta sint ab arte pretioque.

S. Georgij Maioris templum.

S. SALVATORIS templum amplum atque elegans eſt, nec non Theodori tutelaris Venetorum Diui ſepulchro venerabile; ſigna & imagines ornatus religioniſque ergò paſſim locata; aræ palla, quam vocant, è puro puto argento fabrefacta, ſtatuiſque pedalibus exculta, cenotaphia in primis ſpecioſa Franciſci Venerij Ducis, Catharinæ Cornariæ Cypri reginæ, & trium ex eâdem Cornariâ domo purpuratorum, quos diuerſi Pontifices Max. in ſacrum Senatum adlegerunt. IV. Aedis S. Saluatoris ornamenta.

Iam Protomartyri STEPHANO ſacra Baſilica inter paucas Vrbis numeranda, ſeu amplitudinem ſpectes, ſeu columnarum ſtatuarumque & tabularum ornamenta, ſeu celebrium virorum ſepulchra. V. S. Stephani templum.

S. SEPVLCHRI fanum à marmoreo ſepulchro ad ſimilitudinem religioſiſſimi eius, quod Hieroſolymis interuiſitur, efficto nomen habet. VI. S. Sepulchri

SERVITARVM Templum, ornatiſſimum ſignis, tabulis, ſacellis, & clarorum hominum ſepulchris è marmore quàm affabrè exſculptis. VII. Seruitarum templum.

MARIAM Horti (templi hoc nomen eſt) ornant excellentiũ pictorum ac ſtatuariorum opera; quibus vt magnitudine, ita formâ etiam præſtare videtur coloſſeum magni Chriſtophori ſimulacrum ad ſtaturæ eius exactam ſimilitudinem, vt quidem fabulatur vulgus, effictum. Laquearia genere picturæ, quam perſpectiuam vocant, veſtita ſuſpicientium oculos recreant falluntque iuxtà, nec enim quiſquam ea intuitus eſt, quin ſinuata & retracta introrſus, atque ea re templum excelſius longè, quàm reuera eſt, eſſe putauerit. VIII. S. Mariæ Horti templum.

S. MARIÆ, cui à cannarum copiâ Cannareum nomen fecerunt, tertia & vltima ædes illa eſt, quæ ab admirandis D. Virginis erga cultores ſuos beneficijs Miraculorum cognomen inuênit, exſtructa & ornata è collatâ ſtipe & piorum donarijs, quæ profectò ampliſſima fuiſſe oportet; incruſtata eſt enim politiſſimis marmoribus, & fronte tenus ophite Spartanoq; lapide ac porphyrite obducta, pauimentata lithoſtróto, intecta auratis laquearibus, exculta pictis tabulis, & è Pario genuino marmore elaboratis induſtriè IX. S. Mariæ Miraculoſæ.

dustriè signis alijsque imaginibus, quas aut materiæ pretium aut artificis fama commendet, vtpote cùm puerorum marmorea simulacra subter Organum locata nobilissimus sculptor *Praxiteles*, quantum *Sansouini* verba audio, sculpserit.

X. S. Mariæ Frari. S. MARIÆ cognomento *Frari* ob guttam *Christi* sanguinis *Mariæ Magdalenæ* vnguento infusam, quam *Melchior Fruisanus Constantinopoli* attulit. Templum ipsum amplissimæ molis in plura sacella discretum est, excultumque picturæ ac statuariæ artis rarissimis operibus, quæ crebra videas in marmoreis sepulchris illustrium virorum.

XI. Ecclesia S. Helenæ. S. HELENÆ Augustæ Templum splendidissimum, sacrarium deinde vermiculatis emblematis pictum ac pauimentatum pulcherrimè, armaria versicoloribus scandulis tessellata, in templi intimis penetralibus sedilia ipsa quoque varijs tesserulis picturata, & incisas multarum vrbium exactissimas icones parergis jucundissimis circumuestitas obstupescimus.

CAPVT V.

ILLVSTRIORA PATAVII TEMPLA.

I. Templum Pontificale. ATAVII Templum Cathedrale à fundamentis *Fridericus II.* eius nominis, aut, quod alij tradunt, *Henricus IV.* Imp. excitauit. Coniugem certè huius *Bertam* auxisse plurimùm opes eius, datis dono prædijs, ex vetustâ inscriptione apparet.

II. S. Iustinæ. S. IVSTINÆ augustissimum templum amplissimo campo, quod *Pratum Vallis* dicitur, imminens, non multò ante nostram ætatem exstructum fuit; eius descriptionem dabo ex *D. Iacobo Cauacio*, sed paululùm contractam. *Anno MDXXI in fundamentum noui templi prid. Cal. Febr. demissus est primus lapis multis precationibus & cæremonijs sacer. Multo stipendio adscitus est* Venetijs Alexander Leopardus *Architectus, sed breui tanto oneri cessit. Neque diutiùs præfuit* Vincentius *Abbas accepto successore* D. Ioan. Cremense *Monacho nostro. Prouexit is tanto studio fundatum templum, vt altero anno, quo etiam magistratu abijt, solo tenus parietes viderentur. Successit*

(Lib. 6. hist. Cœn. D. Iust. Pat.)

cessit Io. Mariæ *Abbati* D. Andreas Venetus *è Cœnobio* S. Georgij, *qui etiam templum erexit, quod metiri nunc placet. Ab arâ maximâ quæ Orientem spectat, enumerantur ad ostium pedes CCCXXXII. Tractus medius, qui crucis figuram exhibet, ab Austro in Septentrionem excurrit pedes CCXXVIII. latitudo vbi maxima est, habet pedes LXXII. vbi minima, XL. Ipsa latitudo variat vbi mediæ naui laterales junguntur. Singulos ad Orientem angulos ornant duo Sacella, ad Occidentem vnicum. Hæc vniuersa in absidem flexa, reliquum templi rectà in Occidentem sena Sacella habet ad Meridiem, sena ad Aquilonem. Ingentes columnæ quadrangulares lateritiæ, quæ fornicem sustinent, ex marmore Istro habent capita & bases. Coronix ex eodem marmore totum templum excurrit lata pedes IX. proiecta III. Architecturæ ratio mixta est, sed magis in* Corinthiam *deflectens. Columnarum capita habent florem abacum, volutam, & cimatium, licet, non habeant folia. Basibus adsunt stereobatæ, qui suppedaneum præbent, ac stilobatæ, qui sedes faciunt his qui diuinæ rei intersunt. Martyrium subest aræ maximæ, quod fornice obtegitur summè artificioso. Neque enim fulcitur vectibus vel catenis, sed ferè planus sub vastissimo pondere longiùs excurrit. Hæc templi dimensio est; ornamenta verò quæ non facilè describantur.* Augustinus Abbas Anno MDXXXIII. constitutus, *à foro ad curam templi conuersus,* Andream Moronum Bergomensem *Architectum multi nominis conduxit, cuius etiam studio satis prouectum est. Pòst Anno Christi MDXXXVI.* Leonardus Pontremulensis *secundò Abbas renuntiatus, accensus æmulatione decessorum præ his templum extulit. Sacrarium vltra coronicem erexit; Sacella* SS. Maximi & Iuliani *concamerauit, nobilissimo ambulacro veterem Ecclesiam nouo templo coniunxit.* Sub huius successore MDXLI. Ignatio *Sanctuarium fornice ac testudine (Catinum vocant) obtectum est, atque primùm conspecta coronix marmorea ingentis operis, quæ Ecclesiam interius totam decurrit. Altero anno Sacella* SS. Innocentium & Arnaldi *absoluuntur, maiora duo* SS. Mathiæ *&* Lucæ *inchoantur.* Anno MDL. *Idem Abbas ad templum conuersus, Sacella* Mathiæ *ac* Lucæ *ducto fornice, ac interpositis testudinibus obtexit.* Eius successor D. Stephanus Nouariensis *templi fastigium absoluit, & duodecim Sacella fundauit, quæ latera exornant.* MDLII.

Anno MDLV. D. Hieronymus Abbas *ad templum conuerſus, abſoluit Sacella* SS. Vrij & Felicitatis, *atque ducto pariete medium templum quod abſolutum erat ſeclusit ab reliquo proximè à* Stephano *inchoato.*

Tædebat Hieronymum *perſolui diuina officia in templo veteri præanguſto, cùm jam nouum alterum his aptiſſimum extaret; itaque conſtructis raptim ſubſellijs, deportatisq; muſicis organis, eò Monachos juſſit diuinis rebus adeſſe. Poſteà de conſtruendâ arâ maximâ, cuius ornamenta magnificentiæ ipſius templi reſponderent, & de ſedibus Monachorum agere cœpit. Adhibiti cælatores plures ac multi nominis, plures etiam exhibuêre typos ſedium. Sed præ ceteris allexit animos Patrum typus operis* Corinthij, *quem exhibebat* Richardus *quidam* Gallus. *Is ſedes quinquaginta, ſubſellia triginta octo confecit, quibus id genus nihil habeat* Italia *conferendum. Ex opere teſſellato ſpectatiſſimæ aliæ viſuntur Bononiæ apud* Dominicanos *Patres, quæ propriam laudem habent ex compactis mirâ elegantiâ lignorum fruſtulis, Noſtræ hæ rotundæ vt aiunt ferè cælaturæ ceteris eminent.* Sunt lignea quidem, ſed adeò raro artificio biblicæ imagines inciſæ ſunt, vt vel marmora faſtidire poſſit ad illa admiſſus ſpectator.

Anno Chriſti MDLXII. D. Peregrinus *Abbas ad transferenda de veteri templo corpora Sanctorum animum appulit. Aras itaque vnicuique in nouâ Eccleſiâ extruxit, & ingentes arcas ex vario marmore decreuit, quæ ſingulis imponerentur. Has* Franciſcus Surdus Patauinus *ſculpſit. Diruto altari arcæ opertæ perfuderunt præſentes & lachrymantes odore ſuauiſſimo, & humanis ſenſibus inſueto. Ex proprijs altaribus item extractæ ſunt arcæ* SS. Mathiæ & Lucæ *& cum ceteris delatæ in nouum templum, vt in ſublimi ornatiſſimoq; tabulato conſpici à fidelibus poſſent. Quatuordecim dies ibi manſerunt, quibus è totâ prouinciâ promiſcua fidelium multitudo aduenit, vt ipſum & templum latè patens his anguſtum eſſet. Miracula ac ſigna plurima acciderunt, quibus Deus Sanctorum ſuorum merita & preces quanti eſſent oſtendit.*

Deinde prid. Id. Martij maximo omnium rerum apparatu, pietate, ac populi frequentia ſupplicatio inſignis fuit. Reliquiæ Sanctorum arcis marmoreis clauſæ ſunt, & his adiectæ plumbeæ tabulæ, quæ ſingulorum memorias docent.

D. Angelus Sangrinus *Abbas ducto ambulacro, amplexus puteum SS. Martyrum, etiam Sacellum* S. Prosdocimi *cum nouo templo coniunxit. Aram in austrum transtulit, ingentem fenestram in Orientem aperuit, marmoreas tabulas semirutas, quibus Sacellum vestiebatur, detraxit, loculamenta. statuis Sanctorum, inscriptiones adiecit, sacras historias appinxit, marmoreum pauimentum strauit, atque ædiculam ferè aliam* Prosdocimo *aptissimam restituit. In huius gratiam Puteus etiam Sanctorum Martyrum auctus est ornamentis, quæ extant.* Lapis, super quo mactati quidam Martyrum fuêre, hanc habet inscriptionem: **Saxum à Martyrum cæde.**

Quàm lapis hic pretiosus, vbi tot colla piorum
Martyrij titulo deposuêre caput.

Itemq; è regione alius rubeus cum hoc disticho: **Aliud S. Prosdocimi sacrificijs Venerabile.**

Hac super insigni petra *Prosdocimus* olim
Obtulit ô quoties! munera sacra DEO.

Postea reliquiæ S.Præsulis insigni pompâ,& populi frequentiâ circumlatæ, in antiquo Sacello reconduntur MDLXV. Decennio pòst D. Iuliani Abbatis *auspicjs tabula ad aram maximam vastum egregiumq; opus, mox tabernaculum quo Sanctissima Eucharstia asseruatur, eriguntur à* Ioanne Maneto Florentino *insigni cælatore. Vtrumq; ligneum est, sed magnitudine, cælaturâ, auro, ac pluribus ornamentis conspiciendum. Picturæ opus adiecit* Paulus Calliarius Veronensis *celebris pictor, quâ Iustinæ martyrium, & cælestem gloriam expressit.* Richardus Gallus *etiam sedes expleuerat, quæ ante Sanctuarium collocatæ, ingentem hominum vim in sui admirationem traxerunt. Pauimentum lateritium hactenùs, Sanctuarij, ac sedium magnficentiam dehonestabat Id* Iulianus *ex vario marmore augustum effecit.*

D. Celsus Abbas *ingentes columnas, quarum tantùm bases extabant, integras effecit, marmoream coronicem totam absoluit, ingentes absides ad latus duxit, latissimum in fronte parietem extulit, Sacella duodena inferiùs absoluit.* D. Paulus Orius Abbas, *ponè Sanctuarium quà ad Musica organa ascensus est, portam marmoream statuit operis* Corinthij. *Super columnas, quas* Celsus *extruxerat, ductis arcubus quibus testudines incubarent, totum templum obtexit. Fastigium ex lariceis tabulis, & trabibus induxit, marmoreas fenestras amplissimi*

orbis absoluit. Parietem quo Hieronymus Placentinus *templum diuiserat, idem prostrauit, atque cupitum diu aspectum totius Ecclesiæ liberum exhibuit. Sacrarium auxit Cruce insigni è crystallo, & argento, quam* Baptista Patauinus *egregius cælator elaborauit. Tricubitalis est simulacro Redemptoris in eâ pendentis, & ornamentorum opere expolitissimo commendata.*

Quia Turris antiqua sub eminente nouo Templo ferè latebat, nec sonus ex eâ ad vrbem pertingebat, D. Ioannes Euangelista Abbas *eamdem extulit, ac marmore exornauit, vt duplo elatior sit, & alia prorsus videatur. Tectum noui templi ad veterem archetypum testudines habet vbique, ex quibus septem maiores, quatuor minores sunt. Media quæ Crucis angulos vel centum supereminet, abside carebat, vt aliquando ad æquam formam extrueretur. Rem periculosam apprimè faciebat testudinis pondus, & columnarum bases palustri loco sitæ, ne sub iniecto pondere hiscerent. Attamen re cum Architectis communicatâ, tabulatum ac fastigium detraxit, mox circumducto pariete etiam columnarum bases disposuit, circa annum* MDC. Hactenus Cauatius.

III. Templum S. Antonij. de Padua.

S. ANTONII de *Padua* Templi tectum plumbeum est: Chorus vltra medium versicolore marmore cingitur, inclusæque in id sunt plures tabellæ æreæ eleganter elaboratæ. Subsellia in Choro lignea, opere tamen conspicua. Ara marmorea æneis imaginibus exornatur. Propè consistit æreum candelabrum pulcherrimè cælatum, basi marmoreæ insistens, *Andreæ Riuij Brioſci* nobilis statuarij opus. Exteriùs ad sinistrum templi latus *S. Antonij* tumulus visitur è candido totus marmore. Paries circumcirca vestitur nobilissimis trium sculptorum operibus, *Tullij Lompardi, Iacobi Sansouini, Hieronymi Compagnæ,* qui mirifica eius Diui, dum inter homines versaretur, edita opera ingeniosè in candido marmore expresserunt.

IV. Templa Pataúij. 71.

Hæc *Pataúij* templa præcipuè spectanda. Nec verò inficior esse alia quædam non spernenda; verùm summa sector, humiliora vix tango. Sunt enim *Pataúij templa* parochialia XXVI. Xenodochîa præcipua IV. Monasteria virorum XXIII. Virginum XVIII. quibus describendis ne volumen quidem satis sit.

CAPVT

CAPVT VI.

CELEBRIORES BONONIÆ, FLORENTIÆ ET SENARVM ECCLESIÆ.

BONONIÆ S. DOMINICI Templum viſu dignum, vbi huius Diui ſacrata oſſa pretioſo in tymbo recondita, ad quem per plures gradus aſcenditur. Opus eſt affabrè è *Pario* marmore elaboratum; & exſtruetur ibidem Sacellum rariſſimæ futurum pulchritudinis, ſi quidem primis vltima, vt debent, paria fient. In Choro templi ſubſellia ſunt lignea opere ſegmentario; arte eâ, vt particularum coniunctiones planè nullæ animaduertantur. Itaque aiunt *Carolum V.* Imperatorem arbitratum picturam eam colorum eſſe, quæ lignearum ſcandularum & teſſellarum verſicolorum ſuisque locis aptiſſimè commiſſarum eſt, pugione execuiſſe fruſtula aliquot, quæ adhuc abſunt. Imagines autem Biblicæ ſunt; operisque eius ſanè nobiliſſimi artificem ferunt *Franciſcum Damianum Bergomatem*, è *Dominicanorum* familiâ virum. I. S. Dominici Bononiæ.

Extra vrbem S. MICHAELIS in *Boſco* ſeu nemore nuncupatum Monaſterium viſitur nouis & vetuſtis ædificijs ſumptuoſiſſimum, cuius Templum atque ſacraria cuncta, marmorum nobilium omnis generis columnis, trabibus atque cælaturâ præclara renitent. Altaria reliquijs Diuûm raris atque donarijs pretioſis auguſta reſplendent ſtatuis, ſignis, tabulisq; pictis artificio ad miraculum excellentibus. Sedilia & ſubſellia ſacerdotum in lateribus templi diſpoſita, ex ſecamentis & ſcandulis variorum lignorum ſtudioſè commiſſa, picturam quamdam elegantiſſimam repræſentant: vti caſtella, turres, arbores, animalia, campi, montes, ac regionum plagæ, nec non herbarum, ac florum minutiæ ſuis coloribus vix penicillo poſſent à perito pictore diligentiùs exprimi. II. S Michaelis in Boſco.

FLORENTIÆ templum *S. Spiritus* Altare habet cum appoſitis ornamentis, piâ *Io: Baptiſtæ Michelocij* Senatoris & ciuis opulentiſſimi (quod hoc opus abundè teſtatur) munificentiâ exſtructum. Non marmora ibi miror, ſolita paſſim in *Italiâ*, & vſu vulgata: ſed gemmas III. S. Spiritus Florentiæ.

mas ac lapides peregrinos æſtimo. Quî poſſim verò æſtimare, cùm pretij inæſtimabilis ſint? minùs aſſequor animo artificium, ſuperat enim omnem cogitationem, omnia encomia. Videre eſt è variorum colorum gemmis, vitri inſtar reſplendentibus, & pulcherrimâ ratione teſſellatis, vrceorum flores continentium aliarumque rerum formatas imagines. Superiorem ædiculam, in quâ S S. Euchariſtia reponi ſolet, plures columellæ è cæruleo pretioſiſſimo lapide exſculptæ, aureis epiſtylijs inſignes complectuntur; ad latera altaris quaternæ ſtant è viridi lapide columnæ: ambit & claudit ipſum paries è varijs politiſſimis marmoribus conſtructus; cui ſuperſtat columellarum ordo ferreis inauratis cancellis variatus. At templum vaſtæ è petrâ *Serena*, vt *Bochus* nominat, columnæ ſuſtentant.

IV. S. Mariæ Floridæ.

D. MARIÆ *Floridæ* Templum ibidem à *Florentinis* ciuibus ſub an. M.CC.LXXXXVIII. erecta, architecto *Arnulpho Lapo*, longa à foribus ad Chorum ſiue intima penetralia vſque pedes ampliùs CCC. lata LXXV. Stupendi operis eſt *Cupola*, id eſt teſtudo octogena hemiſphærij in modum faſtigiata, vix credibilis ei, qui oculos iudices habet, altitudinis; vlnas enim alta eſt CLIV. præter capitulum ſeu turriculam ſuperimpoſitam, quæ in ſex & triginta vlnarum celſitudinem attollitur, ſcanditurque ab humo gradibus quingentis viginti. Vnumquodque octo laterum, quæ dixi, LXXV. pedes protendi in longitudinem comperi. Intrinſecus tria ambulacra habet, quorum quod eſt infimum, circùm totam ædem ducitur, eique forinſecus reſpondet aliud coronidis vice è marmore ſtructum ita, vt totum templum intus exteriuſque ambiri poſſit; anteriori parte exceptâ, quæ cultu marmorum nigrorum alborumque quibus exteriores parietes artificiosè incruſtati ſunt, caret. Pariter & ambulacrum illud ibi interruptum eſt, credo quòd cùm eam templi frontē reieciſſet ad vltimum artifex elegantiori meritò opere exornandam, caſus aliquis ſeu ipſi ſeu ciuibus incidens impedierit tantæ fabricæ complementum. Ceterùm auguſtiſſimus ille, quem dixi, fornix illuſtratur arte excellentium duorum pictorum *Vaſarij* & *Zucchari*, qui vltimum illud futurum judicium in arcu eius optimè adumbrarunt. Arcus capitis vice turriculam,

quam

quam dixi gestat, siue prægrandes aliquot è candido marmore exsculptas columnas, quarum interstitia vitreis fenestris expleta sunt. Columnarum vna caua est, perq; eam in globum inauratum ascenditur. Et huius capacitati, qui fidem oculis dederit, fidem denegaturus est. Altitudine omnem humani corporis longitudinem excedit: amplitudine est pedum xx. metiendo non diametron solam, sed peripheriam totam. Fornix iste Chorum tegit, qui & ipse octogenus est, circumseptus marmoreis columnis & imaginibus *Parium* in marmor perbellè incisis. Eiusdem materiæ ipsa quoque Ara est, *Baccij Bandinelli* eximij statuarij opus: eiusdem sunt XII. prægrandia Apostolorum simulacra, à summis sculptoribus, quos nominat *Bochus*, effecta. **In descript. Florent.**

Turris marmorea. Proximè templum turris in altitudinem centum & quadraginta quatuor vlnarum exurgit, ampliùs vicenas defossa infra terram. Habet quatuor latera aperta, & muro templi nulli ex parte immissa: sita eo artificio, vt qui ad angulum straminis (locus est vulgo *canto della paglia* vocitatus) constiterit, vnico intuitu omnia videat. In his admirabilis sculptura est è triplici marmore; albo, nigro, rubeoque; dispositæque sunt suis locis statuæ, quarum interualla aut permeans occupat aër, aut vermiculato opere explentur.

V. Fanum D. Ioannis Baptistæ. Porrò ante frontem templi quod descripsimus, area est, atque in ea ædicula, *Marti* quondam, jam S. IOANNI Baptistæ consecrata, octogona; cuius pauimentum ampliùs medium frustulis lapideis pictum, parietes albo nigroque marmore conteguntur. Testudo opere museiario seu musiuo, quod *mosaicum* vocant, illustratur. Ianuæ tres sunt, earumque valuæ æreæ: in ære biblicæ aliquot historiæ spectantur, fusili opere expressæ à *Laurentio Cione Chibertio*; quibus pares arte alias vix in toto terrarum orbe reperiri autumat *Leander*. Ad portam principalem erectæ stant porphyreticæ duæ columnæ. Intra ædiculam visitur alabastrinum Baptisterium bellissimè elaboratum, quò totius vrbis infantes lustrandi deferuntur. **In Flor. descript.**

VI. Templũ S. Laurentij. S. LAVRENTII Basilica, nobilis & suâ ipsius structurâ & *Mediceorum* Principum monumentis. Sacellum candido intus marmore

more opertum, in quo *Medicæorum* cenotaphia, conſpicua binis heroum ſedentium ſimulacris *Pario* ex marmore effictis; nec paruæ artis alterum opus ibidem ſtatutum, Deiparæ videlicet effigies è ſimili marmore exciſa, propterque eam adſiſtentes marmorei item, *Coſmas* & *Damianus*, *Medicææ* familiæ tutelares Diui, Medici ipſi. Cetera, quæ ad architectonicen huius loci pertinent, apud *Franciſcum Bocchum* tute legas; multus eſt in deſcribendo laudandoque hoc Sacello, vt judice ipſo inter Vrbis opera primas ferat elegantiæ & architecturæ nomine.

VII. Nec tacendum eſt *Sacellum*, quod *Ferdinandus Etruriæ* Princeps, ad frontem *Laurentiani* templi exſtruendum curat. Decrêſſe aiunt ipſum ad hoc opus duos auri milliones; quæ licet incredibilis pecuniæ ſumma nonnullis videri poſſit, repertura autem facilè fidem eſt apud eos, qui opes, qui magnanimos ſpiritus optimi Principis cognitos habent, Nihil ibi vulgare futurum; excelſa & minimè trita *Ferdinandus* meditatur. Vt gemmas taceam aliaque pretio quidem magna, ſed vſu jam vulgata: cryſtallinæ columnæ auratis capitulis fulgentes conſpicientur in illo Sacello propediē, vt ſpero; abſoluta enim ſunt ornamenta ferè omnia. Beatum puto, qui illa ſuis locis diſpoſita, qui tot in vnum locum congeſta artis narturæque miracula viſurus eſt.

Materies Sacello Fernandæo deſtinata.

VIII. Templum S. Marci.

In D. Marci templo eſt Sacellum à *Saluiatis* proceribus *D. Antonino* è familiâ *Dominicanorum*, Archiepiſcopo *Florentino*, ſub arâ ibi humato, ædificatū è pretioſiſſimis lapidibus, plurimo marmore *Pario*; è quo etiam exciſæ ſunt ſex prægrandes Diuorum ſtatuæ, ſupraque has æreæ paginæ inſignes Diuorum res geſtas fuſili opere repræſentant. Sacelli huius ſanè eximij architectus fuit *Ioannes Bologna Belga*.

IX. S. Mariæ Annuntiatæ.

Ad ædem D. Mariæ *Annuntiatæ* ægri vt ad medicum confluunt. Certè ad quem melius? tot tantiſque reſtituta ſanitas diuinitus; & quicumque ſincerè opem ſubſidiumque malis ſuis implorârunt, acceperunt. Indicio ſunt myriades votiuarum tabellarum ſignorumque, quibus totum templum (verè dixerim) onuſtum eſt; ea ſunt monumenta, ſpem, vt in rebus humanis fallacem, ita in Deo, Diuaque eius matre fixam, vanam numquam fuiſſe.

Facit

Facit religionem iſtam loci, imago *Angeli, D.* MARIÆ *Aue* dicentis, quam pinxiſſe *D. Lucas* perhibetur. Hæc vulgaris juxtà ac falſa fama eſt: verior illa, nec miraculo minor: Pictorem ferunt, probum ac pium hominem, ceteri quidem corporis imaginem ſuâ manu excellenter pinxiſſe; cùm vltimum operis ac præſtantiſſimum reſtaret, ipſe *D. Virginis* vultus efformandus, anxium animo, ac ſeu diffidentem arti, ſeu formam ſolicitè excogitantem, paulisper obdormijſſe: à ſomno cùm ad opus rediret, vidiſſe abſolutam faciem, omnibus numeris, admirabili elegantiâ; creditumque haud falsò, diuinitùs admotam fuiſſe manum, cùm humana accedere potuerit nulla. Vtque tanto cælitùs demiſſo operi humani omnes honores haberentur, in pretioſiſſimo altari collocatum fuit. Claudunt altare quatuor alabaſtrinæ columnæ, illuminant triginta ex argento lampades, vt taceam bina argentea maximi ponderis candelabra, ceteraque donaria. Templi vniuerſim ornatus ac ſplendor in Sacellis plurimùm elucet; quæ licet cuncta pulcherrimis picturis decorata ſint, facilè attamen omnibus præſtat intimum, quod *Ioannes Bologna* ſummi nominis ſculptor, ſibi ſuæque artis ſtudioſis conſtruxit è fuſco lapide, diſpoſitis jucundiſſimâ ratione columnis, & è *Pario* marmore exſculptis ſtatuis, & ex ore fuſis tabellis, *Chriſti* perpeſſos cruciatus referentibus. Numerandum quoque inter elegantias templi huius ſepulchrum *Baccij Bandinelli*, præclariſſimi ſtatuarij, ſuum juxta opus, ſtatuam ſcilicet *Chriſti* Seruatoris, cubantis.

Vnde tanta loco religio?

Ioannis Bolognæ Belgæ clariſsimi ſtatuarij Itemq́ Baccij Bandinelli monumenta.

X. *Templum S. Crucis.*

S. CRVCIS templum, ſi Cathedrale excipias, quodlibet aliud mole ſuperat. Longum eſt vlnas, vti *Florentini* metiuntut, CCXL, latum LXX. altitudo quæ ſit, definire non auſim, at affirmare ſummam eſſe & incredibilem. Altaria, quibus latera veſtiuntur, binis quoque columnis exornantur, materie opereque ſimilia omnia; haud facilè dixerim, quantopere ſpectatorem oblectent. Suggeſtum, nec ſi *Cicerone* facundior ipſo ſim, pro dignitate laudauero; ea ars eſt & forma columnarum, ſtatuarum, imaginum, quæ in marmore à peritiſſimo ſculptore efformatæ *D. Franciſci* vitæ hiſtoriam pulcherrimè exhibent. Sculpſit *Benedictus Maianenſis* ſumptibus *Petri Mellini*, ob adeò piè ac liberaliter impenſas opes digni immortali famâ viri,

XI. Templa Florentiæ. Ceterùm in *Florentinâ* vrbe XLIV. parochiæ numerantur. Cœnobia virorum virginumque ſunt LXXVI. Xenodochîa ſimileſque domus, in quibus ægri, pauperes atque expoſiti infantes aluntur, XXXVII.

XII. Templum Cathedrale Senis. SENIS in Pontificali Baſilicâ plura conſideranda ſeſe offerunt. Situs primùm loco maieſtatem quamdam concilians, etenim in edito poſitum templum eſt, maximè difficili aſcenſu ab eâ parte, quâ in Vrbem prominet: ducti tamen vſque ad ſummum marmorei gradus quantum aſcendentibus commodi præbent, tantum addunt ipſi templo venuſtatis. Ipſam quoque eius frontem, etſi marmoreis ſtatuis, columellis, ſpiris, epiſtylijs, & ſimilibus ornamentis tota veſtitur, multò minus decus ſpeciemque habituram fuiſſe, ſi ſuppoſitis gradibus eleuata non eſſet, à multis eſt obſeruatum. Area pro Templo. Auget formam aditus ſeu veſtibuli ſpatioſa & elegans area. Templi ſpecies deſcripta. Templi longitudo pedum CCCXXX. latitudo CLXXXIII. tectum arcuatum eſt: arcus in triplici teſtudine pares omnes, colore cæruleo, auro ſtellati, niſi quòd laterales medijs ſunt humiliores. Suſtentant eos marmoreæ columnæ ſtructiles, candidis nigriſque lineis pari ordine, ab ſe mutuò diſiunctis; ita parietes quoque lineati ſiue virgati ſunt. Reliquâ teſtudine excelſior tholus eſt, quem marmoreæ ingentes columnæ ſimiliter virgatæ ſuſtinent; niſi quòd lineæ in his magis contractæ, & eodem ab inuicem interuallo ac magnitudine albæ nigræque ſunt: aliæ columnæ inæqualiter diſcolores, breuibus orbibus nigris, longiſſimis, candidis. Hic tholus in medio teſtudinis vmbilico exſurgit, ſuperatque celſitudine ſuâ ceterum tectum, vt dixi; crebris feneſtris interciſus ac pellucidus: ſpatia, quæ inter feneſtras interſunt, marmoreæ ſtatuæ explent. Nec omitto ſeriem ſimulacrorum, quæ ſub mediâ teſtudine per totum templum ducitur, omnium Rom. Pontificum ij vultus ſunt è gypſo perbenè effigiati. His ſubſunt capita aliquot Imperatorum: at Pontificum, qui ex hac vrbe prodiêre, ad fores integra ſunt ſimulacra. Pauimenti ſingularis ornatus. Iam templi pauimentum quàm admirabili & vnico, auſim dicere, in Europâ artificio; tamen in tantâ emblematum imaginumque copiâ ac varietate, quibus templum ſtratum eſt & ornatum, non magnopere miramur, niſi

nisi illam partem, quæ ante maiorem aram tabulis vt plurimùm obtecta latet, vt ne quid detrimenti à conculcatione patiatur. Tres eæ Biblicæ historiæ sunt, è candido maximè ac nigro marmore efformatæ: qui tamen color non vnus est ac simplex, sed variè mixtus, prout lucidũ aut opacum scenographia requirit; & quas pictores penicillo vmbras, vt ipsi vocant, effingunt, eas solertissimus sculptor paruulis crustis subtilissimè inter se coagmentatis expressit adeò absolutè, vt peritissimi pictores ex lithostróto illo, tamquam ex archetypo, perfectam picturam petant. Adde marmoreum suggestum, cui insculpti *Christi* Seruatoris nostri cruciatus quàm spectatorem specie delectant, tam perfundunt commiseratione & dolore cogitantem, suam noxam illis supplicijs fuisse expiatam. Adde sedilia materie quidem inferiora (lignea enim sunt) at opere paria. Adde illa ærea: vas scilicet maximo altari impositum, incredibilis artificij, & angelorum statuas, quæ affixæ columnis octo candididos cereos gerunt, æternum ignem; deflagrantibus quippe alij substituuntur, *quorum quatuor,* inquit Capugnanus, *ab* Auâ *nobilissimâ* Magdeburgensis Saxoniæ *ciuitate jam dudum fuerunt imperati; quæ vt DEO seruiret, in* Senensem *se recepit ditionem, & monialium* D. Benedicti *habitum suscepit, ædificauitq́ in Insulâ Abbatiam, obijtq́ in suo monasterio, nunc diruto, super montem* Madium *ab ea ædificato.* Hæc de eâ *Capugnanus:* de templo ego id modò habeo, quod dictis adiungam: esse videlicet altaria multa, speciosa, columnis alijsq; ornamentis & picturis exculta, esse bina organa eâ suauitate soni, vt non dubitem contendere cum omnibus quotquot *Italia* habet.

Ornamenta alia marmorea, lignea, ærea.

In itin. Ital. Auę Magdeburgensis pietas.

CAPVT VII.

LAVRETANI TEMPLI DESCRIPTIO.

LAVRETANÆ Domus historia notissima cùm sit, eam hîc non repeto, ad templum propero. Id augusto situ specieq; excelsis fornicibus mediaque testudine plumbo opertâ altè euectum, quadratis pilis XII. sustentatur, ad quas appensæ votiuæ tabellæ, descriptaque in tabulis sunt, quæ scire omnium intersit. Legere licebit *Lauretanæ* ædis historiam potio-

I. Lauretani Templi structura.

Aediculæ Virgineæ Marianæ deſcriptio.

rum gentium, etiam peregrinis litteris conſcriptam. Medio in templo ædes conſiſtit, marmoreis parietibus pulcherrimè cælatis forinſecùs veſtita. Ceterùm ne ſuſtentandæ ædis & fulcri potiùs gratiâ, quàm ornatus circumiecti viderentur, diſiuncti aliquantulum fuêre, relictumque patens interuallum, quod fidem faciat, ſacrum ædificium nullo humano opere, ſed Numinis dumtaxat viribus à tot ſæculis integrum ſtare; nulli adeò ſubterraneo fundamento, ſed pleno mollique ſolo inſiſtens. Ornamentum enimuerò parietes illi hanc ob ſolam cauſſam circumſtructi, vt dixi, egregium ſunt, atque vt à *Turſellino* deſcripti, *Carrarienſi* marmore candoris eximij, conſtant, quadranguli, vt ædes ipſa, quam tegunt: at enim bina latera longiora ſunt, quæ *Corinthijs* columnis ſenis, breuiora quaternis adornantur. Imam partem faſcia pedalis è marmore *Luculléo*, vice ſterobatæ circumplectitur; excipiunt inde ſtylobatæ coronati diſtinguendis ſpatijs appoſiti. In ſpatijs & ſtylobatis *Leonis* Pont. Max. inſignia virtutumque emblemata ſigillis pedalibus, atque etiam grandioribus ſcitiſſimè expreſſa ſpectantur. Supra ſtylobatas columnæ ſitæ ad ſingulos angulos binæ: binæ item interpoſitæ januis, quæ in longioribus lateribus patentes, æreis valuis conſpicuæ, quadruplicem in ſacram cellam aditum præbent. Intercolumnia à loculamentis explentur: loculamenta à ſtatuis diuinorum vatum & *Sybillarum*, quas DEI Deiparæq; prænuntiati ortus claras fecerunt. Eadem porphyreticis cruſtis veſtita, haud facile dictu eſt, quantum pulchritudinis operi huic vniuerſo concilient. Quæ verò inter columnarum ſcapos ſpatia patent, ornata ſignis, D. MARIÆ vitam ob oculos ponentibus, ſpectatores religionis voluptatiſq; quodam ſenſu juxtà perfundunt. Epiſtylia ſeu capita columnarum *Corinthium* in modum exſculpta coronataque multiplici ſerto viſuntur; ſubtus appoſita Leonum roſtra & aquilæ encarpos reſteſque pomorum & ſimilium fructuum mordicus tenent. Vltimus ac ſummus columellarum ordo, eminentium angelorum figuris concinnè venuſteque variatus, pro coronide eſt, & præbet vndique peruiam ambulationem ad ſuſpendenda vexilla aliaque id genus anathemata, quæ rei votorum ex diuerſis regionibus afferunt. Opus hoc ad formam à

Lib. 3. Lauret. hiſt. c. 3.

Parietum S. ædiculam circumcingentium ornamenta.

Sanſouino

Sansouino nobilissimo & architecto & statuario descriptam *Leo* X. Pontifex cœpit: *Clemens VII.* propè ad fastigium perduxit: *Paulus III.* absoluit. Stetit autem, vt è rationum libris compertum est, aureorum nummûm millibus pænè quatuor & quadraginta.

Iam ædes sacra, cuius gratiâ tantum opus tantis sumptibus exstructum, atq; à me descriptum fuit, obtegitur circùm vndique, & licet parietibus marmoreis non cohæreat disiuncta, vt dixi, non nihil extrinsecùs tamen aspectui non patet, intrinsecus spectatur, tangiturque liberrimè. Itaque crebro attritu læuigati, lucentium tot lampadarum repercussibus illustrati muri clarùm splendent; & quamquam nigricent à tanti temporis vetustate incutiantque tacitum quemdam cum religione horrorem, integri tamen solidiq; adeò sunt, vt æterni videantur futuri: ceteroquin, vt in paupere casâ, rudes atque informes, neque ad perpendiculum, neque ad regulam exacti: loricati tamen opere tectorio, & veteri picturâ obducti, quæ supernè multis locis manet; infernè temporis vetustate attrituque hominum cum tectorio defluxit. Crassi sunt cubitum non ampliùs, è coctis lateribus saxisque inelegantet constructi: ita nimirum tenues ædificant, quos inopia potioris materiæ vti sine delectu quacumque, cuius copia sit, cogit. Tectum ligneum quondam: sed in æde nihil pulchrius spectabatur; quippe cæruleo pigmento óblita lacunaria, auratisque interiectis stellis assimilabantur cælo: verùm arida materies, & incendio opportuna, tot subter ardentibus lucernis, non ita pridem deposita, & laquearium vice substitutus opere testudineato hic fornix fuit; nitidus tunc, jam à fumo ater. De cetero licet ædem nominauerim, vt alij vulgò nominant, nemo existimet domum esse in cameras contignationesque diuisam. Vnica cella est, longa pedes circiter XL. lata XX. altitudine paululum latitudinem superante. In sinistro pariete armarium exstat, fictilibus asseruandis, vt reor, quondam comparatum: in illo, qui templi fores spectat, fenestra est, quâ ingressum Angelum, D. MARIÆ virginei partus nuntium tulisse ferunt. Contra fenestram caminus neque amplus, neque ornatus. Post altare (quod Apostoli juxtà atque ædem ipsam consecrasse memorantur) Virginis Filium sinistrâ manu amplexantis,

II. Sacræ ædiculæ species porrò descripta.

Simulacrū D. Mariæ & pueruli IESV.

tis, dextrâ sustinentis statua colitur; *Nazaretho* ipsa quoque in *Dalmatiam*, ac porrò in hunc locum Angelorum manibus aduecta. Cedrina est & ferè bicubitalis, specie prorsus peregrinâ; namq; facies velut inargentata nitet: obscuriùs tamen, quia luminū circumcircà appensorum fumo identidem afflatur. Crines passi discriminatique, *Nazarenorum* ritu, per nuda colli & humeros fluunt; vertex gemmatâ coronâ redimitus; cetera corporis stola aurata latiore zonâ adstricta, atque ad pedes promissa velat; cui superinductum cærulei coloris amiculum ex humero pendet. Puer dextræ matris impositus, & *Nazareno* habitu amictus: talari scilicet tunicâ, zonâ & discriminato capillo, læuâ auratum gestat globum; dexteræ manus digitos binos benedicentis in modum tollit. Atque hæc, vt fama est, *Lucæ* Euangelistæ manu è cedro sculpta, oblitaque coloribus omnia, vt ab Angelis allata fuerunt, ita manent, superadditis tamen sericis, argenteis, aureis, gemmeis ornamentis, quibus plerumque simulacra quà matris, quà filij ita operta sunt, vt ligni parum admodum appareat. Circumcircà suspensæ votiuæ tabellæ, argento atque auro cælatæ, murum penitus obtegunt. Dependent è laquearibus innumeræ argenteæ lampades, & sacratam illustrant cellam. Sacræ aliæ opes profectò numero pretioque stupendæ, alibi tuto in loco seruantur. Visa ibi Regum ac Principum opulentissima donaria, plurima auro argentoque solida, multa aurata, multa argentata, quædam gemmea. Visa humanorum corporum membrorumque simulacra, aurea alia, alia argentea ex voto dono data. Visæ materiæ eiusdem ponderis ac pretij ingentis, statuæ Diuorum, atque inter eas duodena Apostolorum ex argento simulacra sesqui cubitalia, singula pondo circiter L X. Visus diuini ministerij apparatus: calices, patinæ, phialæ, pelues, gutti, thuribula, & id genus complura vasa sacris faciundis dicata. Visa sacerdotalium vestimentorum multiplex synthesis, artificio, materiæ nobilitate, pretio ac varietate concinna, quò sacra obeuntium habitus pro Festorum ratione mutari subinde posset. Visa pallia, chlænæ, dalmaticæ, brachialia ex aureo, argenteo & holoserico panno, textilibus aureis figuris grauia, gemmis item & vnionibus intertextis rigentia. Quid memorem

Thesaurus sacer.

Supellex sacra.

rem aulæa *Milesia*, cortinas, vela altarium, mappas, mantilia, puluinaria, textilibus picturis perornata? Quid amicula vestiendo D. Vrginis simulacro comparata? opere juxtà ac materie præstantia, sericis, argenteis, aureis filis contexta, picta acu, nitentia creberrimis margaritis, fulgentia pretiosissimis lapidibus; quorum, vt sileam alia; quod nouissimum est, non ita pridem è *Belgio* transmissum, adamantum tribus, vnionum viginti millibus obsitum, aureorum nummûm XL. M. æstimatur. Alia pariter exculta quis æstimet; quis enumeret? sat scio obrui solere spectatores multitudine rerum illustrium, cumque ad posteriora deuenerint, priorum non meminisse, itaque numerum & descriptionem exactam hoc in genere nequidquam à me exspectauerit lector: cetera, quæ in *Lauretano* templo spectabilia sunt, fide ac diligentiâ, quâ potero maximâ percensebo.

Isabellæ Infantæ donum.

Alas eius Sacella obtinent, venustissimis pictorum plastarumque operibus exornata. Præcipuè placebat apud sinistras fores æreum baptisterium ita eleganter cęlatum, vt spectantium oculi non possint quin summam inde hauriant voluptatem. Nec paruæ artis alterum ex ære opus: colossea, inquam, *Sixti V.* Pont. Max. statua, quam populares *Picentes* benè merito, pro templo posuerunt: templi portis merita eius erga hunc locum superscripserunt his verbis: *Sixtus V. Pont. Max. Picenus Ecclesiam hanc ex Collegiatâ Cathedralem constituit. Laureti oppidum Episcopali dignitate ornatum ciuitatis jure donauit. MD. LXXXVI. Pont. An. I.* Hæc portis vtrimque aureis litteris suprascripta: medium spatium ænea DEIparæ DEIgeræque effigies, *Lombardi* celebris statuarij opus, obtinet. Ianua quæ subtus maxima panditur, marmoreis striatis columnis decorata: binæ laterariæ parastatis & stylobatis ornatæ sunt. Cetera faciei niueis *Histrici* marmoris operta crustis candent; aut vitreis discriminata fenestris splendent. Ante templum patet spatiosa area, numquam non religiosorum aduenarum referta; quam *Romani* Pontifices superbâ Basilicâ, geminataque præstructâ porticu cingere parant; cinxeruntque fermè dimidiam, incredibili ornamento loci.

Sacella.

Baptisterium æneum insignis operis.

Statua ærea Sixti V. P. Max.

Portarum & vestibuli ornatus.

Basilica & porticus ante templum.

CAPVT VIII.

ALIORVM PER ITALIAM CELEBRIORVM TEMPLORVM DESCRIPTIO: PISIS, LVCÆ, GENVÆ, TICINI, MEDIOLANI, PANORMI, RAVENNÆ.

I. Templi principalis Pisani species & ornamenta.


PISANI Cathedralis Templi corpus brachiaque ſuſtinet duplex columnarum ordo, ſupra quas per totum templum ducitur porticus, vnde deſpectari, ſpectarique res diuina poteſt. In lateribus vtriſque ſita ſunt altaria varijs marmoribus ſtatuiſque exornata. Organum recens concinnatum ſitumque conſpicuo in loco, profectò conſpiciendum; ita vaſtum eſt; ita fulget auro. Sacerdotum loca, quæ templi caput occupant, incluſa marmoribus ſunt venuſtè teſſellatis, intraque ea columna *porphyretica* viſitur à magnitudine & capitulo, quod è *Pario* marmore pulcherrimè exſculptum eſt, celebrata. Subſellia in templo paſſim locata, verſicoloribus teſſellis picta. Pauimentum marmoreis tabellis conſtratum: quod verò ſub Tholo jacet, minutis lapillis eleganti ratione teſſellatum. Fores æreæ ſunt, fuſis ex eodem metallo ſtatuis ornatæ. Frons templi, vt fermè omnium, quæ *Piſis* ſunt, columnata. Tectum plumbeum, plumbeiſque item laminis media teſtudo obtecta. Turris, rariſſimo artificio ita exſtructa atque inclinata eſt, vt cadere videatur, numquam caſura. Circumcingunt eam ab imo ad ſummum ſepteni columnarum ordines, & ipſi obliquè pendentes, cum ſingulis oſtijs, quibus exiri, ambirique per columnarum illos gyros extrinſecus turris queat, columnas quilibet ordo triginta habet: ſed ſummus, quàm ceteri, anguſtior indicat architectum totum opus voluiſſe in faſtigium contrahere, nec procul fine abfuiſſe, vt vt aliqui perfectum exiſtiment, ſymmetriæ ratio certè caput tectumque deſiderat, quæ ſuperimpoſuiſſet vtique artifex, ſi vita aut otium fuiſſet.

Turris, vulgò Campanile.

II. Templum D. Ioannis. Cœmeterium, vulgo

Inde D. IOANNIS fanum eſt, ſphæricum &, vti templum ac turris, è candido marmore fabricatum, partemque eam, quæ ſub aſpectum cadit, plumbo tectum. Celebratur in eo Chorus, & ſuggeſtum à pretio lapidum. Propè cœmeterium eſt porticu marmoribus

ribus pauimentatâ ſeptum, & pulcherrimus imaginibus illuſtratum; longum pedes CCCCLXXXVI. latum CLX. Terram, in quam mortui ciues, intra quartam & vigeſimam horam oſſium tenus conſumendi, conduntur, aduectam *Hieroſolymis* ferunt.

Campus Sanctus. Arena in id Hieroſolymis petita.

III. Baſilica maior Lucæ S. Michaelis

LVCÆ primarium Templum columnis marmoreis circumcinctum ad veteris architecturæ normam: in frontis faſtigio ſtatuam Archangeli, inſigne templi, gerit; principi enim Angelorum Michaëli ſacratum eſt.

IV. Templum S. Crucis. Inſignitum Cruce & in eâ fixi Chriſti effigie, à Nicodemo ſculpta.

Superbum item D. CRVCIS fanum eſt, nixum immanibus pilis, conſtratum marmore, ornatum pretioſis ciuium donarijs, & aureâ Cruce magni ponderis, dudum æſtimatâ X. V. M. aureorum nummûm. Sed habent *Lucenſes* præmium pietatis ſuæ, effigiem *Chriſti* crucifixi, quam, ſiue ad viuum expreſſa ſit, ſiue ita creditum, approbat certè DEVS quotidianis muneribus, quibus ſuos cultores afficit. Iſthanc in cedrino ligno à *Nicodemo Chriſti* diſcipulo efformatam aſſerunt.

V.

Si quis GENVENSIVM Vrbis ſacras ædes perluſtret, reperiet haud pauca in ijs ornamenta teſtantia, & quantæ eorum opes ſint, & quàm non in poſtremis rem diuinam habeant, ſed in eâ, vt ceteris, magnifici ſplendidique haberi velint. E quibus ille inprimis è *Sauliâ* gente, cuius ſanè grauibus impenſis ſurrexit æmulum *Vaticanæ D. Petri* Baſilicæ templum.

VI. Templum Franciſcanorum.

Ecce *Franciſcanorum* in edito monte poſitum templum quot habet è *Pario* marmore conſtructas aras? quot ſacella ſtatuis æreis marmoreiſque & venuſtiſſimis picturis exornata?

VII. Baſilica S. Laurentij.

Primariam inde Vrbis ædem D. LAVRENTIO dedicatam ſi quis æſtimet, agnoſcet jure primam eſſe, ceteris quà maieſtate loci (ſita enim fermè in vmbilico Vrbis, loco alto atque conſpicuo eſt) quà ornamentis omnibus ſuperiorem. Fuerit profectò magnus ciuium in religionem amor neceſſe eſt, qui tantis publicis priuatiſque ſumptibus exſtruxerint, atque exſtructum ornauerint hoc templũ. Forinſecus nigro candidoque marmore incruſtatum, tribus marmoreis columnatiſque variè portis à fronte nititur. Vaſtæ item marmoreæ columnæ tectum ferunt. Intima templi ſtatuis decorata; & ſacerdotum ſedilia lignea quidem, ſed ſummâ arte teſſellata.

Deſcripta eius ſpecies exterior & interior.

Laudata altaria & sacella.

lata. Circumcircà frequentia monumenta atque altaria insignibus pictorum sculptorumque operibus exornata spectantur: gemina nimirum sacella ad latera Chori; & quod sub sinistro Organo altare est, statuis excultum mirabilem in modum; & vicinum S. Ioannis Baptistæ delubrum, auratis parietibus laquearibusque micans, vbi insistentes aræ quatuor porphyreticas columnas adspicies. Inter supellectilem huius templi numerant *Genuenses* smaragdinam paropsidem, quæ ex smaragdone an aliâ gemmâ confecta sit, inquirere ego nolo; sunt certè, qui in dubium vocent.

Paropsis smaragdina vt putant.

VIII. Templum Carthusiæ Ticinensis.

TICINI *Carthusianorum* Templum constructum est Crucis in formam, vt fermè omnia *Italiæ* templa sunt. Testudinem habet intrinsecus atque forinsecus columnatam: tectum plumbeum, cum gemino etiam columnato ambulacro, quod circùm ædem extrinsecus ducitur. Frons præsertim niueo marmore tota obtecta, statuis atque imaginibus ita splendidè ornata est, vt nihil ad decus, maiestatemque eius addi posse videatur. Sacella in templo plurima ac nitidissima: arcus, quos vastissimæ è lapide structæ columnæ fulciunt, picturis illustrati. In sinistri cornu angulo ara est eburnea, Biblicas historias pulcherrimè exsculptis imagunculis referens. E regione conditoris *Galeatij* cenotaphium consistit, sculptum è *Pario* marmore; vbi iconicum eius simulacrum resque gestæ & prouinciarum gubernatarum insignia spectantur, cum elogijs, quæ *Schraderus* pridem vulgauit. Intima templi, quem Chorum vocant, ad stuporem ornata. Quocumque vertas oculos, occursabit insolitum & eximium aliquid, quod suspicias, humus adeò, vilissima pars, vario marmore loricata, sine admiratione non videnda. Subsellia affabrè segmentata insculptis Diuorum imaginibus insigniuntur; parietes marmorum crustis operti, versicoloribus interpositis columnis variantur. Altare ipsum è purissimo elaboratum marmore, varijs ac pretiosis lapillis statuisque relucet. InCeimeliarchco lignea armaria cernes, ob eximiam sculpturam meritò spectanda, in quibus sacra supellex seruatur, digna tanto templo. Etiam Assumptæ, vt nominant, Virginis sacellum inito, speciosissimis picturis & armarijs, vt illa, exsculptis, & marmoreo pauimento conspicuum. Tum in cœnobium exito, eâ amplitudine,

Chori elegantiæ.

eâ magnificentiâ ædificatum, vt pauca ſimilia reperias, vix aliquod ſuperius. Aream porticus milliaria ambit, columnis ſuffulta & plumbeis laminis tecta. Circumcirca diſpoſitæ Monachorum ædiculæ ſunt, ipſæ quoque plumbo intectæ.

MEDIOLANI ſummum templum, *Domum* nunc appellant vulgò, eſt baſilica perauguſta, ſumptus immenſi, ac amplitudinis, artificijque tanti, vt pauca prorſus quæ in orbe *Chriſtiano* ſummo nunc extant templa, huic conferri poſſe exiſtiment, ſiue magnitudinem ac architecturam ædificij ſpectes, ſiue pretia materiarum æſtimes; vnde non iniuriâ ſcriptores Octauum Orbis miraculum vocant. Reſplendet etenim non ſolùm intus foriſq; cruſtis marmoreis intecta, verùm etiã artificioſarum ex marmore *Pario* ſtatuarum incredibili multitudine circumquaque perornata eſt: vt integros dies ſpectatorum oculos artium ac hiſtoriarum varietate detinere poſſit. Quid feneſtras memorē verſicoloribus vitris varias imagines referentes, dubiumq; licet certâ luce lumen admittentes? Quid columnarũ moles, altiſſimarũ teſtudinum fulcra? quid marmoribus pauimentatum maximam partem ſolum, immò opertos penitus parietes eſſe? quid altaria & multa, & arte non minùs, quàm pretio admiranda? quid ſigna, imagines & illuſtrium hominum ſplendida monumenta? quid ſupellectilem ſacram, & beatarum mentium exuuias? corpora inquam Diuorum, quæ plurima templo & templi ſacrario recondita ſummam ei conciliant cum religione venerationem. E quorum numero *S. Caroli Borromæi* venerabilem & quotidianis miraculis inclytum tumulum ſilens præterire non poſſum: nec verò præterit, niſi impius quiſquam, quin ad eum procumbat habeatque meritum honorem memoriæ noſtrorum temporum proximo Diuo. Ita tu cùm ſubmiſſus feceris, tum tolle oculos, & proximis columnis affixa bina ſuggeſta contuere, ſunt enim auro & argento pulcherrimè cælata; adſpice & audi gemina Organa, vtrimque accidet tibi plurimum voluptatis, ea ſuauitas ſoni eſt, is auri, quo óblita ſunt, fulgor. Adſcendes denique in turris ornatiſſimæ molem altiſſimam, vt ex eius ambitu inferiore contempleris vrbis ſuburbiorumque ſitum planum; regioniſque circumuicinæ ſpatium ac condicionem. Obſtupeſces

Mediolanenſe cathedrale templum.

Sepulchrũ S. Caroli Borromæi.

Turris templi.

 pulchri-

pulchritudine ſitus & amplitudine, atque adeò prouinciam, non vrbem te videre meritò putabis. Profectò ſtuporis plenus diſcedes ab hoc templo, iterùm atque iterùm reſpectans ornatiſſimam & mole ipsâ terribilem ædem, quæ alta octingentos cubitos, longa ducentos quinquaginta, lata centum triginta.

X. Templorũ & Monaſteriorum, quæ Mediolani, numerus.

Numerantur autem *Mediolani* vltra ducenta templa: ex quibus Eccleſiæ Collegiatæ XI. parœciales LXXI. Monaſteria in vniuerſum LXXIIII. quorum XXXVI. Virginibus ſacris, XXX. Monachis, VIII. reliqua Canonicis regularibus habitata.

XI.

PANORMI templum eſt *D. Petro* ſacrum, *à Rogerio Siciliæ* Rege conditum, quod, ſuâ pulchritudine, & rerum pretioſarum apparatu, ceteris, quæ in *Italiâ* nunc vſquam extant, ſeu veteribus, ſeu nouis meritò præferri conſtat: quo nomine ab omnibus, qui *Panormum* aut inhabitant aut inuiſunt, viris, non imperitis modò, ſed ingenio etiam doctrinaque præſtantibus, ſummâ cum admiratione ac voluptate frequentatur.

Maior etiam totius vrbis Eccleſia reticulatâ eſt ſtructurâ, quadrato ac diuerſis in exteriori facie imaginibus figuriſque inciſo ac perpolito lapide *à Gualtherio* huius nominis II. Archiepiſcopo, anno CIƆCLXXXV. fundata: vbi Regum Reginarumque *Siciliæ* ac Ducum quoque corpora ſunt recondita.

XII. Claſſenſis templi deſcriptio.

Leander Albertus, qui Templum *Claſſenſe* juxta *Rauennam* deſcribendum ſibi ſumpſit, poſtquam architecturam & impenſum aurum mirè extulit (quippe pretioſo marmore, ſaxiſque prægrandibus conſtructum, & cum ſplendiſſimis *Italiæ* templis comparandum) centum triginta pedes longum, octoginta quinque latum, ſexagintaocto altum eſſe, nec non quinquagintaſex feneſtris diem admittere, affirmat. Inſuper laquearia tres in ordines diſtincta pretioſis ac verſicoloribus columnis pendere: parietes marmore primi nominis ſcitè ſecto, veſtitos: pauimentum quoque varias in figuras eleganter explicatum. Ad maieſtatem tamen ante omnia facit, primos Archiepiſcopos *Rauennates* ibi conditos eſſe. Nam cultui & amori *S. Apollinaris* hoc dederunt, vt propriam vrbem *Claſſenſi* poſtponerent. Duodecim ſancta in eo corpora, non ſecus quàm nitidiſſima ſidera, monſtrantur, quæ inter,


Archiepiſc. Rauennat. quondam conditorium fuit.

caput

caput ac sol *S. Apollinaris* est. *Blondus* non *Iustiniani*, sed Regis *Theodorici* opus esse, contendit: alij *Narsem* conditorem faciunt: rectè tamen *Rubeus Theodorico* quædam solùm beneficicia deberi, asserit. Sed vtut sit, inter augusta antiquitatis monumenta haud immeritò numeratur.

CAPVT IX.

ILLVSTRIORA PER GERMANIAM TEMPLA, QVÆ PRÆ CETERIS STRVCTVRÆ MAGNIFICENTIA CELEBRIA SVNT.



SALISBVRGENSIS Basilicæ è saxo *quadrato* stat vastissima moles, & stat tota sub *cupro*. Amplissimæ circumquaque fenestræ, *Pario* lapide perquàm scitè emarginatæ, pulchrum in modum candicant. Prima dein Templi Facies augustissima longè lateque per ingens spatium sese explicat, & precaturos tribus non minùs *portis* admittit. Atque tanti moliminis opus, æterno marmore candidoque constructum est. Iam verò arduæ turres, quas dextra læuaque molitur adhuc architectus, quæque etiam celsæ hodie, ad summum tamen fastigium multò altiùs enituntur; hæ, inquam, puro quoque marmore rigent: in quibus idcircò magnæ gloriæ locus est. I. Cathedrale Templum Salisburgi.

Porrò simul vt in Basilicam te penetras, occurrit, cum PORPHYRETICO PARIVS lapis, in pauimentum discretè factus, non cæsim (quod solet) in varia picturæ argumenta diminutus, sed ad maiestatem longus, latusque & qui introeunti suum pretium adeò luculenter venditet, vt an pedem calcaturum sustineas, parumper addubites.

Primis deinde oculis obuia SVMMA ARA est, de primi nominis marmore faberrimè exstructa. Mediam si resurgentis CHRISTI effigiem excipias, reliqua lapis sunt quidem, & qui multo stet auro.

Aliæ decem Aræ primum oculorum ictum frustrantur, quando per latera Templi ex interuallo sunt dispositæ. Vasta *laquearia* opere

opere gypſato varias in formas ſubacta, quas veritati ars ſimiles expreſſerat, quidquid de ſpatio reliqui fecerunt, vnicus isque floridiſſimus *R.P. Arſenij Maſcagni Florentini* ord. Seruorum B. Virg. penicillus ad inuidiam occupauit. His Organa quatuor Muſica haud exiguam addunt gratiam. Videas prætereà ſummum ſpecimen architecturæ. Namq; THOLVS è tecto exſurgit (ſurrexit imis à fundamentis poſtremo triennio) THOLVS, vt dico, ceſſim pateſcens, & octo in angulos ita curiosè diſpenſatus, vt nolente quoque Sole diem TEMPLO faciat. Sex inſuper *campanæ* (quas præterieram) recens fuſæ, Diuisque dicatæ ſunt. Eas extollere promptum eſſet, niſi ſimul ac piſtillo pulſarentur, magnitudinem ſuam longè lateque ipſæ proderent. Memorare quoque poſſem ſacras veſtes, alia, ni res hæc me longiùs à breuitate tractura foret. Igitur vno te verbo abſoluimus: Nihil in hoc TEMPLO intra ſumptûs, aut artis mediocritatem ſtare, vt ſi ex vtraque re idipſum æſtimes, inter celeberrimas totius Europæ Baſilicas quàm veriſſimè reponas. Magnam verò hanc fabricam *D. Santinus Solarius* Comenſis, pari labore & conſtantiâ ædificauit, cuius conſtruendæ primùm onus ſubijt *Marcus Sitticus* C. de *Hochenembs*, Archiepiſcopus A. C. cIↃ. IↃCXII. anno deinde XIV. ſupra CIↃ. IↃC. primum lapidem pro fundamento iecit. Anno relatæ Salutis cIↃ. IↃC. XIX. *Paris Comes Lodroni*, è voto & ſententiâ Archiepiſcopus, arduo jam templo, & ferè tecto tenus erecto, ſed rudi etiamnum, & opem flagitanti, liberaliter dexteram porrexit, abſoluit & dedicauit, An. C. cIↃ. IↃCXXVIII. VII. CAL. OCTOB. præſentibus S. R. I. Principibus, *Ferdinando* Archiepiſc. *Colon.* Electore; MAXIMILIANO C. P. R. vtriuſque Bau. Ducis S. R. I. Archidapifero & Electore; *Leopoldo* Archiduce *Auſtriæ*, &c. *Alberto* Duce *Bau.* C. P. R. *Franciſco Guilielmo*, Epiſcopo *Oſnabruggenſi*, &c. *Alberto* Epiſcopo *Ratiſbon. Vito Adamo* Epiſcopo *Friſing. Ioanne Iacobo* Epiſc. *Gurcenſi*; *Iacobo*, Epiſc. *Seccouienſi*; *Ioann. Chriſtophoro* Epiſcopo *Chiemenſi*; ac 20. præterea mitratis Abbatibus & Præpoſitis.

II. Templa Monacẽſia. MONACHII *Bauariæ* Metropoli Templa varia, ſed duo turribus altiſſimis præ ceteris eminent, quæ & Parochiæ & Collegiatæ ſunt

sunt, D. *Petri*, & *Deiparæ Virginis*, in qua Mausolæum *Bauariæ* Ducum, amplissima totius *Boiariæ* Basilicarum, vbi & *Ludouicus IV.* huius nominis Imp. sepultus: cuius tumulum *Maximilianus* Elector demùm nostro æuo, Mausoleo absolutissimæ artis, splendorisque verè Regij exornauit. Turres templi binæ, columnarum instar, eádem altitudine ad 333. pedes assurgunt. Organum eius templi maius compactum est fistulis ligneis ex Buxo tornatilibus, tantæ quidem capacitatis, vt vix vspiam tantæ conspiciantur ex plumbo & stanno fusiles. Sed omnia superat Templum *D. Michaëli* Archangelo dicatum, quod elegantiâ suâ & artificiosâ structurâ omnem fidem superat, & paucis describi non potest. Quod A. C. cIↄ. Iↄ. LXXXII. *Wilhelmus V. Bau.* Dux moliri aggressus, tandem A. C. MDXCVII. ad absolutissimam perfectionem adduxit, eiusque Dedicatione colophonem imposuit; ad cuius celebritatem cùm omnia ornamenta collata essent, illud tamen omnia vicit, quòd Fundatoris filium *Philippum Episc. Ratisbonens.* eodem anno inter Cardinales R.E. cooptatum, concionantem in purpurâ, attonitâ rei nouitate patriâ, audiuit spectauitque dignissimum & diuinæ gloriæ & paterni operis præconem; quod si describere membratim aggrediar, in quantam molem crescat Epitome? ornantur auro argentoque vndecim Altarium abaci, ingeruntque oculis mirum artis cum materiâ certamen: nam quæ vtramque superat, sacrorum sanctitas Lipsanorum etiam in animos penetrat, eosque religioso horrore perfundit. Telam *Damascenâ* viliorem ne in quotidiano quidem sacrificantium vsu spectari voluit, dotemque addidit continuandæ huic elegantiæ suffecturam.

III. Landishuti.

LANDISHVTI summa vrbis Ecclesia artificiosâ structurâ, & viuo lapide visenda, stupendæque altitudinis Turre conspicua est.

IV. Passauiæ.

PASSAVIÆ visu dignum est Diui *Stephani* summum Templum, marmoreis operibus pulcherrimum, magnificentissimeque adornatum.

V. Argentinæ.

ARGENTORATENSE Templum celeberrimum elegantissimâ structurâ, præcelsâ Turri conspicuum, nequaquam silentio prætereundum. Inter totius enim vniuersi Miracula, non immeritò octauum obtinet locum. Porrò Episcopatûs *Argentinensis* condi-

torem plerique faciunt *Dagobertum* circa annum DCXXXIII. Sanè verò principem *Argentorati* Basilicam jam ab constituti Præsulatûs nobilissimi primordijs, eiusdem Regis voluntate, amplissimis prædiorum reddituumque donationibus confertim aceruatis, ita constitutam accepimus, vt donaria illa primis huius Diœceseos Præsulibus liberalissimè impensa, hodieque apud *Alsatas* in amplissimis *Dagoberti* Regis laudibus reponantur. Dein *Henricus II.* cognomento Sanctus, *Wernero I.* id nominis Episcopo *Argentinensi* autor fuit, vel certè fautor, vt augustum illud, quod hodieque *Argentorati* eminet Templum *Deiparæ* Virgini excitaret; qui illud sub Annum MXV. ponere orditur, in cuius fundamentis ab centenis, vel vt alij ducentenis operarum capitibus decem anni consumpti sunt; cumque *Argentorati* sub id tempus ageret Cæsar, æternâ sui nominis, & diuini cultus commendatione, Sacerdotium insigniter dotatum eidem Ædi Cathedrali assignauit, cuius hodieque memoria extat, & *Regium* ab eo nominatur. Cœptum est autem augustissimum hoc Templum jactis fundamentis ædificari Anno Christi cIↃxv. Anno autem Domini cIↃ. CCLXXVII. sub Episcopo *Conrado à Liechtenberg*, *Erkuinus à Steinbach* Architectus Turrim exstruere cœpit, opus nobile & ingens, cuius simile nec in *Germaniâ*, neque in *Italiâ* aut *Galliâ* reperitur: quæ XXVII. annis ferè vsq; ad fastigium consummata. Hæc ab ipsis fundamentis vsque ad supremum culmen quadris & pulchrè figuratis lapidibus est erecta. Vbique aëri & vento est peruia, patetque ascensus eius quatuor cochleis. Vbi verò crassities eius in fastigium incipit acuminari, ibi octo consurgunt cochleæ. Supremus nodus, qui inferiùs vix modij magnitudinem habere videtur, tantus est, vt capacitas eius recipiat quinque aut sex homines. Longitudo eius habet pedes Geometricos IↃLXXIV. Est & *Horologium* artificiosissimum atque inprimis admirandum. Vide suprà *p. 4. c. 13. n. 2.*

VI. Oeniponti. OENIPONTI *Franciscanorum* Templum pulcherrimum, opus magnificum, quod *D. Ferdinandus* Augustus, è quadrato Saxo magnis impensis construxit. Præter ornamenta, inprimis conspicuum est, in eius medio intrantibus obuium, Imperatoris *Maximiliani* primi monumentum, artificio, signis, & marmorum vario-

rum pretio sumptuosum & augustum, quod Auo pij Nepotes *Carolus V.* & *Ferdinandus* Aug. posuêre. Morantur aduenarum atque intuentium oculos artificiosissima signa, imagines, ac tabellæ, in lateribus Monumenti, ex *Pario* marmore, in quibus *Maximiliani* Augusti res pace belloque præclarè gestæ, opere sculptili pulcherrimè repræsentantur. Circumstant ab vtroque monumenti latere per intercolumnia templi, veterum *Austriæ* domûs Heroum, humanâ staturâ maiores, immò decupedales statuæ, ad viuum in habitu atq; armaturâ antiquâ, pro more cuiusque sæculi factæ, cum titulis & elogijs suis, haud mediocrem maiestatem præ se ferentes.

SPIRENSIS amplissima Basilica, multorum Imp. Augustis Mausolæis illustris, per *D. Bernardum* etiam *Conradi III.* temporibus frequentata est, cuius etiamnū vestigia laminis æneis templo impressa visuntur. Hanc *Conradus Salicus* Imp. vetere, præ vetustate casum minitante, destructâ, à fundamentis sumptuosissimam ac longè amplissimam cœpit ædificare nouam: & quia morte præuentus, structuram consumare non poterat, posteris suis perficiendam demandauit, quam proinde magnificè cœptam, posteà *Henricus III. & IV.* Imperatores magnificentiùs perfecerunt. Hæc in hodiernum adhuc diem conspicua, magnifico apparatu, laquearibus & columnis instructa, admirando sui fulgore venerandam religionis maiestatem accessuris præbet. Templum ipsum cum senis Turribus plumbo tectum; de quo *Wittichindus*: *Quod ille,* ait de Henrico IV. *à fundo fundatū vsq; mirâ mole & sculptili opere compleuit, vt hoc opus super omnia Regum antiquorū opera laude & admiratione dignum sit. Qualem etiam ornatum ex auro & argento, lapidibus pretiosis & sericis vestibus illi Monasterio contulerit, difficile est credere, nisi cui contingat & videre.* Et post pauca: *Testatur hoc aurea tabula* Spirensis *Altaris, tam artis nouitate, quàm metalli pondere miranda, quam Rex* Græciæ *dum Imperatoris votum & studium circa* Spirense *Monasterium feruere cognosceret, nobile donum, & tam eo qui misit, quàm cui mittebatur dignissimum transmisit.* De eodem *Æneas Syluius,* qui pòst *Pius* Papa II. Spiræ *nobile templum quamuis anno Iubilęi conflagrauerit, ita tamen postea restauratum est, vt felix incen-*

VII. Spiræ.

dium illud fuisse videatur. Visitur in eâdem Æde candelabrum pensile ex ære aurò obductum, *S. Reginbaldi* ex illustri *Kyburgensium* Comitum satu Cœnobiarchæ primùm *Augustæ* ad *D. Vdalrici*, deinde *Spirensis* Præsulis eximium munus, cui versus XXVI. auratis literis inscripti, hanc ad Virginem Matrem clausulam præferunt:

Istud non magnum dignanter suscipe munus,
Quod Reginbaldus *tibi Præsul reddo misellus.*

De hac coronâ candeliferâ, seu LXXII. Lampadum *Iac. Wimphelingius*:

Vendicat atque sibi summo de culmine pendens
Parte chori mediâ magna corona locum.
Totâ oleo fotas noctu flagrare videres
Lampades in sacra septuaginta duo.

Habet munitum situ, spectandumque miris molibus regium hoc *Spirense* templum, nobile & ingens quoddam opus, cuius simile nec in *Germaniâ*, neque in *Galliâ* aut *Italiâ* inuenitur: nempe sumptuosissimam illam *Oliueti* montis effigiem, laborem excultissimũ, totiusq *Germaniæ* opus præclarissimum, septenis etiam Mundi spectaculis annectendum.

VIII. Aquisgrani. AQVISGRANVM nobilissimum & inprimis Imperialium *Germaniæ*, cis *Rhenum* fl. oppidum, gaudet clarissimo *Deiparæ* domicilio, quod rotundâ figurâ *Carolus Magnus* ei adstruxit, & tantâ soliditate compaginauit, vt cùm *Nortmanni* *Carolino* nomini ac generi, à quo domiti erant, infestissimi, eius famæ stirpitus abolendæ, sub *Carolo Caluo* Ædem demoliri subiectis identidem ignibus laborarent, nequidquam omnia ob firmissimam lapidum congeriem attentarint. Id ergò vt decore, ita religione augustissimum, *Conrado Celte* attestante.

Sanctius in nostro quo nihil orbe micat.

Siquidem is *Carolus* multa loco isti priuilegia, multas facultates, ac ex *Italiâ* asportatas marmoreas columnas, ex *Palæstinâ* Sanctorum reliquias, ex *Perside* transmissa donaria attribuit. Nec silendum est, quòd olim ibi Cæsares inaugurarentur: quòd terrarum vndique ab antiquis ijs temporibus in nostram vsque ætatem, deuotionis ergo, ad sacram illam ædem quotannis peregrinentur: quòd

septem

ſeptem Concilia in eâ celebrata fuiſſe memorentur. In quâ Æde cùm ad xv. Kal. Febr. è vitâ migrâſſet idem *Carolus Magnus*, conſepultus, hodieque ab omnibus ibi, vt Cœlitum vnus, feſtâ veneratione colitur.

IX. Pragæ. Dubrau. l. 8. hiſt. Bohe.

PRAGÆ *Bretiſlai Bohemiæ* Ducis filius *Spitigneus*, è fœdo impuræ impiæque vitæ cœno emerſus, cùm, vt fit, Templum D. *Wenceſlao* ſacrum Numini propitiando ſubijſſet, religione ictus, quòd laxiora ipſe & ampliora palatia, quàm Deus Diuuſque *VVenceſlaus* templa obtineret, nouo atque Auguſto operi excitando cogitationem curamque admouit. Quare dirutâ *D. VVenceſlai* Æde, & gemino quod adiacebat ſacello, quorum alterum *D. Vito* Martyri, alterum *Adelberto Pragenſium* Antiſtiti conſecratum fuit, aream longè ampliſſimam menſus, Templum Auguſtum Trium Diuorum memoriæ ſuſcitauit, cui tamen ante faſtigium tectumq; impoſitum mors interceſſit; quod inter alia egregiæ pietatis monimenta *Carolus IV.* id nominis Imperator ſtructuris donarijſque ampliſſimis honorauit.

X.

TREVIRI templa multa, & admodum inſignia, mediam tamen ætatem referentia, vt ea quæ *Coloniæ Agrippinenſium* & *Aquiſgrani*, tale eſt & ipſum ſummum templum, quod vernaculo ſono *Dom*, quaſi à domo vel à Domino appellant, Diuo *Petro* Apoſtolo, ciuitatis patrono, conſecratum. Niſi cui fortaſſe Diui *Simeonis* ædes videatur antiquior, & *Romana* quodammodo tempora referre. Collis jugum occupat, qui vnicus eſt in hac vrbe, formâ quadrilaterâ, oblongâ, tota ex lapidibus ſubcinericei coloris, & quidem magnitudinis ita ſtupendæ, vt vix credatur, hominum manibus potuiſſe eò aduolui, vſque eò, vt apud imperitum vulgus fabella locum inuenerit, Cacodemonis vſum auxilio, qui eam ædificârit, cui quidem perſuaſiſſet ſe lupanar & aleatorum menſas ponere, ſic, inquiunt, aras, quarum ſuperficies non recta vt reliquarum ſed deorſum ſpectat, & appenſum muro cornu quoddam, vt videtur, quod vocant *Cacodæmonis vnguem*; eum ſcilicet, vbi ſe circumuentum ſenſit, impetu in aras facto, vnguem cofregiſſe. Atque eiuſmodi ferè narratiunculæ proferuntur, quotieſcumque opus aliquod humanum videtur captum excedere. Tres habet hæc

ædes concamerationes, ſibi inuicem ſuprapoſitas, in quarum ſingulis ſacra facit diuerſi ordinis Clerus. Facies exterior externo eſt feneſtrarum ordine, inter columellas ſemirotundas; ex eodem omnia lapide, præterquam ad Chori ambitum, vbi & columellæ ſunt marmoreæ. Moles eſt admiranda, cui in totâ *Galliâ* nec parem aliam ſupereſſe exiſtimamus. Atque vnicum fortaſſe ædificium hoc fuit, quod operis eximia ſoliditas, à tot cladibus, quibus hæc vrbs ab exteris nationibus, *Hunnis*, *Francis*, *Normannis* vaſtata eſt, vindicauit. Cùm reliqua in fauillas abijſſe videamus, nec ex *antiquâ illâ Treueri*, Principum domicilio, quidquam reſtare, præter columnarum & marmorum fragmina, hinc inde diſperſa, & rudera ſub terras, quæ ſubinde veteris eius ſplendoris admonent.

XI. SVSATI in *Weſtphaliâ* eſt templum celeberrimum miræ magnitudinis, cum maximæ altitudinis Turri, *S. Patroclo* ſacrum, quem tutelarem Diuum agnoſcit hæc ciuitas.

XII. Propè DONNIAS, quod municipium ſupra *Valliſoletum* ad *Piſcoricam* flumen ſitum eſt, extat *Ioannis Baptiſtæ* nomine vetuſti operis, atque adeò *Gothicæ* ſtructuræ imaginem repræſentans Templum lapide jaſpide atque marmore varium: *Receſuinthi* impensâ

Lib. 6. c. 11. ob imo totum exſtructum, ſalutis anno DCLXI. *Mariana*.

XIII. Coloniæ. COLONIÆ anno 1237. *Conradus* ab *Hoeſteden* 50. Colonienſis Archiepiſcopus magnificentiorem fabricam meditans, vetere Cathedrali eccleſiâ demolitâ, præſentem hanc re & nomine ſicuti altam, amplam, atque auguſtam, ita & magnam valdè ex viuâ lapidum congerie, arte mirabili elaboratam erexit Baſilicam, Cathedrâ Archiepiſcopali Metropolitanâ ac Electoriâ vtique dignam, quæ *D. Petro* ſacra eſſet. Cui ſi extrema manus addita fuiſſet, nullum omninò vniuerſæ *Germaniæ* Templum tam elegantiâ, quàm immani ac vaſtiſſimâ mole non ſuperaret. Siquidem ideam veteris Eccleſiæ non amiſiſſet, quam ita Veteres deſcripsêre: *Antiqua autem maior Eccleſia duos habuit choros & cryptas duas. Superior chorus erat* S. Petri, *Inferior, qui erat inter duas Turres Campanarias ligneas, fuit Chorus B. M. Virginis. Item in dextrâ Turri, erat altare* S. Stephani, *& in ſiniſtrâ Altare* S. Martini. *Item in Choro S.* Petri,

Petri, *fuerunt tres magnæ fenestræ juxta Altare, & similiter in Choro B. M. Virginis. In lateribus verò superioris fenestræ fuerunt viginti quatuor hinc & hinc. Item versus altare* S. Stephani *fuerunt tres, & vna super altare. Item versus altare* S. Seuerini, *quod situm apud januam, per quam de Ecclesiâ ad gradus B. MARIÆ intratur ad Maiorem, vbi quondam vna turris, fuerunt quinque fenestræ, & vna super Altare. Item versus altare* Cosmæ & Damiani *in dextero latere; vbi quondam turris altera, fuerunt quinque fenestræ & vna super altare. Item in latere, in quo ædificata est Sacristia, inferiores fenestræ sex. Item in alio latere versùs Austrum, inferiores fenestræ duodecim. Item circa Altare* S. Petri, *erant quinque rotundæ fenestræ. Et supra Altare B. M. V ex vtraque parte Maiestatis vna rotunda fenestra. Sic etiam fiet Deo dante completo nouo opere, &c.*

Maior Campana anno 1437. conflata centenarios 224. siue 16. plaustra vini librata, ponderat. Stella in exteriori Summitate Chori admirandæ magnitudinis metallina, muro inædificata, deaurata præstantissimè, mirabiliter ad occasum solis fulgens, procul se conspiciendam exhibet; vbi notandum, quòd si Templum hoc, arte, sumptu, labore ac decore summum, completum fuisset, *SS. Trium Regum* sepulchrum, non vbi modò cernitur, sed directè infra hanc stellam collocatum fuisset, vt illâ desuper correspondente, clariùs innotuisset, SS. hos magos figuratiuè istius stellæ indicio, non nisi *Coloniæ* reconditos esse.

Ibidem S. GEREONIS & Sociorum 318. Militum Basilica rotundæ formæ, spectatu iucundissima fabrica, à *S. Helenâ* M. *Constantini* Matre circa annum D. 310. fundata: cui Chorum deinde *S. Anno* Colonienſ. Archiep. adiecit. Structura hæc nullâ operis cuiusuis arte imitabilis esse creditur; ita metallorum fulgore & artificij varietate muris etiam validis excelsisque etiamnum aliqualiter decorata firmataque est, vt nihil supra per omnes illas regiones, vel fuisse vel futurum esse celebri sermone feratur. Opus enim totum marmoreis columnis fulciebatur: Auri verò fulgoris tantum in eâ emicuit, vt musiuâ foris & intus rutilans elegantiâ nomen *ad aureos Sanctos* sortita sit. XIV. Item Coloniæ.

RATISPONÆ visu digna est Basilica *S. Petri* perampla & magnifica, XV. Ratisponæ.

HERS-

XVI. Hersfeldiæ. HERSFELDIÆ Templum mirâ arte exstructum est, nam tota moles nititur 16. columnis, ex singulis integris siue solis lapidibus constructis. Sunt autem singulæ columnæ altitudine 30. pedum.

XVII. Ripæ. RIPÆ *Cimbricæ Daniæ* vrbe templum rudius ab initio, sed temporis successu in eam creuit amplitudinem, vt nulli huius patriæ aut cuiusuis nationis sit inferius. Facit illud admirabile, testudo rotundior, solerti artificio chorum vniuersum ambiens. Firmitatis maiestas, multitudine columnarũ sectarũ, de marmore affabrè concinnatarum elucet. Splendorem mirum in modum auget, præter ipsam ædificij molem, vna præcipuè turris, quæ partim marmoreo partim lateritio opere, formâ quadratâ in altitudinem muri solius 106. vlnarum *Holsaticarum* educta, conspiciendam se exhibet procul vrbe ad 6. milliaria. Hîc quorumdam Regum *Daniæ* conditæ reliquiæ.

XVIII. Antuerpiæ. ANTVERPIA habet prægrandem & operis prorsus mirifici Basilicam Cathedralem B.M.V. dicatam, amplitudine magnificentiaque excellentem, multis ornamentorum generibus decoratam; turri secti lapidis & quadrati è candido marmore ad quadringentos sexaginta sex pedes sursum eminente gloriosissimam; vnde non tantùm sumptuosissima ciuitatis ædificia, sed & amœnissimi quaquauersus agri, horti, prata etiam vltra *Scaldim in Flandriâ* prospiciuntur. Sunt in eâ triginta tres campanæ, promiscuæ magnitudinis, quæ tam consonantem edunt sonum, & diuersas melodias ita exprimunt, vt ab harmoniâ musicâ vix eum distinxeris.

Hæc Basilica anno 1533. tertio nonas Octobr. incendium passa, non minore magnificentiâ paulò pòst resplenduit.

XIX. Louanij. LOVANIVM sacratas ædes habet plurimas; vnam *D. Petri*, structurâ tam eleganti, vt Architectorum judicio, nullam pluribus locis inuenias pari politiâ.

XX. Mechliniæ. MACHLINIÆ cunctis operibus splendore, artificio, structurâque antecellit Basilica *D. Rumberto* dicata, cui vasta & præalta imminet Turris, quâ speculæ loco ad remotissimarum tum ciuitatum, cùm amœnissimarum circumstantium possessionum prospectum vtuntur.

XXI. TORNACVM insignem habet Ecclesiæ Cathedralis Basilicam, in

in meditullio quasi vrbis sitam, Deiparæ Virgini sacram; quinque præaltis Turribus, formam crucis *Burgundicæ* referentem. Eius chorus præ ceteris aliarum Ecclesiarum Cathedralium prouinciæ *Rhemensis*, meritò laudatur, cùm ab altitudine, tum à fornicis eleuatione, & lucis claritate.

GOVDA vrbs Cimbrica Templum habet, haud scitur, an alibi spatiosius atque amplius, quod anno 1551. pridie Idus Ian. cælesti conflagrauit prodigio, haud dubiè diuinitùs facto inter arundineo tegulo constrata vndique tecta, quæ templum ambiunt, sed intacta tamen à fulminis afflatu, quod ipsum magnificis operis atque impensis reparatum indies, superiorum temporum splendorem & amplitudinem obscurat longissimeque superat. XXII. Goudæ.

HARLEMIVM quoque Templum habet, Architectorum iudicio celeberrimum, pulchrumque opus, firmissimis innixum columnis, fornice laqueata ex intestinâ materiâ, quod spatioso & quadrato imminet foro. XXIII. Harlemij.

CAMPENA in *Geldrico* ducatu vrbs præcipuè spectanda exhibet *D. Nicolai* & *Deiparæ* Virginis Templum, illud Parochiale, quod non oppidani tantùm omnes, sed frequens è vicinia populus frequentat: hoc præcelsam & eleganti structurâ nobilem habet turrim, vnde per vicinum mare Australe *Enchusam* vsque visus dari pandique potest. Eadem Ecclesia non sine spectantium admiratione, summo in Altari, elaboratam & venustam Tabulam repræsentat, maiorum imaginibus clarissimæ Virginis manu depictam, qualis & in *Franciscanorum* Collegio perelegans conspicitur. XXIV. Campenæ.

LVNDIA, sedes olim erat Archiepiscopalis, ita vt plurima in hac vrbe olim essent templa, & quidem parochialia non pauciora viginti duobus, inter quæ primas semper tenuit Ædes *Laurentiana* Cathedralis in meditullio fermè ciuitatis sita, vasta, & inprimis magnifica. Ex secto enim lapide constructa est, & plumbeis laminis tecta tota, &c. XXV. Lundiæ.

EGRÆ in primo *Bohemiæ* aditu vrbe est magnificum *S. Nicolai* templum, cum duabus altis, ac orienti Soli obuersis turribus. Sunt & alia pari elegantiâ templa & Monasteria. XXVI. Egræ.

BASILEÆ satis magnus Templorum numerus, at illam *Basileensem* XXVII. Basileæ.

leensem primariam *Augustæ Rauracorum* Ecclesiam per *Nortmannicam* vastationem propemodum solo æquatam *Henricus II.* Imperator, cognomento Sanctus, dote illi assignatâ, tum multis Diuorum pignoribus illatis cumulauit; tum in Deiparæ memoriam dicandam curauit, itaque erexit, vt eius vnà cum Castissima Virgine *Cunigundâ*, non tam Assertor atque instaurator, quàm Parens ac Fundator meritò habeatur. Inter donaria verò eius eminet lamina illa aurea ligneæ Tabulæ adhærens, septem florenorum millibus æstimata, quâ ipse priuatim in Sacello suo, quum viueret, vsus est.

XXVIII. Magdeburgi. MAGDEBVRGI extiterunt complura ampla & ornatissima templa. Inprimis verò nobile illud *D. Mauritij* Templum, ex quadrato lapide structuræ magnificentiâ conspicuum, *Ottonum* Cæsarum insigne opus.

XXIX. Augustæ Vind. AVGVSTÆ Vind. præter varia splendida atque magnifica ædificia, Templa visuntur complura, eaque ornatissima; in ijs tamen eminet Basilica *SS. Vdalrico* & *Afræ* dedicata, quæ ob insignem ipsius Templi molem, inter alia vrbis ædificia adeò caput effert, vt candidam frontem suam oculis etiam longè distantium cum rarâ venustate obijcere soleat. Tota Templi machina quæ oblonga est, pedes habens CCCX. (latitudo quippe in pedes XCIV. altitudo si eam à pauimento vsq; ad fornicem metiaris, in vnum supra centum protenditur) Crucis formam refert. Tribus enim pars anterior versus Orientem Solem Choris distinguitur, quorum primus paulò ceteris eleuatior, qui etiam subsellia ad Diuina Officia decantanda comprehendit, *S. Narcisso* consecratus est. Alij duo Chori binis gradibus inferiores è regione in æquabili pauimento, candido marmore strato, mutuò sibi respondent, ac Templi longitudinem ex transuerso intersecant, extentisque velut brachijs Crucem conficiunt. Dexter meridiem versus à *S. Vdalrico* Episcopo ac Patrono Diœcesis præcipuo, sinister verò Aquilonem versus à *S. Afrâ* Martyre nomen habent. In his Choris tres visuntur Aræ opere sculptili magnificentissimæ, quarum prima pedes LXXX. ceteræ duæ pedes LXII. altæ sunt.

Posteriorem Templi partem, quam Nauim appellant, quæ-

que occidua partem respicit, noua è coctili latere structa pergula, hæc anno 1651 iterum sublata est, ab anteriori discriminat, cui quatuor cancelli ferrei faberrimè elaborati paribus interuallis distincti subijciuntur ad arcendos exteros, ne cuiuis liber ad interiora pateat accessus. Nauis hæc, quæ ex integro, sicut reliqua Templi pars, testudinata est, septenis æquali ordine vtrimque positis è quadrato lapide pilis incumbit, quas nec sæcula quidem dissoluere posse credas. Alas duas habet sub tecto, quàm medianæ Ædis aliquanto humiliori, concameratas tamen, quibus etiam sacella quædam adhærent, quæ totius structuræ proportionem ac elegantiam non parum adaugent. Organa in hac æde duo & operis pulchritudine & concentûs suauitate mirè consonantia conspiciuntur; Vnum in medio Templi supra pergulam quam diximus: Alterum in extremâ Templi orâ, sublimi fornici superbè insistens. Suggestum quoque non prætereundum, opus certè magnificum & venustum, tantæque ædis non minimum ornamentum, positum Anno MDCVIII. Vltimam huic Ædi gratiam quod addit, lumen est per fenestras receptum, quarum numerus, altitudo & claritas mirè commendat hoc quidquid est ædificij.

Ad læuam superioris Chori Turris alta, elegans ac longè conspicua est, inter egregias *Germaniæ* meritò numeranda. Non surgit æquabiliter in altum, sed pulchrâ varietate quâ è solo extollitur vsque ad id spatij quo æs companum suspensum est, quadrangulam habet figuram. Deinde nonnihil augustior octogenam accipit formam vsque ad podium quod totam in orbem cingit Turrim. Hinc rursus attollitur eádem quidem formâ sed impari crassamento, ac demum in pulchrum terminatur hemisphærium æreis laminis tectum. Quæ cùm in pedes CCCXX. assurgat, omnia circumiecta ad multa millia passuum tam *Sueniæ* quàm *Baioariæ* confinia detegit, & oculis in latissimam illam planitiem, quam *Lycus* amnis interluit, prospectum præbet amœnissimum. Ascensus per eam facilis & commodus. Exteri fruuntur, mirantur & laudant. Sed & alteri Turri initium datum eodem opere ac molitione, quæ tamen fastigium Templi non excedit. Erit fortè aliquando cui suppetet animus, & finem tam præclarè inchoato im-

ponet ædificio: Ibidem & aliæ ſpectandæ complures Eccleſiæ, in quibus Cathedralis antiquitate S. Crucis, & S. Sepulchri ornata excellit.

XXX. Vlmæ. VLMÆ inſignis Baſilica à S. P. Q. vniuerſo & Sacro Clero moliri cœpta, anno 1377. in quâ locandâ (extra donaria quæ liberali manu ſuppeditata fuerant) nouies centena aureorum millia impenſa ſunt, colophone eidem ſub annum depulſæ per *Chriſtum* ſeruitutis M. CCCC. LXXXIIX. impoſito, Virgini Matri ſacram eſſe voluerunt, eamdemque LII. Altaribus ornatam, ac memorabili Organo, decorarunt: quod aiunt habere 1690. fiſtulas, & 27. Regiſtra. Maxima fiſtularum, capax eſt menſurarum vini 3.15. Fundamenta turris ſunt 464. pedum, profunditate horrendâ. Longitudo dumtaxat Templi à Choro vſque ad extremum, pedum CCCXVII. eſt; latitudo CLII. Habet columnas 36. feneſtras 75. altitudo teſtudinis pedum 152.

XXXI. Norimbergæ. NORIMBERGÆ Ædes ſacræ, religione, ornamentis, aut vetuſtate auguſtiores ſunt. *D. Petri,* ſepulchro *S. Sebaldi* celebris, qui primus eius regionis incolas ad fidem *Chriſtianam,* vitæ ſanctitate pellexit, poſt *Caroli Magni* tempora: item *S. Laurentij* Baſilica ampliſſima eſt: ac B. MARIÆ V. ſacra ædes; quæ tres quantum ſacris ceimelijs ex auro & argento copioſè & largiter exornatæ fuerint, conſtare poteſt ex eorum conflatione & venditione, quæ deſcripta ante nonnullos annos publici iuris facta eſt.

Habuit *Kiou Ruſſiæ* metropolis, antequam Tartari in *Ruſſiam* venerunt, eccleſias ſupra trecentas ornatiſſimas, quarum aliquæ in campis inter vepres & arbuſta in hanc diem permanent, & ſtant deſolatæ pro latibulis ferarum: ex quibus binæ eccleſiæ, videlicet S. MARIÆ & *S. Michaëlis* aliquas laminas tecti adhuc tenent deauratas, quas Tartari prædatum venientes, & inſpicientes *altim baſſina* vocant: *altim baßina,* id eſt, aureum caput habentes, quia partem tecti deaurati habent. *Matth à Michou. Sarmat. Aſian. c.3.*


XXXII. Eſt in *Daniæ* vrbe *Eundiâ* Horologium, in quo ars mira elucet, *Laurentianum* dictum: ſitum id in inferiori Templi parte; hic tabula parieti affixa viſitur, circulis aliquot variorum colorum diſtincta. In hac per certos eius rei indices, & annus, & menſis,

ac

ac ſeptimana, dies quoque ſinguli, ac horæ, in quibus agant homines, liquidiſſimè monſtrantur, eo etiam indicato ſi feſtum celebretur ſeu fixum ſeu mobile. Item quis luminarium Solis ac Lunæ motus, quæque horum in Zodiaco loca diebus ſingulis, & inter ſe habitudines. Atque hæc quidem foris; intus autem, machinis quibuſdam ad id fabrefactis res agitur. Quibus illud additum eſt velut *Parergon*, ſed & id arte factum, vt quoties publicè ſignum datur horæ elapſæ, ſupra tabulam ipſam duo concurrant ſimulacra (Equites dixeris Cataphractos) quæ tot ſeſe ictibus petunt, quot ſigna dat campana maior, in turri ſuſpenſa, quæ horam indicat. Quod verò magis mirandum, in huius tabulæ medio, velut in throno, collocatum eſt Simulacrum, B. Virginis MARIÆ, ſinu tenentis infantem. Ad latera huic oſtia duo, ante pedes velut Theatrum ſemicirculi forma, arcu huius ſpectatoribus obuerſa. Intus machina cum ſimulacris trium Magorum, quorum ſingulis ſinguli famuli additi. Machina mota ad eius cui hoc negotium datum eſt, arbitrium, prodeunt ſimulacra. Ante alios veluti Caduceator minitabundus, gladio vibrato pulſat oſtium ſiniſtrum, eo aperto proceditur Buccinis ſimul duabus ſonantibus, quas inflare videntur buccinatorum ſimulacra. Qui primus eſt Magorum, magnifico prodit per theatrum inceſſu. Ad virginis ſimulacrum vbi ventum eſt, reuerenter ad hanc verſus inclinat ſeſe Magus, velut adorabundus. Faciunt idem reliqui Magi. Famuli horum immoti procedunt, nullâ editâ reuererentiæ ſignificatione. Horum poſtremus oſtium dextrum claudit, ita quidem vt clarior ſonus, eo occluſo, ad aures ſpectantium perueniat.

CAPVT X.

ALIQVOT GALLIÆ CELEBRATA TEMPLA.



PARISIIS Templorum Sacellorumque numerus peringens eſt, primas tamen partes ſibi vendicat Baſilica S. MARIÆ Virginis. Huius laqueari a fornicati operis ſuſtinentur cxx columnis, in longitudine habet paſſus Geometricos CLXXIV. in latitudine LX. altitudine C. In circuitu habet Sacella XLV. mu- I. Pariſijs,

 nita

nita ferreis cratibus omnia. Ianuis siue portis patet vndecim, è quarum numero tres quæ à fronte sunt, XXVIII. Statuis Regum Galliæ exornantur. Ad latus assurgunt Turres altitudinis XXXIV. cubitorum. His sustinentur campanæ, quarum quæ maxima est, tanti ponderis dicitur, vt viginti homines eam vix impellere possint: Sonus autem eius ad septimum milliare *Gallicum* exaudiri fertur.

II. **Sacellum Regium.** Inter cetera loca deuotioni cultuique dicata admirationem meretur *Sacellum* iunctum Palatio, extructum à *S. Ludouico* rege, quòd altissimus fornix eius & latissimè diductus nullâ fulciatur columnâ, sed solis ædificij lateribus. Aiunt ibi seruari partem *Spineæ coronæ Dominicæ,* vt & *togæ purpureæ,* cum *arundine & spongiâ,* de quibus in historiâ Passionis.

III. **Auxitana Basilica.** AVXITANVM Deiparæ Virgini dicatum Templum, inter pulchriora magnificentiâ spectanda *Europæ* templa, recenseri potest, ob structuræ fastum, marmora, & antiquitatis monumenta, quæ in eo exstant.

IV. **Baiocensis Ecclesia.** BAIOCENSE Templum inter pulchriora magnificentiaque celebriora, totius *Normanniæ* habetur, propter structuræ excellentiam, & columnas omnis generis artificiosis operibus exquisitè exornatas: sed raritate excellit porticus imaginibus effigiata, & duæ turres altitudinis stupendæ, Pyramidum formâ surgentes, quæ huius ædificij molem ferunt, in cuius medio est turris structuræ admirandæ. Hanc extrui fecit *Ludouicus Harcurtius* Episcopus huius Ecclesiæ: in eâ turri horologium ciuitatis est, quod alijs arte præstantibus meritò adnumerari queat, id indicans & sonitu significans quartas & medias horæ partes, gratam sono musicam exhibet campanularum canorarum artificio.

IV. **Rhotomagi.** RHOTOMAGI visu dignum est Templum Cathedrale Deiparæ Virgini dicatum, in cuius structurâ, quidquid ad exactæ architecturæ rationem exigi queat, obseruatum est. *Paulus Merula* de Templo isto exactè sic scribit: *Primarium Templum, quod D. Virgini sacrum artis absolutissimæ, tres habet turres, quarum quæ media,* S. Romani Rhotomagensium *Archiepiscopi vocitatur: Secundæ nomen inditum* Butyraceæ; *ædificatum enim ferunt stipibus è populo corrogatis,*

Cosmogr. p. 2. lib. 3. cap. 30.

rogatis, ad obtinendum, quadragenarij jeiunij tempore, butyri vsum. Et paulò pòst idem: *In turri* Butyraceâ *Campana spectatur, cuius pondus librarum triginta sex millium, linguâ sextingentas decem pendente. Nomen illi* Georgius Ambosius, *ab Archiepiscopo qui anno MDI. Ciuitati donauit. Latitudo decem est pedum; altitudo totidem, comprehensis ansis. Circuitus triginta sex est pedum, continens hos versus:*

Illa ego sum quamuis sonitu veneranda tonanti,
 Prima est auctori gloria danda meo.
Namque ter & denis cum ternis millibus æris
 Obtulit hæc vero dona dicata Deo.
Scilicet *Ambosius,* qui sancta *Georgius* arma
 Cunctaque *Francigenis* tractat habenda viris.
Rhotomagum tanto felix Antistite gaudet,
 Cùm sit Cardinei gloria summa chori.

Vas omnium, quæ in Gallijs, *vastissimum.* Hactenus Merula.

Templum est in Vrbe *Metensi D. Stephano* sacrum, & alia, de quibus *Diuæus* ita scribit: *Templum* D. Stephani *nomen tenet, qui ciuitatis est Patronus, pulcherrimum verò opus, si quod aliud toto hoc itinere videmus, & suâ mole spectabile: quodque rarò accidit, omni ex parte consummatum. Dicebatur in eo fuisse Crucifixi ligneam imaginem, totam Laminis aureis superinductam. Vidimus Labrum Porphyreticum rubei coloris, magnæ capacitatis, pedes X. longitudinis excedens, in quo Lustrales Aquas adseruant. Sunt & alia in hac eadem vrbe sumptuosa Templa, & multa erant in eius Suburbijs, inter quæ* D. Arnulphi *Basilica, Imp.* Ludouici *Pij Augusti,* Caroli *filij, & filiarum aliquot* Pipini *Regis sepulturâ celebris. Omnia hac absumpsit Belli rabies, ita vt suburbij ne vestigium quidem supersit, neque vltra muros quidquam præter campestria videas.* VI. Metis.

Apud Pagum *S. Nicolai* duobus milliaribus *Nanceio* distantem, templum est non magnæ antiquitatis, sed vastæ molis, edificatæque structuræ, luminosum omninò. Columnæ, quæ totum fastigium sustinent, tantæ sunt, cùm gracilitatis, tum altitudinis, vt tanto oneri ferendo vix pares judicentur. Turres habet duas, in quarum vnâ *Caroli Lotharingici* Card. in summo culmine Symbolum: obeliscus scilicet cum Hederâ circumplicatâ, & Inscriptione: VII. Prope Nanceium.

TE STANTE VIREBO.

CAPVT

CAPVT XI.

NONNVLLA CELEBRIORA IN HISPANIIS TEMPLA.

I. Toleti. TOLETVM nobilitat amplissimum & pulcherrimum templum; quod sacras omnes ædes, & formâ conspicuâ, & magnis ædificijs antecedit, nam in eo fenestræ speculares complures, & imagines pulcherrimæ varijs coloribus admirabiles, & antiquas historias referentes conspiciuntur, hîc perlucida specula 750. numerantur. Huius Ecclesiæ Antistes, in *Hispaniâ* secundus est à Rege, non dignitate tantùm & auctoritate, verùm etiam populis, vectigalibus, & potentiâ, sub cuius imperio, præter minores populos numerantur, oppida nobilia 17. ex quibus magnus Ecclesiæ *Toletanæ* reditus exigitur, cuius summa est anno quolibet ducentorum millium ducatorum. Alij tamen ratione Archiepiscopatus nonnisi vltra viginti millia ducatorum annuatim numerant. Est autem *Castellani* regni Cancellarius, *Hispaniæq;* Primas.

a. Ioan. Marian. l.6. cap. 24. Tradunt Scriptores, Basilicam hanc, à mille trecentis annis *Toletanorum* operâ fastigium attulisse. *a.* Illam porrò *Mauri*, anno 714. per totam *Hispaniam* insolentissimè grassantes, vrbe in deditionem acceptâ, execrandis suis ritibus, miserandum in modum, conspurcare non erubuerunt; illam, aio, quam sacratissima Virgo, sexaginta quasi ante annos, præsentiâ suâ, suo sermone, Vesteque mundissimâ B. Illefonso Antistiti oblatâ, dignata fuerat illustrare. Quæ eorum fœditas annis supra trecentos, sexaginta & vno in sacrâ æde dominata est; donec *Alfonsus* Sextus generosissimus Princeps animos sumens, Barbaros loco cedere armorum vi compulit. *Alfonsi* Victoris prima cogitatio fuit, fæces sacris ædibus eliminare; Religionem restituere; vtque ritè fiat, Pontificem creare. Ergò XV. Kal. Ian. vnanimi voce *Bernardus* vir integerrimus, Ordinem B. *Benedicti* professus, in *Toletanæ* Cathedræ Pontificem electus est. Decem inde mensibus euolutis, *Toletanus*, adstantibus alijs cum Rege Præsulibus, templum Maximum, exterminatis Barbarorum spurcitijs, *Christianis* cæremonijs, VIII. Cal. Nouemb.

Nouemb. consecrat, ac Diuæ *Virginis* clientelæ, SS. item Apostolorum *Petri* & *Pauli*, *S. Crucis* ac *S. Stephani* nuncupat. Quo quidem tempore Sacerdotes triginta, totidemque portionarios constitutos fuisse, *Ioannes Mariana* attestatur. *b.* Et verò quanta inde incrementa loco & Pontifici obuenerint, *Aluarus Gometius Castrus Toletanus* obiter delibans: *c.* *Paulatim*, infit, *ex Religiosorum Principum & piorum hominum liberalitate, ea sacrorum redituum portio, quæ sacris tectis curandis cedit, octies centena millium nummorum summam efficit.* *Toletanæ* Basilicæ tectum eâ formâ, quâ nunc est, *Ferdinandum* auctorem iactare suum, aiunt. Et vt finiam septemdecim Concilia hactenus inibi fuisse celebrata, Plurimos Præsulum in Diuorum numerum relatos; Reliquias Sanctorum innumeras adesse, & quæ similia.

b. Lib. 10. cap. 18.

c. Lib. 3. de rebus gestis Franc. Ximen. Archiepisc. Tolet.

II. Burgi.

BVRGI Templum metropolitanum, siue Ecclesia maior intus & extra admirandi artificij & operis, spectatu digna. Siquidem in eâ res diuina, & sacra officia eâdem horâ & momento in quinque Sacellis inter se distantibus, à cantoribus & organis sub eodem tecto cantari possunt, vt tamen nullus Sacerdos à ceteris impediatur aut turbetur. Est ibi *crucifixi* simulacrum, tantæ antiquitatis, vt à *Nicodemo* factum sculptumque vulgo putetur.

Crucifixi imago à Nicodemo sculpta.

Ex Sacellis verò & Sacrarijs, quæ multa sunt, illud vnum *Castellæ* Connestabilis conspicuum atque ditissimum, non Ecclesiæ solùm *Burgensi*, sed etiam cunctis ciuibus magno est ornamento.

III.

HISPALIS Cathedrali Templo ædificiorum amplitudine & maiestate cetera vniuersæ *Hispaniæ* ex facili cedunt. *Paulus Merula* hanc ei panegyrim in Cosmographiâ *d.* tribuit: *Inter templa sanè primas tenet illud quod MARIÆ consecratum, quo nullum habet Christianus orbis excellentius, si quis operis amplitudinem spectet & maiestatem. Turrimq; summæ altitudinis editissimo operosissimoq; fastigio admirabilem; vnde in vniuersam vrbem camposq; latissimè circumiacentes iucundissimus est prospectus. Cochleam intus habet, per quam eques commodè ascendere potest. Quà ferè summa est, ambitur ab hac inscriptione e.* TVRRIS FORTISSIMA NOMEN DOMINI. *In supremo apice, Fidei est statua ærea, magnitudine hominem referens, versatilis ventorum index.* Hactenus Merula. Ecclesiæ huius primariæ maiestas

d. part. 2. Cosmogr. lib. 2. D.

e. Prouerb. 18.

opulentiaque breui compendio dici non posset, hoc fuerit satis ex CollegiasticisRationibus constare, Antistiti centum & amplius aureorum millia annui reditûs cedere: Primarij templi sarta tecta triginta & amplius millia ferunt; Senatus verò Ecclesiæ 120000. quæ in Canonicos 40. & 11. prærogatiuæ dignitatis Sacerdotia: itidem in 20. Portionarios quos vocant, totidemque Semiportionarios sodales distribuuntur. Sunt præterea Sacerdotes 20. quos à numero Vicenarios vocant, qui nocturnis diurnisque psalmodijs ducentos & amplius aureos merentur: & ducenti alij Sacerdotes, qui ex priuatis Sacellis satis commoda ferunt stipendia: beneficia adhæc per omnem Diœcesim opima sexcenta ferè, quorum multa singulis & binis aureorum millibus censentur: minorum verò Sacerdotiorum, quas Cappellanias vocant, duo millia fermè numerantur.

IV. Oueti. f. Mariana lib. 6. c. 18. & 12. Rodericus lib. 4. cap. 3. & 8.

OVETANVM Deiparæ templum, structurâ marmoreis columnis innixâ, *f.* auro argentoque variè ornatum, quod Regum Mausolæa, requietem ibi suam sæpenumero designantium, mirificè venustant: In quibus *Alfonsi Casti* Fundatoris; *Ranimiri; Ordonij; Alfonsi Magni*, cum *Semenâ* coniuge, *Garsiæ* filij etiam Regis, ac fortasse aliorum. Cuius *Ranimiri* quia mentio incidit, non prætereundum id fuit, quòd secundo ab *Oueto* lapide ex belli manubijs, ædem alteram, MARIÆ Virginis nomine, in latere *Naurantij* Montis, anno 846. ædificauerit, structuræ genere, & totius operis pulchritudine, præstantioribus meritò accensendum.

V. Legione.

LEGIO *Germanica* (vulgò *Leon*) regni caput, ciuitas est nobilissima, & templo pulcherrimo memorabilis, multisque vrbibus, Templi sui mirabili artificio meritò, præferenda. Nam etsi templum *Hispalense* alijs omnibus multitudine præstat; *Toletanum* diuitijs, ornamentis & specularibus fenestris sit illustrius alijs: etsi denique *Compostellanum* fortioribus ædificijs, alijsq; rebus est memorabile: *Legionense* tamen artificio singulari omnibus, multorum opinione, est anteponendum. In eius claustri Sacello jacent 37. Reges, & vnus *Hispaniæ* Imperator. In eâ singulis annis 12. Virgines, Augusti 15. solenniter *B. Virgini* offeruntur.

Marin. Sic. lib. 5. de reb. Hisp.

VI. Granatæ.

GRANATÆ extat longè maximum templum, quod sumptuo-

sissimo

fiſſimo ac mirabili opere cœptum eſt ædificari, eâ propemodum formâ, quâ ad S. MARIAM Rotundam Romæ, habens altare in medio. In Æde hac ſacrâ, eſt Sacellum ſplendidiſſimum, in quo *Ferdinandus Hiſpaniæ* Rex, cum conjuge ſuâ Reginâ *Iſabellâ* (qui coniuges hanc *Granatenſem* vrbem *Mauris* eripuerunt Anno à *Chriſto* nato 1480.) ſepulti jacent. Ab eo tempore recepta lege & conſuetudine maiorum obſeruatum fuit, vt *Hiſpaniæ* reges, in hoc Sacello ſepeliantur. Rari itaque operis Regum monumenta, ingenti impenſarum ſumptu perfecta, Sacellum, templumque hoc *Granatenſe* illuſtrant.

Portenti ſimillimum eſt, quod *Bernardinus Gomeſius* de *Iacobo I. Aragonum* rege *tradit*: *Ad diuinum*, inquit, Chriſti *nomen vbique propagandum adeò intentus* (Iacobus fuit) *vt tria nobiliſsima regna è* Saracenorum *manibus eripuerit, & ad duo millia templa exædificari, eaq́ue* Chriſto *eiusq́ue* Matri & Virgini *dicari curauerit*. VII. Lib. 1. de geſt. Iac. Arag. reg.

OSSVNÆ *Ioannes Tellez Giron*, eius nominis & familiæ ſecundus, extruxit ſumptuoſiſſimum ex candenti marmore D. MARIÆ Virgini matri templum, inſtituitque in eo præter Abbatem, Dignitates, Canonicos, Portionarios qui Collegium conſtituunt, Sacellanorum etiam numerum, qui progenitoribus ſuis, in Crypta ſubterranea (quam eorum funeribus ſeruandis extruxit) ſub ſummo Altari quotidie parentarent. Id templum idem Princeps tanta ſupellectili, tam aurea, quàm argentea, tantiſque veſtibus aureis, holoſericiſque exornauit, vt vix habeat (multorum judicio) in *Bæticâ* ſecundum. VIII. Oſſunæ.

BETHLEHEM oppidulum eſt in portu *Olyſſiponenſis* vrbis, ibi templum ingens ſpectatur *D. Virgini* dicatum, incredibili ſumptu ac magnificentia conſtructum, Regis *Emmanuelis* monumentum, quod dum viueret, ſibi ipſe deſignauit. De hoc elegans ſcriptor Ioannes Maffeius: *Patefacta*, ait, India, *& incognita ad eam diem nauigationis ratione vtcumq́ue compertâ, primùm omnium* Emmanuel Luſitaniæ *Rex, toto regno ſupplicationes indixit; populi circa templa frequentes iêre. Dein MARIÆ Virgini, eius nauigationis Præſidi exſtructam olim ab* Henrico *Principe ædiculam in ipſo aditu portûs* Olyſſiponenſis, *miram in amplitudinem extulit auxitq́ue, in loco in-* IX. Olyſsipone. Lib. 2. hiſt. Ind.

primis illustri, vt ab omnibus conspici posset, ipsius Henrici *militarem statuam collocauit. Ad eius templi custodiam, & cæremonias, & naualis præsertim turbæ ducumq; animos ritè expiandos, eximiâ sanctitate Monachos è* Hieronymiana *familiâ acciuit.* Hactenus *Maffeius.* Magnam tamen ipsi operi accessionem *Ioannes* tertius *Emmanuelis* filius fecit, De qua re extat ibi in arcu celebre *Andreæ Resendij* bessalibus litteris tetrastichon.

Vastâ mole sacrum Diuinæ in littore Matri
Rex posuit Regum maximus Emmanuel.
Auxit opus heres regni & pietatis: vterq;
Structurâ certant, Relligione pares.

X. Eboræ. EBORÆ quoque nobile templum visitur *S. Antonij* Archimandritæ, quod publico ciuitatis foro, conspicuo & illustri loco erectum, eleganti magnificaque operis structura factum est. Habet hæc ciuitas quatuor Monachorum insignia Monasteria, Monialium verò septem non minoris magnificentiæ, in quibus ferè omnibus fontes ex marmore candidissimo affabrè facti, subterraneæ aquæ argenteæ canalibus scaturiunt.

XI. Montis Serrati Mariæ Aug. lib. 2. cap. 25. Marin. Sic. l. 5. de reb. Hisp. & alij. MONTIS-SERRATI historiam, pluribus verbis attexam ex *Locrio.* Anno quasi 890. *Godefrido Peloio* rerum *Barcinonensium* potiente, opiliones aliquot, vt fit, *Montis-Serrati* jugum cum gregibus fortè pererrantes, ecce inclinante Sabbati die, ingentia lumina è cælo in antrum cominus hians collabentia stupidi conspiciunt, moxque Angelicos concentus inde efflatos auribus excipiunt. Quid faciant? rem deferunt ad parentes, ad amicos, ad ignotos. Explorandi cuique libido: concurritur; & ipse *Caucasus* omnium ætatum, sexuum, ordinum agminibus inhorrescit. Quumque Sabbati dies recurrisset, seque Phœbus præcipitem in Oceanum dedisset, ecce iterum arduus æther faculas agminatim in specum eiaculatur, nihilque remissiùs sacrorum Geniorum legio agitans

Obloquitur septem numeris discrimina vocum,
Iamq; eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.

Stupor inde singulos acriter ferit; neque diutiùs *Barcinonensem* Antistitem res latet, qui subitariâ simul cupidine correptus scandit

dit rupem, spectaculum & ipse exploraturus. Die & hora solitis iteratur prodigium. Stupes tu quoque Pontifex, & rectè; inque antrum (id muneris erat tui) etiam venis. Quid porrò inuenis? Deiparæ statuam, quam turbâ mortalium negligente, Angelicum famulitium honoraret. Non pateris, non differs; spemque metumque inter dubius, eam venerabundus excipiens, speluncâ effers, & præeuntibus vexillis, tædis, cruce, reliquijs, clero, multa prece cantuque per altum aëra strepero, donare templo tuo Cathedrali paras, & progrederis. Quousque autem? donec ad istum vbi hodieque est locum pedem ponis. Tunc stare, nec posse dimoueri magis,

Quàm si dura silex, aut stet Marpesia *cautes.*

Nouum prodigium; cuius non alius interpres, quàm ipse Antistes; Statuam sacram ipsi ponit, ac celeberrimam Basilicam componit. Quæ quanta deinceps fuerit, Montis huius historia, *Gallorum* Regi inscripta, in qua octoginta duo super trecenta, ad Diuæ huius implorationem, patrata prodigia referuntur, non obscuro indice declarat.

In descript. Flum. & Mont. Hispan.

At verò, vt tibi grater ô Lector, *Hieronymi Pauli Barcinonensis* calamum hîc appendo: *Serresius*, inquit, *quem & Serratum vocant, mons est finibus Leletanorum in Lacetanis; olim profanis deorum cultibus dicatus, de quo quædam haud indecenter enarrare lubet. Mons ipse non modò in Hispanijs, sed vbiuis Prouinciarum, Latini Christianiq; nominis famâ pernotissimus est; situs & Religio efficit. Distat à Barcinone circiter 30000. passuum, tantumdem mari remotus. Lambitur à Septemtrione Rubricato amne, vbi Palladium oppidum Olesia patet 12000. passuum in insulam sedens, & nulli contiguus, vt Soracte in Italiâ. Altitudo eius ardua, & quàm eminentes cliui cautesq; exasperant; nemorosis internis ornis & fraxinis & huiusmodi arboribus insignitus est; salientibusq; fontibus, medicinalium quoque herbarum feracior. Aspectus eius amplissimus, vt Pyrenæis in Occidente Sole Balearibus terminetur. Et cùm cernentibus inaccessibilem se ostendat, benignum tamen aditum circuitus tribuit: exteriùs autem præruptis excisisq; saxis ita vndique ingraduus, & in serræ similitudinem & ex ordine compositus est, vt prudenti opere naturam ipsam aut mundi huius Opificem,*

cem, Montem ipſum neſcio quid ſacri Numinis oſtentantem, ſuo celeberrimo cultui exſtruxiſſe credamus. Religionis eius auxêre initia, quòd ſupremæ Virgini ſacer ſit, ob vetuſtiſſimum eius ſimulacrum, abditiſſimâ ſpeluncâ diuinitùs adinuentum. De quo ſi pro materiâ *diceretur, grande eſſet profectò opus, & ideò relinquendum. Vltra montis modum Ara Virgini exſtructa eſt, & Auguſtiſſimum Templum. Via quoque aſcendentibus non exigua, laborioſo accolarum cultu, regijsq; ſumptibus coacta eſt. Deſperatum primâ manu opus, mox abſolutum. Cacumina præterea Montis Religioſis habitantur viris, quos Eremitas appellant, ligneisq; gradibus & exemptilibus ſcalis, & pendentia ſaxa admotis, non ſine vaſtæ ſublimitatis terrore, ac casûs etiam periculo adeuntur. Aſcendentibus, ne decidant, remedium eſt curioſiùs ſcandere, & ne ima deſpiciant. Templum quod diximus, cerâ, argentoq; atque auro conflatis per orbem denarijs onuſtum eſt. Cuius veterrimi tholi faſtigio mirandæ Virginæ opis miſeris ægriſq; mortalibus præſtitæ, teſtes appendent ſtatuæ & depictæ Imagines, cathenæ, loricæ, clypei & roſtra carinis erepta, atque alia liberationis ac victoriæ monumenta. Quod omnium maximum eſt, reuiuiſcentium hominum funebria veſtimenta, ſuperatæ naturæ mirificentiſſimum ſpectaculum. Soluuntur vota ſexto Idus Sept. numeroſâ populorumq; ad internecionem preſſurâ.*

Hiſt. Virg. l. 2. c. 3. Ioannes Bonifacius: *De noſtræ Hiſpaniæ templis illuſtribus,* inquit, *dicerem paulò copioſiùs, niſi timerem, ne actum agere videar, & quæ ſunt lippis & tonſoribus nota tractare. Cui enim Montis Serrati magnifica, maximeq; religioſi virginalis templi inaudita narratio eſt? Ibi miracula, Ibi peregrini quàm plurimi, ibi monachorum ſanctitas illius non diſſimilis, quæ Diui BENEDICTI illius familiæ auctoris ætate fuit, ibi erga exteros hoſpitalis humanitas.*

XII. Guadalupi. Marin. Sic. l. 5. de reb. Hiſpan.

GVADALVPI (*Luporum* flumen latinè dixeris, vnde *Aquas Lupias* nonnullus vocitat) *Luſitaniæ* oppidi, toto orbe nominatiſſimum eſt templum, & in templo Diuæ Virginis ſtatua, varijs miraculorum monumentis, quæ ſacræ ædis ambitu continentur; illuſtriſſima. De templo hoc, præcitatus Ioan: Bonifacius: *Fabricatio ingens,* ait, *monachorum qui D. Hieronymum ducem ſequuntur, mira religio, cantus excellens isq; perennis, peregrinorum concurſus admirandus, miraculorum ad aram virginalem & crebritas & magnitudo mouet*

deq; mouet oculos, & aures oblectat. Aduersus hospites prædicanda charitas est, prouidentiaq; mirabilis. Siquidem benè ordinatæ reipublicæ specimen capi profectò potest à Guadalupensis cœnobij disciplinâ. Virginalis effigies quam in hoc celeberrimo templo Hispania *cuncta veneratur, à* D. Gregorio *Magno ad* S. Leandrum Hispalensem *Episcopum per* D. Isidorum *missa creditur.*


Quum *Ioannes 2. Castellæ* Rex accepisset, perfidos *Sarracenos* non parua terris suis intulisse damna; medendum in tempore ratus, Diuæ *Guadalupanæ* auxilio sortem suam committit; adeoque templum eius ingressus preces fundit, munera offert. Hinc hostem aggreditur, frangit, fugat, spolia ampla legit; *Huestam, Ximenam, Vellem* & plurima alia recuperat. **Roder. Sanct. p. 4. Hispan. histor. c. 30.**

OLIANA in ripa Sicoris fl. oppidum famigeratur Castiluedrensi æde, sublimi in loco, sub Diuæ auspicijs posita; ad quam (nota prodigium) singulis annis, mense Martio, feria sexta ex Insula fluminis, tria lumina cæulei coloris ascendunt, & Ecclesiam per fenestras ingressa lampades accendunt, & subinde descendunt ad eum locum, vnde venerant, ibique ab inspicientium oculis euanescunt. Id à populis eius tractûs, virisq; fide dignis (scribit *Marinæus*) affirmatur. **XIII. Oliana Ecclesia.** **Lib. 5. de reb. Hisp.**

XIV. S. LAVRENTII *in Escuriali* vulgò magnificum illud & sumptuosum ordinis *D. Hieronymi* Monasterium: *Philippi II. Hispaniarum* Regis opus: quod meritò certare potest cum *Ægyptiorum* Pyramidibus, cum veterum *Græcorum, Romanorumq;* Templis, Theatris, Amphitheatris, Ludis, Circis: Thermis item Balneis, sepulchris; cum alijs denique variorum Regum & Principum Monimentis. Operi tanto vix quid est par, vix quid secundum. Frontispicium eius, Occasum spectans, tribus superbit portis: quarum quæ Media primariaque, in Templum augustissimum, Cœnobium, Collegiumq; ducit; quæ ad dextram, in Officinas Monasterio consecratas; quæ ad sinistram, in Domos Scholæ destinatas. Quatuor angulos totidem exornant mirabiles arte sua Turres: quas etiam duæ superant ad ipsius Templi pedem hinc inde fastu quodam consurgentes. Supra Ostiũ Templi magnificæ Stylobatæ Statuas sustinent ex Marmore Tophoq; sex *Israëlis* Regum, pedes altas XVII.

Ad Septentrionem Palatium Templo adsitum visitur, Regi Regioq; Comitatui commodissimè excipiendo paratum. Ad meridiem variæ sunt porticus: Hortus omnis generis instructus Herbis, Floribusque & plurimis ornamentis: Pomarium gratissimis consitum fructibus: item Nosocomîum, Pharmacopolîum, & alia.

Quid superest? quidquid ibi occurrit, stuporem inijcit spectanti: ideoque de ijs, quæ dicenda restant, silere cum modestia præstat, quàm ieiunè pauca in medium proferre.



INDEX COPIOSVS RERVM AC VERBORVM; PRIMVS NVMERVS PARTEM, SECVNdus caput, Tertius paragraphum, seu numerum capitis designat.

Apollinis

Templa